



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





Nº 610. E5. VIII. 5.8.

Var. 1 antith. fimbriata Benth. Schlechter's Flora of Borneo



# **LUCÆ HOLSTENII**

**EPISTOLÆ**

**AD DIVERSOS.**

**18306**

Digitized by Google

---

**TYPIS & GRATIOT.**

---

O  
LUCÆ HOLSTENII  
EPISTOLÆ  
AD DIVERSOS,

QUAS EX EDITIS ET INEDITIS CODICIBUS

COLLEGIT

ATQUE ILLUSTRAVIT

Jo. FRANC. BOISSONADE.  
[onne] [iscut]

AZ 5458

ACCEDIT EDITORIS COMMENTATIO

IN INSCRIPTIONEM GRÆCAM.

PARISIIS,

IN BIBLIOPOLIO GRECO-LATINO-GERMANICO,  
~~VIA DES FOSSES MONTMARTRE~~, NUM. 14.

CLOICCCCXVII.

D  
E 11136



**GOD. HENR. SCHÆFERO**

**VIRO PRÆSTANTISSIMO**

**PRIMARIO**

**GRÆCÆ DICTIONIS.**

**MAGISTRO**

**HAS**

**HOLSTENII EPISTOLAS.**

**D D**

**EDITOR.**



---

## EDITOR LECTURIS.

---

VIR ampliss. Faurisius a S. Vincentio, in regia Aquarum Sextiarum curia senator, et nostræ Inscriptionum academiæ socius liber, legendas mihi perbenigne traxerat plurimas Holstenii Epistolas, quas ineditas possidebat; quibus summa cum voluptate perfectis (nam mire fueram delectatus viri doctissimi eruditione varia, plurimisque ad historiæ literariae illustrationem utilissimis rerum et hominum notitiis), a Faurisio petiti ut illas in vulgus ederet. At ille statim negare, causari annos et senectutem; cui reponebam, Catonianam ipsi senectutem esse, quæ literis non careret; hoc editionis munus facile posse sine viribus sustineri, et in istis ingeni excitationibus mentisque curriculis impune ipsum desudare atque elaborare posse. Tum ille praetendere officii sui munera, quibus ab istis amoenioribus studiis ad seriora avocaretur; demum dicere, ederem ipse Holstenium si vellem edi. Et parui; et sine mora

rem adgressus , Holstenii , si quæ jam erant typis de-  
scriptæ , literas sedulo conquisivi , quas novis illis adjun-  
gerem , ut justum fieret volumen , et sparsæ talis intenti  
per epistolas ad diversos reliquiæ aliquot tandem colli-  
gerentur . Voluit quoque olim illas colligere Cellarius , sed  
consilium non perfecit ; voluerunt et Oxonienses selec-  
tioribus ineditisque doctorum virorum Epistolis Holste-  
nianas inserere , quod didici e Molleris Cimbria ( t. III ,  
p. 333 ) . Et hi quidem editionem inchoaverant , pri-  
mamque paginam , quæ libro pro fronte esse debebat ,  
Sikio , circa finem an. cricicxcix , transmiserunt , qui  
eam descriptsit in Bibliotheca , quam tunc curabat , Li-  
brorum Novorum ( t. V , p. 805 ) , significans se non scire  
utrum liber in lucem exiisset , an adhuc sub prelo labo-  
raret . Non prodiisse puto , et doleo . Holstenius enim , in  
commoratione Anglicana , et cum per Oxonienses bibli-  
othecas perreptaret , multorum sibi conciliaverat docto-  
rum hominum amicitiam , in primis Patricii Junii ; et  
quum inter utrumque frequentia fuerint deinceps episto-  
larum commercia , poterit aliquando e Bodleiana aliave  
bibliotheca meæ farragini supplementum appendi . Hol-  
stenii quoque epistolarum partem non minimam vulgare  
in animo habuit amplissimus in ciuria Aqui Sextiensi

præses Thomassinus *de Mazaugues*, qui, teste abate Mercerio de S. Leodegario in Chardonis Miscellaneis t. II, p. 189, mutuas Peirescii et doctorum hac ætate virorum literas editurum se pollicebatur circa annum MDCCXX, nec edidit. Ab ipso Thomassini hærede epistolas illas Faurisius habuit quas mihi tam benigne tradidit. Plerisque autem bis descriptas reperi; et horum *επογράφω* alterum ipse, ut videtur, Thomassinus descripsit, docta utique manu et accurata; alterum amanensis, qui ea scribens quæ non intelligebat, lacunas fecit multas, cum voces Latinæ difficiliores, et identidem Græcæ occurrerent, quas assequi non valebat. Et quod dolendum est, pejor illa pars longe amplior altera fuit, adeo ut a pagina meæ editionis 220, plus minus, multa necesse habuerim vacua relinquere, vel supplementis, uncinularum septo circumscriptis, ad sensum probabilius resarcire. Aptiora primum quæsiveram remedia. Etenim quum, inter illas ad Peirescium literas, duas reperirem, sextam nempe et octavam, ad Puteanum datas, quumque non nescirem in bibliotheca regia multas Puteanorum chartas servari, sperabam me hic forte inventurum vel Holstenianas alias, vel easdem diligentius descriptas. Nam potuit Peirescius ad Puteanum Holste-

niana curare, quemadmodum ad Peirescium Puteanus curavit. Amicum quemdam meum, virum doctissimum et diligentissimum, et cui nota magis non est domus sua quam regia bibliotheca, rogavi ut mei gratia Puteanorum chartas pervestigaret, num quid esset inter eas ab Holstenio profectum: et nihil hujus modi a se repertum fuisse respondit. Tum confugi ad comitem clarissimum Fortiam de Urbano, a quo Bredowius in Epistolis Parisiensibus p. 7 narrat se ipsum Holstenianæ epistolæ, in mea editione decimæ, de Geographis Minoribus vulgaribus *αὐτόγραφον* habuisse, quique, nonnullos ante annos, in Milliniano Horreo Encyclopædico (anno 3, t. IV), significaverat se plurimas Holstenii ineditas epistolæ possidere, quarum vernacula versionem tunc meditabatur. Sed comes clarissimus chartas diu neglectas et in angulo temere sepositas et latentes per multos menses frustra quæsivit. Pergendum ergo fuit, et mutilum sæpicule textum vel interpolatum edere me oportuit. Atque etiam inter editos libros, e quibus Holstenianæ mihi collegi, Gudii et aliorum Epistolas, Meursianorum operum collectionem, Syllogen Burmannianam, Fort. Liceti Quæsita, Ursati Antiquitates Patavinas, Simonis Ecclesiæ Orientalis Antiquitates, Lambecii de Bibliotheca Vindo-

bonensi Commentarios, Crugeri peculiarem Holstenianarum ad Lambecium editionem, Sirmondi Opera, alios, unus fuit quem et summopere habere cupiebam, et quo fere fuit carendum, Donianum nempe Commerciū a Bandinio editum, in quo nullus dubitabam quin Holstenii manus exstaret; atque conjecturam firmare videbatur Morellus, senex venerandus, qui, quum me de subsidiis editionis perhumaniter moneret, Doniana quoque perlustranda indicabat. Jam vero desperabam de inspi ciendo hoc libro, quem nec in bibliothecis publicis nec in bibliopoliis reperiebam, quum Millinus, vir celeberrimus et amicissimus, apud quem de malo meo fato conquerebar, dixit se Bandinii Doniana habere, et mea esse, et uterer abutererque. Officiosæ Millini benignitati quindecim debeo Holstenii ad Donium Epistolas. Atque sunt forsitan ali libri, et ii non omnino rari, e quibus Epistolas Holstenii excerpere potuissem; sed condonabit mihi lector benevolus vel ignorantι vel oblio: nam quis cuncta legit, vel cuncta quæ legit meminisse potest? Spero saltem me exiguum ex impressis codicibus spicilegium alienæ industriæ reliquisse. Cæterum, data opera Epistolam omisi ad Barberinum cardin. de veribus Dianæ Ephesiæ, in Gronoviani Thesauri tomo VII receptam, quod episto-

laris dissertatio esse videretur, non epistola; et id genus opuscula edere nolebam. Epistolam vero Holstenii ad Heinonem Lambecium, sororis maritum, de Vesuvii incendio, cuius mentio exstat in Mollerii Cimbria t. III, p. 534, si quis desiderabit, noverit et me illam desiderare, sed non potuisse reperiri. Notas adspersi ad historiam literariam præsertim spectantes, ne hæreret passim lector, ut ipse in legendis a Burmanno et aliis editoribus collectis Epistolis hæseram. Nonnunquam critica admiscui, et saepius illa tetigisse, sed videbam sensim librum in magnam crescere molem, et locum mihi reservare volebam ad inserendas binas de Inscriptiōibus Græcis commentationes, alteram de lapide Actiaco, alteram de lamina ænea in agro Boeotico reperta, quam P. Knightius v. cl. primus vulgavit. Sed, illa typis descripta, hanc omittendam, et ad aliud tempus seponendam esse duxi. Etenim volumen trigesima plagula jam spissabatur, et metuebam, ne si ultra progrederer, nemo mihi per tam longam viam comes esse vellet, atque ita mihi Holstenioque meo nocerem. Igitur operis indices describendos tradideram, quum Monte Pessulanq; a Prunello, medico celeberrimo, atque in Hippocratea et ista quam exercemus arte literaria et critica consummatis-

simo, epistola missa est officii plena et humanitatis, qua significabat se, auditō, nescio unde, editionis meæ consilio, codicem mihi offerre, olim Buherianum, eum ipsum, puto, a quo olim Nicero nonnulla excerptis, ut notatum est a me p. 255, quem ad locum conferre velim Mercerium abatem in Chardonis Miscellaneis t. II, p. 191. In hujus codicis marginibus, Buherius, qui propria manu paginas ultimas descripsit, idem notavit FF. Puteanorum codices sibi fontem fuisse, et numeros adpinxit, XVI, DCLXVII, CCCCXC, DCLXXXVIII; quos Puteanorum codices nunc esse in Regia Bibliotheca non facile crediderim, cum amicus ille meus, quod supra monui, nihil se reperisse mihi affirmaverit: sed alii viderint. Codex igitur Buherii, quem Prunellianum vocabo in memoriam optimi et benignissimi viri qui illum mihi utendum præbuit, epistolas obtulit nonnullas, quas in Appendice adposui, et largam Corrigendorum et Addendorum messem, quibus pessimi codicis lacunæ feliciter implentur et σφάλματα nonnulla emendantur. In hac etiam Appendice locum feci Epistolis ad Nihusium, et Florentinum, quarum mihi Mollerus l. c. fecerat indicium; sed eas nescio quo casu imprudens

neglexeram; et insuper Epistolæ ad Boëclerum, quam mihi in Schelhornianis Amœnitatibus latenter submonstravit Fortia comes. Idem ille vir clarissimus extremos hosce præfationis versus scribenti supervenit, narrans læto vultu lætaque voce se tandem Holsteniana sua ~~κειμένα~~ reperisse; cui ego opus jam absolutum paginorumque spississimam molem ostendens, dixi tardius hoc esse munus, et si quid haberet novi supplemento olim forsitan edendo esse servandum. Inspexi tamen ratim has tamdiu cupitas chartas, et vidi ipsa plerarumque a me editorum epistolarum ~~αὐτογραφα~~, quæ conferre operæ pretium forte non minimum foret; præterea quinque Holstenii ad Morinum epistolas, annis 1641, 42, 44, scriptas, et e bibliotheca, ut videtur, Oratori Parisiensis depromptas; et ad Monchaliū Tholosæ archiepiscopum octo, e seminarii S. Maglorii tabulario erutas; tum ad Leopoldum Principem duas Italico sermone an. 1649 datas, et ad Dormalium unam, quarum fontem non novi. Possidet insuper Fortia comes Morini ad Holstenium duas, et Peirescii plurimas, multaque alia summo studio collecta quibus Holstenii Vita egregie posset illustrari. Scripsi Lutetiæ m. julio  
ccccxvii.

**LUCÆ HOLSTENII**

**EPISTOLÆ.**



# LUCÆ HOLSTENII

## EPISTOLÆ.

### I.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO (1)

S. D.

LUCAS HOLSTENIUS.

Hamburgum.

QUANQUAM prioribus meis satis prolixè de omnibus ad postremas tuas responderim, non potui tamen quin et has auctarii vice adderem, cum hoc mense proximo forte nulla mihi scribendi occasio futura sit: hodierno enim die literis nobil. Vospergii (2) Hagam evocatus sum, ut post tri-

(1) *Elmenh.* Ex Collectione Epistol. Gudii et aliorum, p. 289. — Gev. Elmenhorstius, Hamburgensis, Holstenii civis, edito Apuleio in primis notus: frequentem Holstenii injecit mentionem in epistolis quas Hamburgo Leidam ad Meursium scribebat. Procli Constantinopolitani editioni Elmenhorstianæ an. 1616 Leidæ vulgatæ Holstenius senarios præmisit.

(2) *Vospergii.* Hinc docemur Holstenium per breve tempus munere paedagogico Leidæ defunctum suisse: cf. Moll. Cimbria, t. III, p. 322. Vospergius ille quis sit ignoro; ni forte idem ac Casparus Vospergius, supremi in Hollandia consistorii senator, cui D. Heinsius Orationes suas inscripsit.

## HOLSTENII

duum cum privigno ipsius ad prædium hæreditarium me couferam , ibidemque ferias caniculares transigam. Ego sane domi cum Platone et Proclo cæterisque philosophari mallem , quam puerum in arundine longa equitantem ob servare ; sed στάθμαν ἔλαχες , ταύγην κίσματι. Antwerpiam nunc tertium videbo , si ab hac chimæra me expedire pot ero. Aveo videre et amplecti humanissimos homines Schot tum (1) et Brantium (2) : via enim brevis est et exiguis sumptibus eam conficere licet. Vellem accuratius mihi de rebus vestris constaret , ut coram cum ipsis agere possem. Verumtamen cum sermones cæduntur , aliud ex alio sub inde incidere solet. Si scribendi erit occasio , diligenter me ipsis commendato. Nam , ni fallor , literæ tuæ , si recto itinere eant , facile me prævenient. De religionis negotio attexerem quædam , nisi ex publicis relationibus ea te jam cognovisse putarem. Remonstrantium (3) cœtus edictorum severitate passim disturbantur , jamque et spe omni et animis destituuntur : sic studia votaque ipsorum ubique videas

*In pejus (4) ruere et retro sublapsa referri;*

(1) *Schottum* : Andream Schott S. J. Ex ejus Epistolis ad Meurtium in collect. Lamiana t. XI , patet ipsi carum fuisse Holstenium ; et Albo Amicorum Holsteniano jam an. 1617 , nomen inscripserat , testé Lambecio in Anal. Vindob. Kollar , t. I , p. 1188.

(2) *Brantium* : Joannem Brantz , qui et Holstenii amicissimis verbis meminit in literis ad Metursium ap. Lamium t. XI , p. 291 D. et ad Elmenhorstium ante notas in Apuleium.

(3) *Remonstrantium* . Tunc maxime fervebant dissidia Arminianos inter et Gomaristas , seu Remonstrantes et Contra-remonstrantes.

(4) *In pejus* . Virg. , G. I , 200.

ideoque miselli

*Obstipo (1) capite et figentes lumine terrum  
Murmura nunc secum et rabiosa silentia rodunt,  
Atque exorrecto trutinantes verba labello.*

Magna erit horna messis scriptorum polemicorum , quibus et Synodum (2) et acta Ordinum orbi universo examinanda dijudicandaque proponent. Jamque duo horribiles libelli hic prodierunt, quorum alter nullitates Synodi continet , alter necessariam expositionem canonum Roterodamensis complectitur. Sed quamvis studiose inquisierim , exemplaria tamen nulla inveni. Rem meam , de qua prioribus scripseram , seduloque (3) cum Rumpio ages. Vale et me ama. Lugd. Bat. ad iv kal. August. (4) Gregor.

D. Heinsius incomcompactum Apostolii exemplar curandum tradidit , quod cum fasciculo commode includere haud potuerim , compactum illius loco mitto , quod non moleste te laturum spero. Huswedelio (5) et Lindenbrogio (6) proxime scribam.

(1) *Obstipo.* Pers. III. 80, ubi *trutinantur*.

(2) *Synodum*, Dordracenam.

(3) *seduloque*. Sic : videtur deesse aliquid. — De H. Rumpio cf. Moll. Cimbr. T. I, p. 577.

(4) *August.* Anni 1619, quod patet ex proxima mentione Apostolii Pantiniani qui hoc anno , curante D. Heinsio , lucem adspexit. Statim editio Burmanniana exhibebat J. Heinsius , quod haud cunctanter mutavi.

(5) *Huswedelio*, Johanne Christophoro, Scholæ Hamburgensis correctore , quo præceptore usus erat Holstenius : cf. Moll. Cimbr. t. III , p. 321. Nominatur ab Elmenhorstio carmenque quoddam ejus laudatur in Epistola ad Meurs. T. XI , p. 275 F.

(6) *Lindenbrogio*. Henrico , ut quidem videtur.

## II.

## EIDEM (1).

BINAS tuas recte mihi traditas scito, ad quas responsum diutius distuli, quod scribendi argumentum sere nullum habuerim, nisi tralaticia ista et quæ ultro in buccam venire solent. De Studita (2) accuratius cum Meursio egi, sed nulla verborum vi persuadere potui ut editionem ea lege atque omine suscipiat, quo Rev. Schottus ultro eam sibi depositit. Nec enim moris sibi fuisse dicit, ut angustiis temporum se circumscribi pateretur, multaque jam sub manibus esse queis annus proximus edendis vix sufficere queat. Tum vero se Patri Schötto eam provinciam non invidere, sed hortaturum etiam rogaturumque ut optimum auctorem curæ cordique habere velit, remque literariam, quam possit primum, tam immortali beneficio mactare. Res ipsius adhuc fluctuat (3); auditorium æque atque antea friget;

(1) *Eidem. Ex Collect. Gud., p. 290. Scripta sunt hæc epistola an. 1619.*

(2) *Studita. Elmenhorstius apographum Theodori Studitiæ Catechetici possidebat, obtulitque edendum Meursio epistola data kal. maii 1619, reperiunda in Coll. Lam., t. XI, p. 335 F. Sed nec Meursius edidit nec Schottus.*

(3) *fluctuat.* Meursius Græcos autores e cathedra prælegeus paucissimos habebat auditores. Inde curatores academiæ Lugdunensis, censura d. ult. Aug. 1619 lata, ipsius nimium in edendis libris labore rem reprehenderant verbis quam asperrimis, comminantes, ni se melius gerat, professionis, post sex elapsos menses, abrogationem. Nonnulla de hac re lectu non injucunda vide ap. Gramm. ad Meurs., t. XI, p. 542, 351, 554. Adde Epistolas Elmenhorstii ibid. p. 512. Erycii Puteani, p. 350; Rutgersii, p. 351, et Meursii egregiam

ego tamen ne quid mei causa detrimenti capere possit, frequens ad signa sum, quamvis invitus fere aurium operam ei locem, quod anatomicis prælectionibus eam horam subducere cogar. Certe tantam hic juventutis Belgicæ est fastidium, tanta literarum optimarum negligentia, ut ferme spœtulis distributis ad lectiones audiendas ipsos inducere oporteat. Cl. Heinsium de responso compellavi, ut et Oratiuncula theologica (1) quam per Levium (2) se missurum promisit. Illa neque edita est neque non edita; sola enim viginti exemplaria impressa sunt, quæ interioris admissionis amicis communicat, a profano vulgo diligentissime servat atque abscondit: credo, ne Arminiani publico scripto eam examinent, quibus eam non admodum probari novit.

Procopium (3) intra biennium ab hinc proximum vix dabit. Quid queris? *nil ornati, nil tumulti* (4), et, ut vere dicam, erit, quantum video, Martialis Scrivianus.

plane, p. 337, etc. Auditorum paucitas prætextus fuit, vera odii causa. Arminianismus et Barneveldii amicitia: cf. Brandt, Hist. Reform., l. XLVI, et Mich. de la Roche, *Mém. littér. de la G. B.*, t. XI, p. 90.

(1) *Orat. theologica*: Homilia ad Johann. 17, §. 9. nunc inter editas orationes recepta, p. 431, ed. 1657: cf. Brandt, Hist. reform. l. 48; *Mém. litt. de la G. B.*, t. XII, p. 382; Sylloge Burmann., t. II, p. 452.

(2) *Levium*: Hamburgensem hominem, mibi ignotum. Nominatur et in Epist. Elmenhorstii ad G. J. Vossium, p. 24, ed. Colemes.

(3) *Procopium*, Gazzæum in libros Regum, quem an. 1620 edidit Meursius, insertum tomo VIII Coll. Lamianæ.

(4) *nil ornati, nil tumulti*. Ex Terent. Andr. II, 2, 28. Martialis Scrivierii prodiit anno 1619.

Sed commodum de Scrivorio tu quoque monuisti. Ego quæ et tu mandasti et quæ ipse intelligam Apuleio (1) Jornando futura diligentissime conquiram et ad te curabo. Scriptis ejus Platonicis hibernas aliquot noctes impendam; illud enim philosophandi genus semper cum studio medico conjungere decrevi. Cluveri Siciliam, cum aliis quæ remitti eupis, per mercatorem accipies. Vossius plurimum te diligit et salutem amicissimam tibi adscribit. Vale meque ama.

## III.

CL. VIRO IO. MEURSIO (2)

LUCAS HOLSTENIUS

*Χαίρεται σὺ πάτερ! (3).*

CLARISSIME VIR!

Quum jam dudum aliquid literarum ad te pararim, nescio qua mea procrastinatione, aut negligentia (4) vereius, hactenus id ipsum distulerim, ut verear ne quid sinistri de meo animo suspiceris. Verum tandem aliquando

(1) *Apuleio*: cuius editionem parabat Elmenhorstius, quæ prodidit an. 1621. — Cf. p. 29.

(2) *Meursio*. Ex tomo XI opp. Meursii, p. 395.

(3) Edit. *πατέριν*, quod correxii aliquoties in inscriptionibus harum epistolarum; nam Holstenius voces suspectas, puto, fugiebat.

(4) *negligentia*. Hoc ipsi fuit vitium. « Holstenius, quum senis « tuis literis nullum reposuerit responsum, fecit quod facere solet: » Is. Vossius ait Epist. ad Heins., t. III, Syll. Barm., p. 577. Cf. et N. Heins. ibid. p. 194.

hanc ad te scribendi necessitatem pietas , quam Cluverio nostro (1) τῷ μακερῷ (2) deheo , mihi imposuit. Quum enim socrus ejus (3) cum liberis in extrema paupertate hic vivit amicorum incuria atque negligentia , ita ut non habeat unde vitam sustentet , facere non potui quia ejus rogatus tibi significarem quo miseriæ devenerit. Nostri quocum viatico in Britanniam ablegata fuerit , quod in unum alterumve mensem , præter molestum et difficile iter , vix subfiebat. Verum Elzevirius discedenti promiserat , se prospecturum ne quid rerum necessariarum deficeret ; at ille hactenus nihil quidquam subpedavit , neque verbum quidem rescriptsit ad crebras illius literas , quibus de gravissimis rei familiaris angustiis conquesta est. Mihi neutiquam constat , quomodo Elzevirius cum ea transegerit ; sed id scio , et quotidie non sine animi dolore video , in summa eam paupertate hic vivere. Filiola (4) ante aliquot septi-

(1) *Cluv. nostro.* Holstenius Cluverio comes fuit « per omnem & Italiam Siciliamque jucundissimus » , ut ipse testatus est Cluverius in Albo Holsteniano. Of. Anal. Vindob. Koll. , t. I , p. 1187—1190; Allatii *Apes* , p. 256.

(2) μακερῷ. An. 1623 mortuo.

(3) *socrus ejus.* Cluverius Britannam feminam duxerat uxorem. G. J. Vossius Epist. 37 ad episcopum Wintoniensem : « Paululum tamen « me recreat ac reficit quod puerorum (Cluverii) avia superest , « bona foemina , gente Britanna , atque , ut intelligo , honesto admono « dum genere orta. Ea nunc in patriam redire parat , eo animo ut « periculum faciat num recipere bona valeat , in que alios inique « involasse conqueritur. Utinam per te vel per amicorum tuorum « aliquem uni alteri eorum , quorum est de talibus judicium ferre , « serio commendetur , ut , si causa æqua est , facilius quod cupit « obtineat. »

(4) *filiola.* Cluverius liberos duos reliquit , filiam et Sigismundum filium , de quibus vide et epist. seq. p. 22. 23.

manas gravissime ægrotabat , tum quum frigus sæviret maxime ; at miseræ illi viduæ (1) neque ignis neque victus domi erat , qui eam foveret. Dici non potest quam id fuerit luctuosum spectaculum. Ego interea , pro ut debui , amicorum opera non nihil corrogavi , quo ad septimanam unam alteramve se familiamque substentaret. Multa quidem de gentis hujus humanitate sibi pollicita est : mirareris , si referre vellem quid cl. viro Patricio Junio (2) responderit (3) , quum meo rogatu pro orphanis intercederet. Neque in litibus illis forensibus (4) quibus implicita est socrus Cluverii , quidquam auxilii ab eo exspectandum. Alios si adloquar , vix fidem adhibent Cluverii , viri tanto-

(1) *viduæ*. Non viduae Cluverii , sed socrui : nam Cluverii uxor jam erat mortua. Vossius ibid. : « Reliquit (Cluverius) liberos parvulos , utroque parente orbatos , et in re angusta adeo ut quo « pacto honeste possint educari equidem non videam. »

(2) *Patricio Junio*. Vulgo *Yonge* , ut scribit H. Spelmann Epist. ad Meurs. , t. XI , p. 550 A. ed. Lam. , aut potius *Young* ; Regi Angliae a bibliothecis. Non semel de eo fit his in epistolis mentio : cf. *the Class. Journal* , t. V , p. 126.

(3) *responderit*. « Quis responderit ? hoc vero non additur in apographo Lundii. Utrum rex ? an archiepiscopus Cantuar. ? an Buc kingamius ? » GRAMMIVS. — Nomen omissum erat ab Holstenio , vel compendio notatum quod Lundius non intellexit. Innuitur forte Lancelottus Androsius , episcopus Wintoniensis , Regi Britaniarum a sacris et secretis consiliis , ad quem Vossius scripsit commendationem illam epistolam e qua modo fragmentum adposui rem adprime illustrans. De Zacharia Lundio , « præstanti oppido viro , Græc. que et « Latine doctissimo » , obiter notabo , eum epistolas ad Mearsium datas ex autographis in Grammij usum deſcriptsisse : cf. Gramm. in Lamii præf. ad Meurs. opp. , t. XI , p. 5 , et in Syll. Epist. Ullianæ T. III , p. 593 sq. p. 611 sq. ; et Moll. Cimbr. , t. I , p. 369.

(4) *Forensibus*. Cf. Vossii verba modo adlata.

pere de Academia Lugdunensi meriti, liberos tanta hic in egestate vivere. Major, inquiunt, gentis ejus benignitas est, quam ut orphanos post parentis obitum ita nudos extrudant; et sane nisi Senatus Academicus, aut illi quos Cluverius moriens testamenti curatores (1) constituit, miseris illis in tanta inopia mature succurrant, profecto non video quinam ad mensem victuri sint. Mater D. Claverii, quæ Dantisci vivit, opibus, ut audio, abundat; si publico Academiæ nomine illi significetur quo in loco nepotum res sit, non dubito quin aliquid in usus eorum sit erogatura. Verum nunc hoc te obnixe rogar vidua ut Elzevirium pro missorum admoneas: is enim quum libros, cæteraque quæ moriens Cluverius reliquit, auctione publica distraxerit, quamvis curta admodum suppelle fuerit, aliiquid tamen argenti confecit, quod in commodum liberorum cedere æquum est. Scripsi super eadem re cl. Everhardo Vorstio (2), quo Cluverius amicissimo atque beneficentissimo (3) semper usus est; is juxta tecum, ut puto, operam dabit,

(1) *curatores*. « Voluntatem qui post obitum exsequerentur viros præstantissimos dilegit, P. seilicet Cunæum, academici senatus præsidem, Ant. hunc Thysium ac Ever. Vorstium »: D. Heins. Orat. in obit. Cluverii.

(2) *Erv. Vorstio*: de quo in nota præcedenti videndus Heinsii locus. Hoc ipso anno mortuus est, et in ejus exequiis orationem funebrem recitavit P. Cunaens, quæ edita est. Cf. Barlæi Epist., p. 120. Plura de eo quære in Meursii Athenis Batavis, etc. Collectio Meursiana, t. XI, p. 185 ejusdem ad Meursium epistolam exhibet. D. Hein sius illi orationem suam in obitum Cluverii epistola inscripsit.

(3) *beneficentissimo*. D. Heins. in laudata modo epistola dedicatoria: « De Cluverio nobis sermo est, e quo sepe audivi, cum de sertus hic ab omni sanguine ac propinquias viveret, in uno prope

ut misera et afflictissima hæc familia aliquo subsidio quam primum sublevetur. Multum tibi debet ob singularem humanitatem qua tu conjuxque tua optima atque laudatissima Cluverium ægrotantem fovistis, quaque, post intempestivum ejus obitum, orbos ejus liberos prosequuti estis, eamque quotidie apud me cæterosque amicos grato animo, non vidua solum, sed et pueruli deprædicant; sed plurimum debit, si nunc in extrema inopia tuo consilio auxilioque sublevaveris. Elzevirium quoque certiorem feci, quanta in miseria hic vivant. Compelle, quæso, ut quam primum respondeat. Nunc de mearum quoque rerum paucis habeto. Post meum a vobis discessum, Britannia suis deliciis ita me detinuit ut ad Lotophagos accessisse videar. Delitui ut plurimum in Oxoniensium bibliothecis, veteres codices Græcos Latinosque sedulo excutiens, quibus nemo istic locorum negotium facessit. Descripsi nonnulla, quædam contuli, quibus rem literariam juvari posse sperabam. Nunc Londini hæreo, ubi regia bibliotheca, cl. Viri Patricii Junii beneficio, semper mihi patet. Interea animus aut ad vos in Belgium redire, aut in Gallias abire gestit; pertæsus horum locorum: tum quoque ut syntagma Græcorum geographorum, quod longo et ærumnabili labore concinnavi, tandem in lucem proferam. Mitto indicem auctorum, quos probe ab innumeris mendis expurgavi atque in Latinam linguam converti, quiique typographum duntaxat exspectant. Utinam mihi in Belgio eos in publicum producere liceret, cum propter accuratam operarum industriam,

« te ac commendatione tua apud nobiliss. amplissimosque curætores academiæ ac civitatis consules spes fixas habuisse. »

tum quia tabula una aut altera opus exornandum illu-strandumque erit. Interea dum id fieri nequit, obnixe rogo ut non graveris symbolam aliquam conferre, si quidquam vel in tua vel in publica Academiæ bibliotheca extet quo id opus melius aut illustrius fieri posse existimes; in primis si Agathemerī Ὑποθύμων (1) Geographiæ integra apud vos reperiatur, aut Dionysii Byzantii Ἀνάπλους (2) Bosphori: hæc enim duo opuscula maxime desidero, fuitque utrumque in Palatina (3) Bibliotheca. Vix dubito quin geographica quædam inter Scaligeri aut Vulcanii libros extent, modo excutere liceret. Statueram et Stephanum et Arriani utrumque Περίπλους adjungere, nisi a Claudio Salmasio jam dudum horum novam editionem expectaremus. Mihi in ejus messem falcem immittere non libet, præsertim cum Mæotidis Paludis Περίπλους ἀνέκδοτον ejusdem Arriani penes se habeat (4). Ad Strabonis emendationes magna accessio fieri posset ex Cluverii codice (5): notarat enim plurima in illo auctore; verum nescio quem dominum post obitum ejus liber ille invenerit. Habeo multa alia penes me, quorum catalogum in schedula notatum habes: si quid eorum usui tibi esse queat, indica solummodo. Bibliothecam tuam

(1) Ὑποθύμων. Cf. not. ad Epist. X, §. 2.

(2) Ἀνάπλους. Cf. not. ad Epist. X, §. 11.

(3) *Palatina*. N°. 62 in Catalogo Sylburgiano: cf. Fabr. Bibl. gr., t. IV, p. 617.

(4) *penes se hab.* Nam adserit eum nonnunquam ad scriptores Hist. Augstæ. Cf. infra not. ad Epist. X, §. 14.

(5) *Cluv. codice*: edito nempe exemplari. Et notas quidem in Strabonem pollicitus erat Cluverius: sed fuerunt promissæ tantum, et ejus liber quo pervenerit nunc ignoratur. Cf. Fabric. Bibl. gr., t. IV, p. 576.

Græcam (1) avide docti viri desiderant. Video quoque te Heraclidis Pontici novam editionem moliri (2). De hoc auctore necessarium est ut te moneam extare hic MS. exemplar inter regios libros, sed alium præferre titulum (3), videlicet Ἡρακλεῖτον, οὐ γοῦ σκοτεινὸν ἀλληγορ. etc., et Heracliti nomen in suo quoque MS. repperit Gesnerus. Heraclidis Pontici opusculum non esse luculente probat vir quidam doctus cuius nomen (4) jam non subcurrit, ex eius recensione H. Stephanus id edidit una cum Homero; nec dubito quin visa tibi ejus editio. Conferam tamē editum exemplar cum scripto, et variantes lectiones prima occasione ad te mittam. Exstat quoque apud cl. virum Patricium Junium Codini exemplar: inspexi obiter; sed τα Πάτερα quæ tu olim edidisti (5) longe auctiora sunt in MS. Liber de Officiis (6) CP. nihil aut parum variat. Est penes eumdem Palæphati et Phurnuti exemplar collatum

(1) *Græcam*: post Meursii mortem primum editam in Thes. Gronoviano t. X; deinde in Collectione Lamiana opp. Meursii, t. III.

(2) *moliri*. Heraclidis hujus editionem promiserat Meursius not. ad Apollon. Dysc. c. 19.

(3) *titulum*. Cf. p. 22. 25. 27. Hoc codice usus esse videtur Heraclidis editor Th. Gale, ut patet ex ejus præfatione; et alias codices Heracliti, non Heraclidis, nomen præferentes viderat Holstenius, ipso teste de vita Porphyri. c. 8. Plura quære in Fabr. Bibl. gr., t. I, p. 193 sq. Huic scriptori nuper opem tulerunt Hasius, vir eruditissimus, et b. Bredowius in Epist. Paris., p. 243 sq.

(4) *nomen*: dicam forte in *Addendis*. Haec enim Stephani Homericum videre non potui.

(5) *edidisti*. Nempe an. 1607. Et sunt auctiora in editione Lameciana.

*de Officiis*: ejusdem Codini.

volum ad codicem Florentinum a Scrimgero avo (1) ejus, dimidia parte atque amplius edito auctius. Si tibi animus est hosce quoque auctores in lucem revocare, libentissime omnia tecum communicabit. Nihil enim illo viro humanius cogitari potest et promptius ad literas juvandas. Nunc si placet locum unum alterumve cognosce in Geographis ab Hoeschelio editis.

Apud Marcianum (2) p. 96 citatur *Borbaios*, auctor nusquam mihi lectus: indica, quæso, an alibi repereris, an corruptum, quod subspicor, et quomodo emendandum.

In Dicaearcho desperata aliquot loca feliciter persanavi, sed in quibusdam aqua mihi hæret. P. 168: ἀλλ' ἡ (3) τὰς ξένιας  
ἰκάσοις συνοικουμένη. Hic legendum videtur *ικάσου*, aut *ικάσαις*  
συνοικουμένη. Mox λόγθη τῆς ξενίτειας ἐργάζεται pro δουλείας.

(1) *Scrimgero avo*: non avo Patricii Junii, quod et infra non semel dicetur, sed magno avunculo, ipso Junio teste in Epistola ad Meurs., t. XI, p. 425. Fabricius Bibl. gr., t. IV, p. 572, eum Geneensem vocat, quod de patrīa non intelligendum est, nam fuit Scotus, sed de commemoratione.

(2) *Marcianum*. P. 63, t. I. Hudson, Geogr. Min.

(3) ἀλλ' ἡ. P. 9, t. II. Hudson. sic editus est hic locus: ἀλλ' ἡ τὰς ξένιας ικάσοις συνοικουμένη ταῖς ιπιθυμίαις εὐάρμοσος διατριψή,  
περισπῶσα τὴν διάνοιαν ἵπε τὸ ἄρισκον, λόγθη τῆς δουλείας ἐργάζεται.  
Vulcan. conjectit συνοικουμένη. Forte soribendum ἄμα ἡ τῶν ξ. ικάσοις συνοικουμένη καὶ ταῖς ἡ. sū. δ..... De frequenti permutatione  
vocum ἀλλὰ et ἄμα monui in Notitiis MSS. t. X, ad Diogenis  
Epist. I. Cæterum vox δουλείας in ξενίτεια abire vix potuit: eam  
sanam esse fere putaverim, et Dodwelli interpretatio non displicet.  
In sequentibus, Holsteniaparum emendationum rationem non om-  
nino capio, quod descriptoris culpa forsitan corruptæ fuerint. Nihil  
credo tentandum absque codicum ope: hæc fere conclamata sunt.

Quæ sequuntur vix capio : ἔτι δὲ ταῦς μὲν θεῖαι οὐ π. καὶ σχ. τοῖς δ. ἀνεπαίσθητος λιμὸς λῆθη, etc. Sensum hunc esse credo : ἐλληνιστούς, ἔτι δὲ πόλις....: ἀνεπαίσθητος λιμός. Mihi nihil subcurrit quo me expediam, quam si legam ἀνεπαίσθητον λιμὸν καὶ λῆθην ἐργοιοῦντα. At vix mihi satisfacit hæc conjectura. Illa vero in fine paginæ corruptissima sunt, quorum sensum ne per nebulam quidem capio : mutavi in formas varias, sed nullam probabilem lectionem potui exsculpere. Quid enim illud, θαυμασον πλινθίων ζωων ἀνθεστη σίδησκαλιον? Quid item illud, ιτί γοῖς ἴηνυχαρομένοις εἰκαλόντες τὰς εὐημερίας? Præter te in Atheniensium antiquitatibus versatissimum, imo unicum earum promum cōndūm, neminem scio esse qui persanare hæc possit. — P. 170, principio (1): τοιοῦτο τῶν ξένων (ξένων) τί καλεῖται σκέπτος: mihi revera sunt Cimmeriae tenebræ: dispelle, quæso, et lucem aliquam affunde. Neque sat scio quid moris Athenis fuerit, de quo in præcedentibus versibus Lysippi: ΟἽτα δέ τὴν λευκὴν (λεύκην leg.) (2) τίς αὐτῶν προσέστις ἀλισκὸν εἶναι, etc. Et quid τὸ Συράμενον κλίος (3), p. 171 in fine? Stephanus enim admodum obscura conjectura est. Cetera in hoc auctore puto satis a me restituta. (4) Sed an tu operis de Vita Græciæ partem exis-

(1) *principio.* P. 11. Huds., in fine loci *Lysippeii*.

(2) λεύκην. Si notulis Hudsonianis fides est, Vulcanius conjectit λεύκην, Holstenius vero λίσκην. Sed satius est a talibus manum abstinere.

(3) κλίος. P. 14. Stephanus cogitavit de Serambo vel Samarbo, caupone quodam nobili.

(4) *satis a me restituta.* Non *satis*, si cuncta restituit ut locum, p. 8, ἂδι τὴν τῷ ἐπιοῖκουμένη κάλλιστον θεῖαν, in quo cœcutivit. Optime emendaví ad Philostr. Her. p. 662, ἀδιστον τῶν... Quod verbis

timas? Sic Stephanus (1) et Cl. Vossius (2) existimant; Rittershusius (3) επιγνώσκειν ejus operis esse existimat: mihi neutra sententia vera videtur, et habeo multa quæ in eam rem suo loco proferentur (4). De auctore elegantissimæ illius Περιηγήσεως, quæ sub falso Marciani (5) nomine edita est, sedulo solliciteque anquiro; sed nescio cui tribuenda. Marcianus ille multis sæculis posterior est, coævus Synesii cuius epistolæ ad eum exstant (6): non enim dubito senem illum Heracleensem, quem tantopere deprædicat epistola C, et CIII et CXLIX (7), nostrum hunc esse, cujus mutilos Periplos habemus. In Sotionis Excerptis c. 35, citatur Φαίδων, corrupto sine dubio nomine. Nescio an Φίλων ex Stephano rectius substituendum V. Βόσπορος. Tu si quid certius habeas, indica, quæso. Nunc unum quod te rogem superest. Exstabant apud D. Cluverium ephemerides itineris nostri Italici, conscriptæ diligentissime in Germanico quodam calendario majoris formæ. Continebantur iis omnes viarum ductus atque locorum distantiæ, quæ toto illo

significarem modestioribus, nisi nuper vidissem in Wesselingianis Probabilibus p. 335, correctionem hanc fuisse ab Hemsterhusio occupatam.

(1) *Stephanus*: qui primus Dicæarchi edidit Fragmenta, in Sche diasmate 14, L. VI, repetito ab Hœschelio, p. 204.

(2) *Vossius*. De Hist. Græcis.

†

(3) *Rittershusius*. Ad Porphyri vit. Pyth. §. 18.

(4) *proferentur*. Denuo de hoc argumento agit Epist. X, §. 10.

(5) *Marciani*. Cf. infra Epist. X, §. 7.

(6) *exstant*. Immo nullæ exstant.

(7) *CXLIX*. Invenio Marciani encomiūm splendidum epist. 101, p. 240 D. In aliis epistolis ab Holstenio indicatis nihil reperio quod ad Marcianum spectet.

difficillimo itinere obieramus. Significa mihi , quæsō , verbo unico , nisi incommodum est , in cuius manus illæ post obitum ejus pervenerint ; non enim dubito quin El- zeviriis ea de re constet , aut quicumque defuncti libros primus excussit. Ego quovis pretio μημείσυνοι illud com- munis nostri itineris redimere sum paratus : aut si ipsum Cluverii exemplar a possessore impetrare non liceat , aliud mihi inde describi curarem. Mihi a Cluverio nunquam ejus transcribendi copia obtingere potuit , credo propter ejus occupationes , tum quod quotidie eo uteretur ; neque enim aliam causam fuisse dixerim cur denegarit. Obtestor te per tuam humanitatem ne laboriosissimi illius itineris fructu me penitus privari patiaris : quod sane fiet , si illo memoriae subsidio mihi carendum fuerit. Tu , si meam operam ulla in re usui tibi futuram existimaveris , audacter quidvis impera. Faciam ego ne quid in fide atque diligentia mea desideres. Conjugem tuam et filiolam suavissimam pera- manter a me saluta. Vale et me ama. Londini , MDCXXIV. prid. non. Ian. T. observantissimus LUCAS HOLSTENIUS.

Novarum rerum nihil habeo quod significem , nisi nup- tias incertas (1) admodum esse : duræ enim Hispano con- ditiones præscribuntur. Rex comitia publica edixit ad fes- tum Purificationis B. Virginis. Saluta a me officiosis-ime cl. viros Heinsium (2) , Vossium (3) , Scrivérium ,

(1) *nuptias incertas* : nempe Caroli Principis Walliarum cum Hispana Infante , quas curabat vel curare se fingebat Buckinga- mius.

(2) *Heinsium* : Danielem.

(3) *Vossium* : Gerard. Joannem.

**Iacchæum** (1), **Heurnium** (2) et **Brunckhorstium** (3). Si quid  
rescribere volueris, inscribito literis tuis : *To inquire at  
Mr. Fellerstoone's shop, in Paul's churchyard. D. Hoby* (4)  
nunquam mihi videre licuit; pater haeredem ex asse eum  
instituit, in cuius ædibus habitat prope Windsoram (5).  
Hæc propterea tibi scribo, quia falsa plurima de eo apud  
vos sparsa fuisse intelligo. Curtenius nuper erques a Rege  
creatus est, et quidem præcipui ordinis ( Angli vocant a

(1) **Iacchæum**, Gilbertum, Physics profess. Batavo-Lugdunensem. Reformatores Academiæ eum Aminianismi causa professione  
excluserunt, mox restituerunt, cum Synodi actis assensum præbuis-  
set : vide Brandtii Hist. Ref. L. XLVI, et *Mém. Litt. de la G. B.*,  
t. XI, p. 90. De hoc viro cf. D. Heinsii et G. Vossii Epist. ad Meursium p. 483-485, t. XI, edit. Lam. Adde p. 466 B, 427 D, et in pri-  
mis Meursii Athenas Batavas.

(2) **Heurnium**, Ottouem. Meursio nonnullas epistolæ scripsit,  
reperiendas in t. XI, collectionis Lamianæ. De eo cf. Meursii Ath-  
enas Batavas, etc.

(3) **Brunckhorstium** : Everardum Bronchorstium; nam sic nomen  
scribendum : cf. Sax. On., t. IV, p. 17. et Meursii Athenas Batavas.  
Illatam viro bono et diligentí contumeliam, quadam die exsibilato et  
pastoritia fistula excepto, narrat P. Scriverius in Epist. ad Meurs.,  
p. 62 D, t. XI, Opp. Meurs. Ipsi oratione funebri parentavit P.  
Cunæus.

(4) **Hoby**. Peregrinus **Hoby**, filius Eduardi Jacobo Anglorum regi  
percari, de quo vide Grammum ad Meurs., t. XI, p. 262—267,  
collata epistola archiepiscopi Cantuariensis ibid. p. 198. Meursio  
Peregrinus a patre fuerat traditus, qui ejus disciplina institueretur.  
Nonnullæ in collectione Lamiana extant Eduardi ad Meursium epi-  
stolæ, paternæ sollicitudinis circa filiolum plenæ.

(5) **Windsoram**. Una ex Epistolis ed. Hobæi Ed. Meurs. t. XI,  
p. 268 D, data est apud septum Jacobi prope Windesorianam.

*Knight Baron* ), duxitque uxorem illustri loco natam , comitis filiam aut neptim. Vides quid *Regina Pecunia* (1) possit. Vale.

### GEOGRAPHI GRÆCI MINORES (2).

Agathemeri Orthonis Τποτύπωνις Geographiæ. Exemplar Ms. ex Casauboni bibliotheca habui; sed in fine mutilum: puto integrum in Galliis extare.

Hannonis Περίπλους Libyæ.

Scylacis Περίπλους. Hoc auctore nullum ego scio unquam vitiosius editum fuisse.

Dicæarchi Fragmenta.

Anonymi auctoris Περιηγησις , quæ Marciano falso attribuitur.

Marciani Heracleotæ Περίπλους.

Artemidori Ephesii Epitomes per Marcianum confectæ fragmentum.

Isidori Characeni mansiones Parthicæ.

Strabonis Epitome.

Gemisti Plethonis Excerpta ex X. libro Strabonis.

Ejusdem descriptio Peloponnesi.

Sotionis Ἐκλογαὶ περὶ ὑδάτων.

Anonymus de incremento Nili.

Pauli Silentarii Carmen in Thermas Pythias et aquarum miracula.

(1) *Regina Pecunia*. Hor. I , Ep. 6, vers. 36 :

Seilicet uxorem cum dote , fidemque et amicos  
Et genus , et formam , *regina Pecunia* donat.

(2) *MINORES*. Pleniorum infra Epist. X. catalogum Peirescio reisset , ubi nonnulla adnotavi.

Palladius Περὶ τῶν τῆς Ἰαδίας ἴδιῶν καὶ τῶν Βραχυπέλανων.  
Exstat latine sub nomine D. Ambrosii in postremis editionibus.

Nicephori Blemmidæ Geographia συνοπτική. Sed vix  
puto dignam quæ edatur. Est enim παράφεσις Dionysii  
Afri, neque quidquam continet præter ea quæ apud poe-  
tam illum extant.

Adjungam Arrianum, cuius utrumque Περίπλου accurate  
emendavi, nisi Salmasius editionem paret, quam jam diu  
promisit ut et Ἐθνικᾶ, Stephani.

Hisce si Dionysius Afer una cum Eustathii Commentariis  
adjungeretur, perfectissimum haberemus Minorum Geo-  
graphorum σύγγαμα. Constantini enim Θημάτων libros ipse  
ante annos paucos edidisti.

Sequentes auctores seorsim edentur titulo *Sacræ Geographiæ*.

Eusebii Pamphili Περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων εἰ τῇ Θείᾳ Γραφῇ.  
Ms. exemplar habui ex Casauboni Bibliotheca.

B. Hieronymi liber de Locis ( hæc Latina translatio est  
operis Eusebiani ) ad V. Ms. fidem restitutus, multoque  
auctior quam antea editus.

Eucherii episcopi Epistola de situ Judææ, ex vetustis  
membranis descripta.

Adamanus de Locis Sanctis.

His adjungam Notitiam Episcopatum, sive Codicem  
Provincialem veterem a Miræo olim editum, tum illam  
Leonis imp. quæ in corpore juris Græco-rom. exstat, et  
Europalatæ, quæ in libro officiorum Cp. habetur; et spero  
me in Galliis repertorum Græcum exemplar Notitiæ Pa-  
triarchatum Antiocheni et Hierosolymitani, quam Lati-

nam mutilamque Miræus edidit. Excute, quæso, vestras bibliothecas, si quid forte istic extet quod ad ecclesiasticam hanc geographiam faciat, et tunc consilium de omnibus hisce præscribe.

Latinos quoque geographos Melam, Solinum, *Æthicum*, Avienum, cæterosque sedulo, partim ad vett. cedd., partim ingenio emendavi. Priori illi operi præmittam dissertationes aliquot geographicas, quibus vera geographiæ principia ex antiquis auctoribus sedulo, quantum potero, explicabo.

Subjungam Emendationum libros aliquot, quorum duo erunt ad Strabonem, ex VI. MSS. codicibus Italicis, cum quibus H. Scrimgerus D. Junii avus eum auctorem olim contulerat: totidem alii in alios auctores Græcos et Latinos. Præter hæc apud me habeo:

Aristidis Quintilianii Musica descripta a me Oxonii et ad alium Ms. codicem diligenter collata (1); Theon (2) de locis mathematicis in Timæo Platonis; Psellus in *Ψυχογονίας* Platonis. Porphyrium Περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψυχῶν, ad Ms. exemplar contuli (3). Theonis Προγυμνάσια ex Ms. codice variis locis supplevi et emendavi. Maximi Monachi Λόγος ἀσκητικού; Athanasii Homil. (4) in Nativitatem Christi;

(1) *collata*. Anglicis his codd. usus est Meibomius, Seldeni beneficio: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. III, p. 642.

(2) *Theon*: quem posthac edidit Bulialdus.

(3) *Porphyr.—contuli*. Cf. Fabr. Bibl. Gr., t. V, p. 732, 1. Egregie fallitur Jonsius Hist. Phil. III, 28. 20. Holstenio editionem hujus libri tribuens quæ nunquam fuit.

(4) *Homiliam*: illam forte de qua Fabric. Bibl. Gr., t. VIII, p. 203, n. 4.

Procli P. CP. Homiliam illam corruptissimam (1) *Eis τὰ Γρείσλια τῷ Κυρίῳ ἡμῶν*, etc., ex vetustissimis membranis insigniter emendavi. Descripti Hippolyti Martyris, Procli CP., Antipatri Bostrensis, et Georgii Nicomediensis Homilias *Eis τὰ ἄγια Θεοφάνεια*.

Cassiodori Librum de VII disciplinis ex veteri cod. supplevi; deest enim magna pars capit is de Grammatica et Rhetorica : tum alia quædam Rhetorica Græca Tiberii (2), Phœbammeronis, aliorumque; Matthæum Blastarem (3) de Synodis.

Emendavi Chalcidium in Timæum Platonis ad Ms. exemplar (4) vetustissimum. Vix crederes quot in illo auctore menda delitescant : item Simplicium in Epictetum (5), et Iamblichum (6) de Vita sectaque Pythagoræ, cuius emendationes aliquot habui in codice regio. Sed de horum editione post absolutum iter aliquando cogitare licebit. Ego

(1) *corruptissimam*. P. 148, edit. Elmenhorst.

(2) *Tiberii*. Forte habuit partem illam Tiberiani libelli tunc indeciam, quam vulgari nuper Londini typis Valpianis.

(3) *Blastarem* : de quo Fabric. , t. XI , p. 588 ; Gramm. ad Meurs. , t. XI , p. 278.

(4) *exemplar* : Bodleianum forte , oujus ope Chalcidium edidit emendatorem Fabricius ad calcem Hippolyteorum. Cf. p. 28.

(5) *Simpl. in Epictetum*. De edendo hoc scriptore , ut de multis aliis cogitavit Holstenius , teste Lasena in Cleombr. p. 84 : « Quem Simplicii locum eximia , qua me prosequitur , humanitate , » indicavit eruditissimus L. Holstenius , qui hunc auctorem jam a « se ad vetusta exemplaria collatum emendatumque G. L. edendum « curat. »

(6) *Iamblichum* : quem se editurum promisit Holsten. de Vit. Porphyr. , p. 7.

jam totus sum in conferendo Heraclide Pontico : mittam variantes lectiones prima occasione. Si Origenis dialogos contra Marcionem et Eusebii libros V contra Marcellum Græce edere velis, D. Junius proxima occasione Græca exemplaria ad te mittere paratus; ut cætera omnia quæ aut in publica Registrantur privata ejus bibliotheca extant. Titulus Heracliti hic est in Ms. Ἡρακλείτου, οὐχὶ τοῦ σκοτεινοῦ, πρὸς τοὺς κατὰ Ὀμύρου βλασφημήσαντας ἀληθεογένειας φυσικὴ σοφάτατη καὶ αναγκαιότατη.

## IV.

CL. VIRO IO. MEURSIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

SCRIPSERAM nuper adeo, Vir Cl., prolixè ad te de extréma Cluverii liberorum miseria atque egestate, in qua cum avia (2) hic vivunt, neglectu amicorum, illorumque quibus moriens Cluverius curam tutelamque commendarat; eademque opera alias ad Cl. D. Vorstium (3) adjunxeram, quem pro suo in Cluverium amore liberorum ejus causam sedulo juxta tecum acturum sperabam. Sed hactenus nihil responsi accepi: quocirca non iniquo animo feres, si denuo ea de re te compellem. Miseræ enim viduæ ad incitas res

(1) *Meursio.* Ex Opp. Meursii, t. XI, p. 403.

(2) *avia*: uxoris Cluverii matre; nam ipsa Cluverii mater Gedasi habitabat: cf. p. 9, et mox infra p. 24.

(3) *Vorstium*, Everardum: cf. p. 9.

rediit, ne ad restim dicam : ita undique calamitatibus opprimitur, quarum Iliadem perscribere possem. Filiola, ante septimanas tres collecto gravissimo frigore, atque inde pulmonum obstructione atque coli intestini doloribus exortis, postquam triduum ægrotasset, vitam cum morte commutavit. Sigismundus jam sextam hebdomadem decumbit; nam et ille, sævissimo frigore pertentatus, parum abfuit a sororis fato; sed frigus deinde in nervos incubuit, utriusque brachii et superioris thoracis medio inter claviculas loco; inde tam asperis et horrendis doloribus excruciatuſ fuit ipsas tres septimanas, ut verbis exprimere nequeam, neque quisquam hominum credere possit, qui non coram oculis triste spectaculum usurparit. Accessit deinde aliud malum, morbillorum scilicet sive *ξερθημάτων*, quibus miser puer adeo confectus est, ut umbram, non hominem, crederes. Sæviebat ita duplex in tenellum corpus malum, utrumque gravissimum. Verum postquam morbilli exhausissent, frigoris sive humorum copia jam ante commota omnis in sinistrum brachium incubuit, et thoracem superiorem eo loco quo dixi; tandemque post tormenta et cruciatus multos tumor in subpurationem sive abscessum conversus fuit ante quartiduum; sed vires adeo deficiunt, ut verear ut sit ferendo futurus. Hæc paucis perscripsi, ut videas quo miseræ viduæ res redierint, quæ puellæ elegantissimæ morte et pueruli gravissimo morbo uno eodemque tempore oppressa, animum præ luctu et mœrore despondet. Quibus accedunt extremæ rei familiaris angustiæ et inopia; quum nihil omnino subpetat, unde ægrotantem puerum refocillet. Deum testem adpello, nisi a magnis viris subsidii ei cor-

rogassem amieorum opera, non habuisset unde mortuam puellam terræ mandare potuisset. Oro igitur et per tuam te obtestor humanitatem, ut amplissimum Senatum Academicum, aut eos queis liberorum suorum tutelam Cluverius commendavit, officii sui commoneas. Inhumanum enim est, imo barbarum et impium, ita orphans miseros derelinquere; nec video quomodo Deo et conscientiæ suæ satisfacturi sint, quorum neglectu et incuria tanti viri liberi in summa miseria tam misere pereunt. Avia, quæ Dantisci vivit, admoneri potuisset ut aliquid subsidii ferret. Deinde amplissimi Academiæ Curatores, ut audio, orphanis stipendium paternum in annum proximum concesserant: miror cur nihil egentibus inde submittatur. Hinc Venetæ Reipubl. inscripta fuit magna illa Italia (1): an nihil de tanti Ordinis liberalitate exspectandum? Scio ego cl. et ampliss. Heinsium sedulo porro negotium illud curaturum, qui principio (2) opus illud liberorum hæredumque nomine Senatui Veneto inscripsit, si modo admoneatur. Valet enim auctoritate apud ill. Molinum (3) et universum illum ampliss. Ordinem, si quisquam alias, plurimum. Sed de Elzevirii magis miror, qui maximum ex alieno labore lucrum (4) percipientes, tam molesta, ne dicam scelestæ,

(1) *Italia*. Cluverii *Italia Antiqua a Dan. Heinsio dedicata fuit Venetiarum Principi et Republicæ Senatui.*

(2) *principio*. Nullus fere dubito quin scripserit Holstenius *principi... et senatui.*

(3) *Molinum*: Dominicum *Molino*, Venetæ Republicæ senatorem, de quo cf. Lam. ad *Meurs.*, t. XI, p. 363; Naudæana, p. 19; Gassendii *Vit. Peiresc.* p. 157.

(4) *lucrum*. Nam Cluverii opera typis suis describebant.

fide cum hæredibus Cluverii agunt. An ii nihil pro sexennii integri labore persolvere tenentur? An ex libris cæteraque suppellectile nihil pecuniæ rediit? Aut si rediit, cur non transmittunt? Rogo te et per Dei hominumque fidem obtestor, effice ut aliquid pecuniæ alicunde submittatur, ne omnes egestate et inopia extinguantur. In te enim solo et tua humanitate omnis illis spes sita est. Age, quæso, cum cl. Vorstio aut tutoribus, viduæ derelictæ nomine. Corrogavit et pignori opposuit quidquid supersuit ex naufragio rei familiaris; nunc præter animam nihil superest et vestram benigitatem. Ignosee, quæso, si liberius scripserim quam par est, et veniam da pio affectui, quum scias quantum Cluverio debeam. Adjunxissem Heracliti, sive Heraclidæ Pontici, emendationes aut variantes lectiones (1) aliquot: contuli enim cum Ms.; sed per temporis angustias nunc non licet. Exspectabis eas a me prima occasione, tumque de aliis plenius perscribam. Si quid respondere volueris, trade literas cl. Erpenio (2), qui eas ad fratrem mittet, per quem hæ curantur. Vale, et me ama, tuamque conjugem, quam omni observantia colo, filiamque permanter a me saluta. Londini MDCXXIV. a. d. xxii febr. Cl. Iacchæum (3), Vossium, Scriverium, cæterosque a me, nisi grave est, saluta quam officiosissime.

(1) *lectiones*. Cf. p. 22 et 27 init.

(2) *Erpenio*: primario illi literarum Arabicarum magistro, de qud, præter alios, cf. Meursium Athen. Batav.

(3) *Iacchæum*. Cf. p. 17.

## V.

V. CL. IO. MEURSIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS

*χαίρειν καὶ τὸ πρόττυν.*

DICERE non possum, Cl. Meursi, quam gratæ mihi tuæ fuerint literæ, plenæ humanitatis, et pristini illius in me amoris testes. Gaudeo meum hoc studiorum genus tuo judicio probari, quod, spretis lucrosis artibus, tuo potissimum hortatu ductuque suscepi, quum Lugduni primum tibi innotuissem; rogoque ut illum favorem atque egregiam animi benevolentiam erga me constanter porro serves. Nunc prolixè ad omnia responderem, nisi temporis angustiæ prohiberent: hac ipsa enim hora mihi ab urbe proficiscendum est. Mater Cluverii et Sigismundus gratias tibi maximas agunt pro officio: neque enim supererat unde vitam sustentarent; idque ut tibi significarem, etiam atque etiam rogarunt, sibi octoginta duntaxat florenos a mercatore qui literas hasce defert, persolutos esse, ne postea id tibi fraudi sit, quum tu centum mentionem feceris. Da operam, quæso, ut Venetum illud negotium (2) curetur quam optime, et quam fieri possit celerrime. Perscripseram superioribus de misero statu vitæ rebusque eorum adflictissimis, nec necessum est ea nunc a me iterari.

(1) *Meursio.* Ex Opp. Meursii, t. XI, p. 409.(2) *Venetum illud negotium.* Cf. p. 24.

Ephemeridas (1) illas exoptatissimas recte accepi. Mitto nunc lectiones aliquot ad Heraclidis , sive Heracliti potius , libellum , et Theonis Προγυμνάσια , quæ sola ad manum sunt . Cuperem ego rhetores antiquos a cl. Domino Vossio junctim edi , quo nemo rectius dicendi artem (2) hodie tractat . Sunt hic quam plurima , quibus Hermogenem aliasque longe meliores fieri posse certo scio. Porphyrium Πρότερον ἀποχής Merico Casaubono Is. filio reliqui , cum Oxonio discederem : ubi recepero , libenter mittam , ut emendationes aliquot meas ad libellum de Vita Pythagoræ. Musicos Græcos cuperem iterum abs te edi. Mittam Aristidem (3) , ubi totum descripsero et forte meam versionem Latinam. Aristoxenum ad scriptum exemplar , quod Christophori Longolii (4) olim fuit , sedulo contuli. Mirum dictu quam vitiosus et mutilus tuus codex fuerit , ex quo vulgasti (5). Oxonium ubi rediero , conferam eumdem , ut et Nicomachum , cum Savilianis (6) MSS. Cuperem Ptolemæi Harmonica cum Porphyrii Introductione Græce prioribus adjungi. Is enim optime certissimeque omnium de ea scientia scripsit , et extant hic passim exemplaria , si cui transcribendi otium foret. Non dubito quin Latinam Goga-

(1) *Ephemeridas.* Cf. p. 15.

(2) *dicendi artem.* De Rhetorica egregios nonnullos scripsit libros.

(3) *Aristidem*, Quintilianum , quem Meibomius posthac edidit.

(4) *Christ. Longolii* : magni illius Ciceroniani. Hoc codice usus est Meibomius.

(5) *vulgasti* : nempe an. 1616. Aristoxenus Meursii insertus est t. VI , coll. Lamianæ.

(6) *Savilianis.* Sic mutantur duxi editum *Salvianis*.

vini (1) versionem videris. Cl. vir Patricius Janus misit ad me indicem librorum MSS. quos penes se habet, per Gordonium Scotum (2), qui cum legato regio in Germaniam nuper profectus est. Mira est viri illius humanitas, tum eximius in te studiaque affectus, neque quidquam tibi denegaturus est. Adpella eum, nisi grave est, tuis literis: obnixe enim familiaritatem tuam expetit (3). Rich. Montacutius (4), vir eruditissimus, omnia Eusebii opera ad veteres codd. recensuit, et in latinum sermonem transtulit, quæ primo quoque tempore ad te mittere discupit, si typographum istic habeas, qui tam luculenti operis editionem adgredi velit. Theonis mathematica, de quibus in posterioribus tuis scribis, imperfecta sunt, quantum ex ipso opusculo et catalogis Italicarum bibliothecarum adparet. Statui ea adjungere Chalcidio in Timæum Platonis, ut et Pselli opusculum Ηερὶ Ψυχογονίας. Chalcidium (5) enim tuum diligentissime ad vetustissimas membranas infinitis locis emendavi. Frustra dixerim quot vitiis ille auctor obsitus sit: tum vero in tua illa editione typographorum fidem in primis desidero. Geographos Elzeviriis excudendos tra-

(1) *Gogavini*. De pessima hac versione cf. Meibom. præf. ad Aristoxenum.

(2) *Scotum*. Editio *Schotum*, quod mutavi.

(3) *expetit*. Et alter alteri circa hoc tempus factus est amicus. Exstat P. Junii ad Meurs. epistola officiorum plena et humanitatis, data prid. kal. nov. 1624.

(4) *R. Montacutius*, vulgo *Montagu*, non *Montague* vel *Moun>tagu*, ut legitur apud Sax. On. t. IV, p. 585, quem de hoc viro vide.

(5) *Chalcidium*: cf. p. 21.

derem , si mihi de eorum animo constaret , quem tu , nisi molestum est , tenta et explora. Illi si editionem recusant , in Gallias mecum deferam , ubi me typographum inventurum spero. Cl. Scriverius , uti ex catalogo nundinorum perspexi , novum promittit Apuleium (1). Contuli philosophica ejus opera sedulo cum Platone , unde pleraque omnia transtulit : quæ observata mihi sunt , si tanti fuerit , proxime ad vos mittam. H. Spelmannus (2) eques , vir optimus et doctissimus , cuius *Αρχαιολογικόν* , sive Glossarium Latino-barbarum nunc imprimitur , plurimam tibi salutem adscribit. Vir ille dignissimus est tua amicitia , quam sollicite ambit. Sed ubi otium erit , prolixius de omnibus tecum agam. Vale , et me ama. Salutat te officiose cl. Jungius (3). Londini (4) a. d. xiii maii ccccxxiv. Tui observantissimus L. HOLSTENIUS.

(1) *Apuleium* , quem edidit hoc ipso anno.

(2) *Spelmannus* : de quo et infra in epist. ad Peirescium data idib. Febr. 1631.

(3) *Jungius*. Forte Joachimus Jungius de quo Sax. t. V , p. 553. Sed vix potuit tunc in Anglia versari , quippe qui Rostochii circa hæc tempora nuptiis celebrandis et auspicanda professione Academica detinebatur : cf. Moll. *Cimbria* t. I , p. 289. Pro *Jungius* puto legendum *Junius*.

(4) *Londini*. Editio *Lovanii* , quod corrigendum fuit.

## VI.

## \* PUTEANO (1).

Parisiros (2).

**ROMAM ut veni, refecit me mirifice conspectus et hu-**

(1) *Puteano* : Petro nempe *Puteano*, vulgo *du Puy*, de quo multi scripsere, et in primis Rigaltius qui ejus vitam latino sermone enarravit. Fratrem habuit Jacobum, notum et ipsum doctrinæ egregiæ et egregiæ in doctos amoris: cf. Lambecii not. infra ad epist. datam 8 kal. jun. 1646. Requierius qui gallice Peirescii Vitam indiligeuter scripsit, hæc habet notanda, p. 165: *Peiresc se consoloit encore en songeant que le soin de la Bibliothèque du Roi avoit passé aux illustres frères Pierre et Jean Pithou*. Nec in *Erratis* nec in indice mendum correxit: legendum enim, *Pierre et Jacques du Puy*. Ex Gassendii latinis bonis gallica fecit non bona. « Solatio fuit », ait scriptor diligentissimus p. 99, « commissa Bibliothecæ cura nobilibus illis atque a eruditis *Petro et Jacobo Puteanis*, Claudi Senatoris Parisiui et filiis. » Eoque magis ridiculus est error iste, quod erat difficilior. Nam in vernacula interpretatione selectorum aliquot nominum priorum quam Gassendius libro suo addidit, diserte et perspicue *Puteani fratres* esse dicuntur *les sieurs du Puy*, *Parisions*. Et p. 208, simili modo peccavit, ut et p. 219 Christophorum Puteanum Cartusianum, Petri et Jacobi fratrem, de quo infra alius erit dicendi locus, *Christophe Pithou* nominans. Semel tamen, sub finem operis p. 345, recte scripsit *les frères du Puy*, meliora edoctus. Cæterum eadem chorda oberravit Vauvillersius qui in vol. primo *Notitiarum Manuscriptorum* p. 526 Jacobi Puteani nomen gallice vertit *Jacques Pitou*: sed serius mendum vidit et corrigendum monuit.

(2) *Parisiros*. In altero codicum hæc lemmata non reperiuntur; in altero legitur *Parisiis*, alias *Aquis Sextiis*, et sic ubique, quod ubique mutavi. Epistolæ ad Lambecium *Hamburgum*, *Amster-*

manitas amplissimi Domini Thuani (1), tum etiam blandus cardinalis nostri (2) vultus, et verba suavissimæ benevolentiae sesamo et papavere sparsa; et nisi me auguria omnia fallunt, non ingratus ipsi fuit noster adventus. Cumque Romana vestis sumenda esset, mei id voluerunt esse arbitrii, aut curtam, aut longam capere. Ego longam prætuli, qua curiales ferme omnes utuntur, quod ea indutos rerum hic potiri viderem; tum ut habitu ipso ostenderem, me nequaquam ab ecclesiasticæ vitæ specie abhorrire, et ita illustrissimus meus Mæcenas id factum interpretari cœpit, qui nupero colloquio beneficii German-

*damum*, præferunt, non *Hamburgi*, *Amsterodami*. Attamen Epistolæ ad Tengnagelium infra apponendæ inscriptio externa apud Kollarium Anal. Vindobon. t. I, p. 1096, exhibet *Viennæ* non *Viennam*. In re dubia, malui id amplecti quod erat melius et Holstenianæ doctrinæ convenientius.

(1) *Thuani*: Francisci Augusti, Jac. Aug. historici illius F., vulgo *de Thou*. « Quantum », Gassendus ait in Vita Peiresc. p. 99, « parens « calamo ex toto orbe descriperat, tantumdem ipse oculis coram « haurire destinabat. » Quam ut expleret videndi et inquirendi sitim, varia suscepit per longinas regiones itinera. Tunc temporis Romæ degebat. Crudelissimo dein fato occubuit, insonis capite truncatus, sævissimi Richelii jussu qui tunc Galliis pro rege erat.

(2) *cardinalis nostri*: Franc. Barberini, quem passim deinceps vocabit *illustrissimum Mæcenatem suum*. Holstenius in hujus cardinalis familiam fuerat adscitus, « cum illius virtus Puteanis commendantibus innotuisset Peireskio, et commendante Peireskio ipsi cardinali Parisiis legato »: ut ait Gassendius Vit. Peir. p. 130. Bredowius Epist. Paris., p. 6, non uno nomine notandus est: « Postquam, inquit, Parisiis se ad religionem catholicam converterat (Holstenius), ut sibi nulla re impedito in Italia ad omnes litterarum thesauros aditus liber et apertus esset, cum cardinali illu-

nici (1) spem haud obscūre ostendebat : et omnia hacten-  
mus satis recte processerunt. Bibliothecæ etiam Vaticanae  
usum illustrissimus cardinalis promisit. Deducent me  
primo quoque tempore Domini Thuanus et Aleander (2),  
hisce enim in omnibus et consiliariis et parariis utor :  
Salveat a me tota illa *vestra Academia* (3), et in primis  
amplissimi viri Grotius , Rigaltius , Salmasius. Nunc im-  
peditior sum , et misere insueti caloris vehementia langueo ;  
alia vice suis sibi litteris quemque salutabo. Roma 1627.  
A. d. vii kal. sexilis. T. addictiss. L. HOLSTENIUS.

« strissimo, Franc. *Barberini*, doctorum patrono quasi cognominato,  
« qui legali munere in Gallia functus erat , a. 1627 , Romam abiit. »  
Sed ex hac epistola patet Holstenium cum cardinale non abiisse  
Romam , et ex epistola ad Peiresc. data d. 9 jun. 1631. gravioribus  
de causis virum ingenii non levem Lutheranismo valedixisse ,  
non vero ut facilior ipsi foret ad bibliothecas Romanas aditus ; quod  
fuisse nimis ridiculum.

(1) *beneficii Germanici* : cf. Epist. VIII , p. 59 , et IX , p. 49.

(2) *Aleander*. Hieronymus Aleander minor unus erat ex cohorte  
Barberini cardinalis, ipsique ab epistolis Latinis. « Aléandre, dont il est  
« ici parlé , étoit l'ami de Peiresc. J'ai les lettres de Peiresc à Aléan-  
« dre , écrites en italien , au nombre de plus de cinquante. Elles sont  
« très-curieuses ; j'ai eu la patience de les traduire. » FAURIS DE S.  
« VINCENS. Cf. Lasenæ Cleomibr. p. 85. Gassend. Vit. Peir. p. 20.  
Bandin. Comment. de Vita Don., p. IX.

(3) *vestra Academia*. Apud Puteanum conveniebant docti omnes  
viri ut et ejus alloquio fruerentur , amplissimamque bibliothecam  
consulerent , libros excerpterent, acciperent et commodatos. Qua de  
Academia cf. in primis H. Valesium Orat. in obitum P. Puteani p. 95.  
et Rol. Maresii Epistolam 55 ad Puteanos , quæ tota est de illorum  
bibliotheca literariisque apud ipsos conventibus.

## VII.

## \* PEIRESCIO (1).

Aqua Sextias.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Nescio qui factum sit, ut, cum diligentissime scribendi occasionem aucuparim, nuper tamen versus mei (2) absque litteris ad te missi fuerint, quod sane factum dolui; cum et fides atque observantia mea in dubium vocari mihi videatur, et informe adhuc carmen ad vos transmitti noluissem. Mitto nunc emendatius uno atque altero loco, ita tamen ut totum cum venia abs te legi velim: intassem plura, nisi præpropera festinatio nimis cito mihi exterrisset. Nunc res integra non fuit, cum et Summo Pontifici, et illustrissimo Cardinali visum lectumque sciam. Jam totus sum in Porphyrio (3) adornando, si per scrupulosam religionem eorum quibus librorum examen hic commissum est, in lucem proferrre liceat. Sequentur deini

(1) *Peirescio*. Nicol. Claud. Fabricio Peirescio, vulgo *Fabri de Peiresc*, viro ad literas scientiasque egregie promovendas nato, cuius laudibus pleni sunt doctorum hac ætate virorum libri. — Vitam ejus fuse descripsit Gassendus Latino stylo, arctius Gallico Requierius: cf. supra p. 30. Vide et Lambec. infra ad epist. datam prid. id. jul. 1646; Bredowium Epist. Paris. p. 6, Colomesium Gall. Orient.; *Marville Méth.* p. 362, etc.

(2) *versus mei*: nempe Hendecasyllabi in nuptias Thadd. Barberini et Annae Columnæ. Rom. 1627.

(3) *Porphyrio*. De hac editione sæpius infra mentio fiet: produxit Romæ a. 1630. Cf. p. 39, 47.

centum Homiliæ (1) SS. Patrum Græcorum , quas ingenti labore ex bibliothecarum latebris erui; quod quidem opus et publice proderit , nisi quid judicans fallor , nec piis doctisque displicebit . De Geographis meis edendis egi coram cum Parisiensibus typographis , nunquam tamen impetrare ab iis potui , ut tantum opus aggrederentur : nunc ultiro petunt sibi remitti , et operam offerunt . Verum cum res geographicæ maximam partem in locorum nominibus et minutis quibusdam versetur , quæ materies omnium maxime erroribus obnoxia est , adesse et præesse memet ipsum editioni necessum est , ne , cum tot annos in auctoribus illis perpurgandis impenderim , librariorum incuria novam errorum segetem recipient : quod Straboni , Ptolemæo , aliusque hujus generis auctoribus , postremis editionibus , acoidit . Videtur illustrissimus noster mæcenas induci posse , ut Romanis typis excudi curet opus , unde haud dubie gloriæ plurimum ad ipsum redibit : ita et mihi accuratius omnia recognoscere licebit , et tabulae geographicæ adjungi poterunt , quarum sumptus Parisienses omnino subterfugiant ; cum tamen oculus , imo anima et vita ea sit geographicæ . Nunc est quod tuam opem ad hoc institutum implorem , quam , pro tua humanitate et affectu erga hæc studia , haud denegabis . Vixit olim in familia illustrissimi cardinalis Armeniaci (2) Petrus Gyllius ,

(1) *Homiliæ*. Multa hujus generis e codicibus descripta possidebat Holstenius : cf. infra epist. Nostri ad Tengnagel. dat. d. 11 jan. 1631 , ubi amplius est catalogus Homiliarum a se edendarum . Athanasii editioni Parisinæ hoc ipso anno vulgatæ egregie profuit Holstenius .

(2) *Armeniaci* : vulgo *d'Armagnac*. Armaignacius vocatur in epistola præmissa libris Gyllii de Bosporo Thracio . Vir ampliss. Fau-

vir in omni doctrinæ genere versatissimus , qui longo et ærumnoso itinere per Orientem libros Græcos manuscrip-  
tos conquisivit ; is , uti haud ignoras , de Bosporo Thracio  
libros tres edidit , aut potius hæredibus publicandos reli-  
quit : quo in opere Dionysii Bysantii , antiquissimi auctoris ,  
*Ἀναπλυς* ejusdem Bospori continetur , sed Latine tantum ex  
P. Gyllii versione ; atqué is in particulas varias disceptus ,  
pro ut Gyllii scribendi institutum ferebat . Eum ego Dio-  
nysii Anaplym in omnibus bibliothecis , quas hactenus vi-  
dere mihi contigit , quæsivi diligentissime , sed frustra .  
Existimabam enim mortuo Gyllo hic in Urbe , libros ejus  
in Vaticanam bibliothecam translatos fuisse ; sed nunc  
cardinalem Armeniacum universam ejus supellectilem se-  
cum in Provinciam vestram detulisse audio , aut Tholo-  
sam , cuius civitatis , ni fallor , Episcopus erat , quod eo  
facilius credo , cum Tholosæ apud Fabrum (1) Ictum plu-  
rimi præstantissimi manuscripti extiterint , et nunc etiam  
apud hæredes ejus sèrventur libri *Βασιλικῶν* et *Annæ Com-*

*risius* hanc notam adscripsit : « Le card. d'Armagnac , légat d'Avi-  
gnon , étoit venu en Provence pendant la ligue . Il avoit été nommé  
« commandant en Provence et en Languedoc , charge qu'il exerça  
« pendant peu de temps . Il fut archevêque de Toulouse et d'Avi-  
gnon , et mourut en 1585 à Avignon , âgé de quatre-vingt-cinq ans .  
« Il n'avoit plus que le titre de co-légat . » Cæterum codex ille Dio-  
nysii , cajos sèpicule mentio fit in sequentibus , quo terrarum angulo  
delitescat , nemo hodie novit . Cf. Bibl. Gr. T. IV , p. 611 .

(1) *Fabrum* : P. Fabrum San-Jorianum , vulgo *P. du Faur de Saint-Jorry* , editis Agonistico et Semestrium libris celeberrimum . De manuscripto codice τῶν Βασιλικῶν iterum infra fiet mentio epist. ad Peiresc. data 7 mart. 1637 , et de Ἀλεξάνδρῳ codice cf. Bibl. Gr. T. VI , p. 727 .

nemæ Alæsiæ, aliisque nonnulli, quorum nomina Parisiis me accepisse memini. Unice scire desidero quid de Armeniaci cardinalis bibliotheca factum fuerit, num ea Tholosæ extet, tum in primis num Dionysius iste Bisanitius adhuc salvis sit: cujus exemplum si nancisci possem, næ ego me mortalium omnium quotquot vivunt felicissimum existimare, cum nullum luculentius monumentum ex ultima antiquitate ad nos pervenerit in topographicis. Tu pro loci vicinia, et ea quæ per universam Galliam tibi cum viris doctis intercedit familiaritate, facile rescire poteris, numquid istic lateat auctor luce et vita immortali dignissimus. Hæc ego eo confidentius abs te contendere audeo, quod tam egregium erga me amorem et benevolentiam omnibus tuis literis testeris, quem arctioreme conciliaturum mihi speravi, si studiorum meorum partem aliquam currandam tibi committerem, quorum causa principio eum erga me affectum induisti. Ego si qua prodesse tuis publicisque commodis possim, totum me offero, cui pro imperio quidvis injungere poteris. Id nunc præterea monendum de consilio cl. Dn. Aleandri, cum de re nautica Mediterranei Maris auxilia conquiras, et per vestiges sedulo qui eam tractarint, extare in Anglia in bibliotheca illustrissimi equitis Roberti Cottoni in suburbio Westmonasteriensи descriptionem Latinam totius interni maris, et omnium portuum atque distantiarum longe accuratissimam, Pisani (1) cuiusdam, ante quadringentos vel quin-

(1) *Pisani.* Innuitur, puto, liber qui sic describitur in Catalogo Bibliothecæ Cottonianæ p. 135, XIII, 10. « De existentia Viveriarum & et forma Maris Mèditerranei quod dividit Libyam et Europam et

gentos annos confectam , quæ institutum tuum , ni fallor , multum adjuvare posset. Deseribit enim situm , oportunitatem , jura , cæteraque cujusque loci , tum cui dominopareant. Impetraveram mihi aliquando describendum ; sed quod alia multa Græca , tum præ manibus mihi essent ex Regia et Is. Casauboni bibliothecis , tum quod prolixius id opus esset quam ut ab occupatissimo transcribi posset , solam præfationem et generalem totius interni maris περιγένειαν inde excérpsi. Haud invitus ad vos codicem ipsum transmittet , sì quis ex familia Reginæ fidem Londini interponat : scio enim eum præstantissimos codices P. Frontoni Ducæo (1) non semel transmisisse. Hæc voleham nescius ne essem. Ignosces prolixitatē litterarum. Transmittam proxime syllabum Geographorum meorum (2) , si forte eum videre aveas. Vale , illustris domine , et tua benevolentia constanter me fovere perge. Romæ ccccxxvii. A. d. xi kal. octobris. Ill. d. v. observantissimus servus , LUCAS HOLSTENIUS.

« de distantia lōcorum ejus. » Ex collatione Appendix Casleyana p. 316 , credo hunc librum non perfuisse in illo incendio quo Cottolianæ Bibliotheca deflagravit d. 23 oct. 1731. — Cf. infra p. 46.

(1) *Frontoni Ducae* : vulgo *Frontan du Duc* , jesuitæ , Joh. Chrysostomi editori , de qua , præter alios , cf. Marollii *Mém.* , t. I , p. 112 ; t. III , p. 271 , 280 ; et de commodatis Ducae à Cottone cedibus vide Gassend. *Vit. Peiresco.* , p. 103.

(2) *syllabum Geogr. meorum*. Vide epist. X.

## VIII.

## \* PUTEANO.

Parisios.

AMPLISSIME DOMINE,

Perjucundum mihi accidit, ut eodem tempore et responsum abs te et amantissimas a Dn. Peirescio litteras acciperem, quibus uti certare vosmet et contendere video benevolentia erga me atque egregia voluntate; ita mihi dispectu haud facile, utri plus me debere existimem: nam seu tuam humanitatem cogitem, qui, cum ipse nullum amoris atque optimi affectus argumentum reipsa non ostenderis, quasi parum egisses, tanti viri dignitatem in partes advocasti, cuius autoritatem mei causa apud illustrissimum cardinalem interponeres; seu facilitatem ejus spectem, qui exterum invisum sibi atque incognitum arctissimo affectu complexus, tanto studio commendandum (1) fovendumque suscepit: mirificam utramque et summam esse video, ut nec accedere ad eam aliquid amplius, nec a me ea qua par est animi observantia agnoscit possit. Et quidem postremis Dn. Peirescii litteris maxime confirmatam sensi illustrissimi cardinalis voluntatem:

(1) *commendandum.* « Nec reticendus Lucas Holstenius Hambur-  
censis, eruditorum ocellus, qui est etiam non longe post in ean-  
dem adscriptus familiam (*Franc. nempe Barberini cardinalis*),  
« cum illius virtus Puteanis commendantibus innotuisset Peirescio,  
« et, commendante Peirescio, ipsi cardinali legato. » Gassend. Vit.  
Peiresc., p. 130.

nec obscuris id signis ostendit multum ejus autoritatem apud se valere ; nec dubito quia prima occasione bonum mihi prospecturus sit locum , ut animo a curis vacuo studia excolere liceat. Obtulit mihi nuper canonicatum Mindensem , opimum beneficium ; at ego terræ filius (1) , avita nobilitate destitutus , id ipsum recipere non potui. Qui enim locus mihi esse posset cum Cæsaris et Daniæ regis filio , et principibus aliquot Germanis ? Et ita quidem , quod proverbio est , *λύκος ἵχεν* (2) ; nam Superum voluntas favit , sed fato improbo. Verum multo mihi potior est tam promta voluntas illustrissimi cardinalis quovis tandem beneficio : scio enim serio eum velle , ut mihi quam primum prospiciatur. Vaticana bibliotheca utor pro libitu ; adeo tamen rarius , cum longum eo iter sit ex Quirinali Monte (3). Hortatur me illustrissimus cardinalis quotidie ut aliquid opuscularorum meorum in lucem edam ; et jam totus sum in perpoliendo Porphyrio de Vita Pythagoræ et Occasionibus , cum aliis nonnullis ejusdem notæ , quæ meliora atque auctiora ex Vaticana bibliotheca nactus sum. Sacra enim illa (4) , quæ apud vos collegi , et Geographica mea junctim uno syntagmate dabo. Dn. Hieronymo Aleandro.

(1) *terræ filius*. Patre natus erat tintore : cf. Moll. Cimbr. , t. III , p. 321.

(2) *λύκος ἵχεν*. Quo de proverbio cf. Erasmi Adag. II , 3. 58 , Price ad Apol. Apul. p. 205 , Mercer. ad Aristæn. II , 20 ; collato Huschke Anal. crit. , p. 15.

(3) *ex Quirinali Monte*. Barberinorum palatum situm est in Monte Quirinali , vulgo *Monte Cavallo* ; Vaticana autem bibliotheca in Regione Transtiberina.

(4) *sacra enim illa*. Homilias nempe de quibus supra p. 34.

multum debo ob affectum quo me prosecuitur: serio ille res meas agit apud illustrissimum cardinalem, nec puto candidiorem animam Romæ reperiri: is mihi unus est iuster omnium, cum quo de meis rebus studiisque conferam, et sane familiam ducit inter litteratos, quotquot hactenus mihi cognoscere licuit in hac aula. Dn. Thuano morbus manum injectit, et puto itineris Thracici spem decollasse; habet monstrosam et larvalem faciem, exanthemasi prorsus oppletam: metus nullus est; nam vires rectissime constant, ut vix quemquam viderim in tali morbo rectius valentem: quo circa non est cur vano timore cognati animum sibi excrucient. Domo hactenus nihil litterarum a meis accepi: audio omnia istic flagrare bello, et patet quoque meam, si non flamma, saltem spisso ejus fumo vexari. Degebat apud vos civis meus Petrus *Hauptzweig*, qui parentem habet senatorem; ideoque quia minima maxima uovit, cuperem eum moneri, ut sedulo de patriis rebus ad me prescribat, et in primis quid Cæsar cæterique catholici a nostris petant: ea res multum consilia mea adjuvaret. Salutem, ni grave est, humanissimam meo nomine nunciabis ampp. viris Dn. Grotio, Rigaltio et Salmatio, cæterisque de Academia vestra (1), quorum memoriam jucunda recordatione quotidie recolo. Salutat vos amicissime Dn. Aleander. Vale, vir amplissime, et me ama. Romæ 1627. vi kal. decemb. Observantiss. LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *de Academia vestra*. Cf. supra p. 32, not. 3, et Medonii Orat. in obit. P. Puteani p. 137.

## IX.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

ILLUSTRIS DOMINE,

Gratissimæ advenere mihi postremæ tuæ, quæ exoptatissimo nuncio non solum me, sed omnes quotquot Romæ bonas litteras atque eruditam antiquitatem aestimant, prorsus bearunt. Nam uti par erat, illustr. cardinalem atque Dn. Aleandrum ejus gaudii particeps fecere (1), quibus volupe fuit intelligere hujusmodi thesauros (2) quotidie in lucem protrahi. De auctore omnino tibi assentior,

(1) *fecere*. In hac scriptura conspirant codices. Labare videtur constructio; forte aliquid omissum est, vel Holstenius lapsu calami pro *fecerit* scripserit *fecere*.

(2) *thesauros*. Agitur de Excerptis Constantini Porphyrogenetæ ex Polybio et aliis. « Obtinuit, » Gassendius ait Vit. Peirescii, p. 132, « nominatim ex Cypro præclarum volumen Πεπί ἀπετῆς καὶ « κακίας, Constantini Porphyrogenetæ continens Excerpta ex Polybio, Diodoro, Nicolao Damasceno, aliisque historicis, ex quibus possent variae auctorum nobilissimorum suppleri lacunæ. Incredibile autem dictu quam pro nihilo duxerit ducentas Turonicas libras numeratas in pretium, vel ex eo quod est conjectatus ipsissimum esse exemplum quod Imperator sibi habuerat, ob characterum formam nitoremque, ob compactionis elegantiam, ob præclara carmina in illius laudem præfixa. » Cf. Requierius *Vie de Feir.*, p. 223; H. Valesius in epistola qua horum Excerptorum editionem an. 1634 Peirescio dicavit; Colomesius, *Rec. de Particul.* init., et Gassendius rursus, p. 183.

quem Constantimum Porphyrogenetam esse recte conjicis; et multa mihi de isto ἐκλογῆς genere, quas χρυσόμαθειας vocant, notaram in meum usum, Excerptis Strabonianis præfigenda. Constantino puto plerorumque omnium auctorum Græcorum exitium interitumque (1) adscribendum, qui rationem consarcinandi et deflorandi apud Græcos induxit, post Stobæum et Maximum. Nam non ea solum excerpta quinquaginta et aliquot capitibus (2) complexus est, quorum exigua pars ad nos pervenit, de Legationibus, de Re Rustica, et Πεπὶ ἵππιατρικῆς, et similia; sed ex omnibus Græcæ Latinæque historiæ auctoriis Græcis unum continuum σύνταγμα concinnavit: quod olim me observasse memini ex scholio quodam Græco, quod Appiano suo præfixit Henr. Stephanus (σχόλιον illud Græcum vel Appiano vel Dioni Cassio præfixum est: nec enim satis memini (3) utri eorum, neque hic in aula mihi eorum copia

(1) *interitumque*. Vide quid de hoc senserit Valesius in Epistola modo laudata.

(2) *quinquaginta et aliquot capitibus*: nempe LIII, inter quæ caput de *Legationibus* 27<sup>um</sup>. numero fuit. Sed utrum collectanea illa de Re Rustica, nempe Γεωπονικὰ, et alia Πεπὶ ἵππιατρικῆς inter hæc capita locum habuerint, dubitari potest. Jussu quidem et auspiciis Constantini digesta sunt, ut et Nonni *Medica Epitome*, et alia, sed non puto fuisse LIII capitulum collectioni inserta. De Constantini hisce Capitibus cf. Bibl. Gr. Harl. T. VIII, p. 7 sqq.

(3) *nec enim satis memini*. Stephani Dionem et Appianum ipsos inspicere non potui; sed in Dione Reimariano tale scholium non reperi, nec in Appiano Schweighæuseriano. Forte voluit Holstenius indicare Anonymi cuiusdam verba quæ Schweighæuserus Appiani tomo III, p. 10, inter Testimonia inseruit. Illa quidem ibi non monentur quæ

est ut inspiciam ), quo inquitur ordo auctorum in lectione servandus : scilicet ut *Ιωνίας* loco universæ historiæ Græcæ præmittantur quinque primi libri Diodori Siculi, sequatur deinde Herodotus, hinc Thucydides, inde Xenophon, postea Arrianus, tum reliqua Diodori; in Romanis rebus eodem modo Dionysius Halicarnassensi subjungatur Polybius, Appianus, Dion Cassius. Hoc ineptum fuit consilium Constantini, cui tam ingens antiquitatis naufragium debemus : nam Leonis Sapientis tempore et Photii patriarchar. plerosque omnes antiquos auctores integros extitisse ex Bibliotheca apparebat quam Photius concessit. Idem Constantinus, ni quid judicans fallor, Strabonem opprimere conatus est, concinnata illa Epitome (1), quæ etiam ho die edita extat : cuius meæ sententiae rationem hanc potissimum habeo, quod in antiquissimo Ms. Palatino (2) Constantini ævo scripto, unde Gelenius olim edidit, eadem forma crassissima, et litteris majusculis passim interstincto, passimque rerum summis in margine iisdem capitalibus literis adscriptis, reperiatur in principio operis pars Descriptionis Ponti Euxini quæ ex tribus antiquis auctoribus in unum consarcinata est, Arriano scilicet, Menippo, sive qui Menippi Μενίππου ad verbum transcripsit Marciano Heracleota, et Anonymo illo Periegete iam bico, cui male Marciani quoque nomen præfigitur. Primam

refert Holstenius; sed dixit se *non satis meminisse*, et forte hic memoria falsus fuit.

(1) *Epitome*. Sed posterior esse videtur ævo Constantini. Cf. Bibl. Gr. Harl., t. IV, p. 573.

(2) *Ms. Palatino* : illo ipso, quem descriptis accuratissime Bastius olim meus in *Epistola critica* : cf. p. 47 ejus libelli.

partem hujus Peripli reperi in alio Ms. Vaticano chartaceo recentiori ad Phasin usque fluvium; Palatinus codex incipit dein ab ostio Paludis Maeotidis, seu Bosporo Cimmerio, Byzantium usque, ut pauca tantum intermedio isto spatio desint: de quo opere diligentius scribam in catalogo Geographorum (1). Hoc opuscolum Dn. Salmasius olim transscripsit Heidelbergae, qui nescio qua de causa non uno loco id citat nomine Περίπλος Paludis Maeotidis Arriani (2). Subjungitur deinde, post Κυνηγετικὸν Arriani (3), Συναγωγὴ παραδόξων Phlegontis, Antigoni et Apollonii; neque enim ipsa auctorum opuscula ea sunt, quæ Xylander olim ex eodem Mto. publicavit (4), et post eum J. Meursius, sed ἵκλογμα Constantini, et puto haec constitutere Caput παραδόξων (5). Subjungitur deinde collectio Epistolarum philosophorum, rhetorum, aliorumque (6),

(1) *catalogo Geogr.* Cf. epist. X, §. 14.

(2) *citat nomine—Arriani*: verbi gratia, ad Scriptt. Hist. Aug. p. 387, 1, ubi editionem hujus Περίπλου promittit, quam ipse quidem non dedit; sed, eo mortuo, prodiit ex ipsius apographo, Is. Vossii curis. Cf. Bast. Epist. Crit. p. 4, et Holstenium supra p. 11.

(3) *Kynhy. Arriani.* Cf. Bast. Epist. orit. p. 34.

(4) *Xylander—publicavit*: anno nempe 1568: cf. Bast. ibid. p. 59.

(5) *Caput παραδ.* Et fuit quidem inter Capita illa Constantini unum περὶ παραδόξων. Ipse enim compilator Augustus in Excerptis ex Polybii l. XXIV, t. IV, p. 304. Schweigh. haec habet: ξέτῳ ἡ τῷ Περὶ παραδόξων.

(6) *Epistolarum—aliorumque*: Hippocratis nempe, Themistoclis (quas statim nuper hic prodiisse dicet Holstenius, editionem innuens Romanam an. 1626 a M. Caryophyllo curatam), Diogenis (inter quas sunt illæ hucusque iueditæ, mox a me promendæ in

inter quas et Themistoclis illæ extant, quæ nuper hic prodiere. Sed et Epitomen illam *Eπιτομὴν* Stephani mutilam atque laceram ejusdem Constantini studio confessam existimo, quam alii nescio cui Hermolaus Justiniane ævi grammatico trihuunt (1) : sed ex *Thetaumatō* opusculo et altero illo de Administrando Imperio satis liquet extitisse Constantini ævo integrum salvumque Stephanum (2), quod abunde probare possem. Tum et *σύγγραψη* illud Minorum Geographorum, quod Hæschelius edidit (3), ex eodem Constantini ludo prodit : quod haud facile quis negabit, qui Marçiani *Περὶ πλανῶν* libros duos legerit, passim truncatos. Et argumento mihi est codex Ms. Palatinus (4), unde cætera exemplaria promanarunt. Is codex recens est, scriptus aut a foemina, aut saltem a Græculo omnis hellenismi imperitissimo ; sed litteræ, quantum ferebat

decimo vol. Notitarum Manuscriptorum), et Brutus : cf. Bast. Epist. crit. p. 96. Ex hoc loco patet Holstenium codicem non ea qua par erat diligentia tractasse. Nam qui potuit *collectionem epistolarum philosophorum, rhetorum, aliorumque, quatuor virorum epistolas vocare, quorumque nullus fuit rhetor?* Agi crederes de Aldina illa et Genevensi vasta farragine.

(1) *tribuunt* : et quidem ex fide Suidæ. Cf. Bibl. Gr. Harl., t. IV, p. 622.

(2) *salvumque Stephanum*. Quid hoc ad rem ? Potuit Hermolaus sub Justiniano Stephanum in compendium redigere, et tamen Stephanus integer a Constantino legi. Num peribant et e rerum natura evanescebant integra auctorum volumina, statim ac male feriatus aliquis epitomator illis manus inferebat ?

(3) *Hæsch. edidit*, anno 1600 : de quo Syntagmate cf. post alias Bredow. Epist. Paris. p. 4; et infra Epist. X, §. 4.

(4) *Palatinus* : cf. Bibl. Gr. Harl., t. IV, p. 614.

scriptoris genius , efformatae ad speciem antiquae illius scripturæ , quæ media est inter unciales , sive capitales literas , et minutæ istas recentiores , quibus posterioribus hisce seculis librarii Græci usi fuerunt ; ut manifeste (1) appareat codicem antiquum scriptum fuisse ævo illo Constantiniano . Sed hæc forsitan nimis prolixe et præter rem a me scribuntur . Hoc vehementer te rogo ut quam primum in lucem proferas Nicolai , Polybii , et Appiani Fragmenta (2) , cæteraque bonæ notæ et frugis , quæ commode Photii Μυριοβιβλια adjungerentur , si id opus recuderetur paulo diligentius : quod consilium Andr. Schottum jamendum animo agitare (3) scio . De Dionysio (4) Bysantio optima me sperare jubet incredibilis illa tua sollicitudo et diligentia . Si cœpto nostro bona sors faverit , ut is auctor alicuode in lucem retrahatur , videbis saue non indignum fuisse , cuius causa tantum laboris sumeretur . Gyllii Epistolam (5) Londini ex Ortelianis schedis ante aliquot annos descripseram , quæ penes mercatorem Belgam Ortelii ex sorore nepotem extant . Sed operæ pretium fuit tuum exemplar vidisse , quod Ortelianum tuo vitiosius sit non uno in loco . Principium Portulani (6) Pisani Dn.

(1) *manifeste*. Hoc non est *manifestum*. Argumento parum valido nititur Holstenius.

(2) *Nicolai—Fragmenta* : Excerpta illa Constantini de quibus epistole initio actum est.

(3) *animo agitare* : agitavit animo , et perfecit satis quidem mediocriter.

(4) *Dionysio* : cf. pag. 11. 35.

(5) *Gyllii Epistolam* : forte itinerarium illam magisque momenti epistolam a Burmanno editam Syllogi , t. II , p. 232.

(6) *Portulani* : cf. supra p. 36.

*Aubri* (1) ad te mittet, qui transcribendum a me petuit tuo nomine. Haud difficile erit ipsum exemplar a Cottono impetrare, ni tumultus recrudescens belli impedian. Porphyrius meus nunc sub prelo calet, imo friget verius, ita lente procuditur: vix tria folia integro mense absolverunt aut quatuor. Conjunxi Vitam illam Pythagoræ, qui est Liber primus τῆς φιλοσοφίας ἰσερίας, et Sententiarum libellum ex Plotino ferme collectum, quas ἀφορμὰς πρὸς τὰ νερά vocant, tum Expositionem Antri Nymphaeum, ut libellus cum notis in justam aliquam magnitudinem excrescat. Sequetur deinceps Vita Procli auctore Marino media parte auctior (2) quam hactenus edita fuit, cum Choricii sophistæ declamatione funebri in Procopium Gazæum sophistam: sane quam elegantem, nec injuria a Photio laudatam (3) invenies. Geographorum catalogum proximis litteris tibi mittam diligenter confectum, ut totius instituti mei rationem perspicias, et tuo consilio auxilioque juves. Dn. Remmii (4) elegantissimum inge-

(1) *Aubri*: *Aubri du Mesnil*, qui erat Barberino cardinali familiaris, « cujusque Peirescius fuerat varia officia tam Parisiis quam Romæ expertus », teste Gassendio Vit. Peir., p. 126.

(2) *auctior*: auctiorem dare multi voluerunt; Fabricius tandem dedit an. 1700, nec diligenter multum; nuper ego Lipsiæ paulò diligenterius.

(3) *a Photio laudatam*. Non diserte a Photio laudatur: cf. ejus Bibl. cod. 160, p. 337. Hanc editionem Marini et Choricii denuo promittit Holstenius in libello de Vita Porphyrii, p. 6; sed promissis non stetit. Choricii oratio edita est a Fabricio in t. VIII, editionis prioris Bibl. Gr., p. 841.

(4) *Remmii*: ejusdem quem mox appellabit *Remigium*. Baileetus, t. IV, p. 244 illum vocat *Remy*, aitque cognomen ipsi suisse

nium satis mirari et exosculari nequeo; placuit mihi in primis facilitas carminis et nativa elegantia. Sæpius ad vos malos et insulsos meos mittam, si hamato munere pro æreis aut plumbeis aurea istius modi à vobis sperare liceat. Primus ego illustrissimo mæcenati nostro exemplar tradidi, quod summa cum voluptate me præsentे uno spiritu legit. Mittam proxime hendecasyllabos (1) et iambos, quibus furori nescio cuius invidi mederi conatus sum: his vos suppliciis remunerabor. Nunc me epistolæ modum explevisse video: finiam si *τιαγγίλια* subjunxero, quæ pro tuo in me affectu non ingrata tibi futura spero, nec cæteris nostris amicis, quorum studia et benevolentiam in juvando me atque promovendo ~~mirifico~~ in Galliis perspexi. Ante paucos hosce dies contulit mihi Sanctissimus Dn. noster, curante illustrissimo cardinale, cano-

*Ravaud*; immo, ut videtur, nomen fuit *Ravaud*, et cognomen *Remi*, a pago *Remi* unde fuit oriundus: cf. Menag. *Anti-Baill.*, §. 133, p. 177. Barbier. *Dict. des Anonym.*, n° 11099: quibus adde Goujet. de Collegio Regio, t. II, p. 417, et Maroll. *Mémoires*, t. III, p. 541. Remmius autor est elegiæ *De urbis et ruris differentia*, quæ pessimis fœdata interpolationibus sub Racini nomine non semel edita est: quo de errore vide Barbier. I. c. et Granet. *Réflexions* etc. t. VIII, p. 59. « Ce Rémi, dont il est souvent question dans la correspondance de Peiresc, étoit un poëte chargé de l'éducation des enfans de Vincent-Anne de Forbin d'Oppède, premier président du parlement d'Aix: il est mort professeur d'éloquence au Collège Royal à Paris. » FAURIS DE S. VINCENS. — Inter Remmii poemata reperitur p. 51. *Epithalamium Thaddæi Barberini et Annae Columnæ*, quod, ni fallor, respicit Holstenius.

(1) *hendecasyllabos*, quos vide ad calcem epistolæ XI.

nicatum cathedralis ecclesiæ Bremensis (1), in quo collegio et Cæsaræ et Daniæ regis filios cum aliis principibus collegas habeo; tum scolastriam ecclesiæ cathedralis Lubecensis, cum adjuncto canonicatu in alia quædam ecclesia ejusdem dioceses, et duo simplicia beneficia in eadem cathedrali Lubecensi; quæ beneficia morte satrapæ (2) cujusdam Bremensis vacarunt. Ea cum a diversis serio peterentur, Sumamus Pontifex mihi uni nihil tale cogitanti et inscio omnino, imo dormienti, contulit. Nam ex lecto summo mane me evocarunt in aulam, quem tot beneficiorum lætissimo nuntio mactarent. Litteræ apostolicæ intra biduum mihi gratis fuere expeditæ illustrissimi cardinalis beneficio, et ad Heripolensem episcopum, Franciæ Orientalis principem, missæ, ut is porro eas in Inferiorem Saxoniam curaret certo cursore: adjunctæ etiam fuere litteræ illustrissimi cardinalis, et legati Cæsaræ, et agentis in rebus Bavanicis, ad Dn. *Tilly* et comitem Anhaltinum, exercitus catholici duces per Inferiorem Saxoniam, ut suam auctoritatem interponant apud archiepiscopum Bremensem et capitulum, ut tranquilla mihi possessio paretur; uti etiam ad senatum et capitulum Lubecense: scilicet tanti erat Romam commigrare! Ubi bellorum frægor ille detonuerit, qui nunc Saxoniam nostram premit, paratum habebo honestissimum locum in patria et apud meos, ubi vitam in litterarum studio tran-

(1) *Bremensis*. Hunc canonicatōm et beneficia alia hic recensita Holstenius nunquam possidere potuit, ob bella quibus tunc Germania vastabatur, et posthac ob rerum publicarum conversionem. Cf. p. 31, 32, et infra epist. XI, coll. Moller Cimbr., t. HI, p. 323.

(2) *satrapæ*: Gerh. Ranzovii, ut videtur. Cf. Moll. l. c.

quillam et securam degam. Hujus beneficii partem maximam tibi debo tuisque litteris humanissimis, quibus illustrissimi cardinalis animum mirum in modum concitasti, ut vestre expectationi et propenso affectui, votisque amicissimis benevolentia respondere, imo superare omnium spem quam longissimo intervallo conaretur. Amicis Parisiensibus gratissimus quoque hic nuntius accidet, quibus proxima occasione id significabo. Nunc aliud quod te rogarem habeo. In itinere meo detuleram mecum riscum seu vidulum Parisiis Lugdunum, refertum vestibus, linteis et aliquot libris: eum ego Lugduni in diversorio *Trium Regum*, economo illustrissimi cardinalis Spadæ commisi, ut cum cæteris impedimentis secundo Rhodano Massiliam deferi curaret, atque inde post maritimo itinere Romam. Sed postea nec Genuæ nec Romæ is riscus repertus fuit, nescio utrum Lugduni an Massiliæ neglectus a supino et negligentissimo mortali, an forte in triremi regia relictus, cum Genuæ sarcinæ omnes navigio onerario imponebantur. Incluseram illi manuscriptum commentarium D. Athanasii in *Psalmos*, quem R. P. Schottus ad me miserat ex Belgio, transcriptum ex Augustana bibliotheca multorum aureorum pretio. Ejus libri jactura non parum me hactenus sollicitum habuit, quem amicus fidei meæ commendarat. Rogavi illustrissimum cardinalem Spadam, ut operam daret si qua pervestigari posset, et ultiro hoc receperat: sed hactenus nescio num quidquam allaboravit. Facile esset rescire a bibliopolis num is liber venum oblatus fuerit; et ut signa sive γνωρισματα certiora accedant, erant in eodem vidulo Glossæ Servii MSS., quas habueram ex bibliotheca Jos. Scaligeri; Occonis Numismata

in 4°.; Longi *Pastoralia* G. L. 8°; Josephi Gorionis *Historia Judaica Latine* 8°. Basil.; tum C. Tacitus, J. Cæsar, Val. Maximus, Statius, Petronius Arbiter, aliquique multi auctores minutioris formæ, editionis illius Amstelodamensis. Cætera omnia nauci non facio; solus me Athanasius male habet, quem P. Schottus jam non unis litteris a me repetuit. Liber scriptus erat in 4°., nullo tectus corio: insertus erat textus Psalmorum Græco-latinus editionis Plantinianæ in 12°., et præmissa P. Schotti epistola sub meo nomine. Ego neminem habeo, nec in Provincia vestra, nec Lugduni, a quo contendere possim, ut inquirat fugientem illum Athanasium, quam operam, publici boni causa, libens, uti spero, sumes. Triremis regia Telenensis insignitur nomine Phoenicis; nauarchus erat eques Melitensis, cuius nomen ignoro. Ego vicissim tui causa libentissime operam meam insumam, si qua studiis tuis prodesse queat. Vale, illustris Domine, et me ama. Romæ a. d. iv februarii  
cœloccxxviii. Ill. dn. v. addictissimus **LUCAS HOLSTENIUS.**

## X.

## PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

**PERILLUSTRIS DOMINE,**

Promisi superioribus meis (1) accuratum Græcorum Geographorum catalogum, quos ex variis bibliothecis hac-

(1) *superioribus meis*: cf. p. 47.—Hæc ipsa epistola jam innotuerat olim viro doctissimo de Sainte-Croix, qui pluscula ex ea fragmenta aduluit in Diario doctorum apr. 1789, p. 217 sq. Integrum illam edidit b. Bredeowius inter Epistolas Parisienses, p. 9, ex autographo quod vir clariss.

tenus conquisitos in unum *σύγραμμα* compingere statui.  
 Eum nunc mitto, cum otii aliquid ad scribendum nactus  
 fuerim, unde totum meum institutum, et editionis con-  
 silium facile perspicere poteris: hoc te rogans, ut, ac-  
 curate singulis expensis, me moneas et suggeras si  
 qua accessione augeri atque ornari hanc studiorum par-  
 tem posse putaveris; et si quæ latere in bibliothecis vel  
 publicis, vel privatis amicorum noveris, ea eruere in mei  
 et publicæ utilitatis gratiam studeas: neque enim (1)  
 quemquam mihi mortalium hactenus videre contigit, qui  
 te antiquitatis cognitione superet, vel per vestigandi dili-  
 gentia et felicitate æquet. Si studium hac in re meum  
 atque conatum probaveris, rogo ut commoda occasione  
 illustrissimo cardinali (2) tuis litteris sedulo id institutum  
 commendes, ex quo non misorem ipse laudem famamque  
 sperare poterit, quam alii potentissimi reges atque prin-  
 cipes, qui Orteli et Mercatoris eonatus foverunt.

Fortia ab Urbano ipsi commodaverat. Mirari autem subit quod Bre-  
 dowius nescierit hanc epistolam fuisse jam ab ipso Fortia editam et Gal-  
 lice versam p. 270 operis cui titulus, *Plan d'un Atlas historique  
 portatif*. Catalogum geographicorum operum ab Holstenio edendo-  
 rum, nudum observationibus, edidit, post Lambecium, Kollarium  
 in Anal. Vindob. t. I, p. 1110. Hunc indicem Lambeccius corollarii  
 loco adjectum invenerat epistolæ, infra legendæ, Holstenii ad Teng-  
 nagelium, data d. 11 jan. 1631; et ex Lambeccio repetiit Fabričius  
 Bibl: Gr., t. IV, p. 683. Harl. Indioem alium supra vidimus p. 18 seq.

(1) *neque enim—æquet.* Hanc sententiam ex autographo Hol-  
 stenii adtulit Gassendus Vit. Peiresc. p. 133.

(2) *cardinali*: « Barbarini, in cujus domo Lucas Holstenius  
 « inde ab a. 1627 Romæ vitam degebat, munere scribæ et bibli-  
 « thecatii fungens. » BREDOV.

Primo ergo loco ponentur aliquot opuscula , quæ καθελκαῖς de terræ situ scripsere qui (1) εἰρηγοῦντες instar erunt ad geographiæ cognitionem.

§. 1. Michaelis Pselli (2) opusculum de Terræ situ , figura et magnitudine , quod in aliis quoque MSS. Nicephoro Blemnidæ (3) adscriptum reperi , sub cuius nomine descripsoram in Britannia ex bibliotheca Græca mathematicorum , quam illustrissimus Henricus Savilius Oxoniensi bibliothecæ adjunxit ; sed auctius et emendatus reperi sub Pselli nomine apud R. P. Jacobum Sirmundum . Incipit : ἡ γῆ τὴν μίσην τῷ πάντος ἔλαχι χώραν . Finit : διὸ γελοῖος πάντως ἐσὶν ὁσος κυκλοπερῆ τὴν οἰκουμένην γράψουν . Totum opusculum est 6 vel 7 foliorum in 4°.

§. 2. Ἀγαθημίρις (4) τῇ "Ορθανος γεωγραφίᾳ" ἐποπύκωσε : cuius fragmentum mihi Londini ex cl. Casauboni bibliotheca suppeditavit Patricius Junius (5) , Regis bibliothecarius : sed integrum postea desoripsi ex tribus regiis codi-

(1) *scripsere qui*. Bredowius edidit *scripser..... qui*, hancque notulam adposuit : « Sensus verborum conjectamus ; conjunctio & grammatica a scriptore neglecta est. » Codices mei et Editio Fortiana præbent *scripsere* , unde sensus fit integer satis , phrasis inelegans.

(2) *Michaelis Pselli*. Cf. Fabric. Bibl. Gr. , t. X , p. 82 ; *Sainte-Croix* , l. cit. p. 245 , 29.

(3) *Nic. Blemnidæ*. Cf. supra p. 19 , et Fabric. Bibl. Gr. t. IV , p. 669 , atque in primis Bredowium Epišt. Paris. p. 43 , 60.

(4) Ἀγαθημίρου. Cf. supra p. 18 et Fabric. Bibl. Gr. t. IV , p. 625. Sancto Crucius , l. e. errare videtur narrans Holstenium quinque usum fuisse codd. , qui sex habuerit. Cæterum Agathemerus nuno qđitus est.

(5) *Patr. Junius*. Cf. supra p. 8.

## HOLSTENII

cibus Lutetiae. Est egregium opusculum, et ex optimis antiquis auctoribus confectum, quibus nunc caremus. Puto vixisse ante DCC, vel DCCC annos, cum Damascenus integrum aliquot capita inde transcripserit in libros de Orthodoxa Fide. Emendavi id nuper ad Palatinum (1) et Altempsianum (2) exemplar. Incipit: Ἀνακριμάδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκετῆς Θάλεω, πρῶτος ἐπόλεμος τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψας. Finit: Λέιβα περιμετρος ἡρ' (3). Est xviii foliorum græco-lat. in 4°.

§. 3. Ἀνακριμάς Τπετύπωσις γεωγραφίας ἐν επιτόμῳ. Ejusdem notæ opusculum (4) cum præcedenti, repertum in iisdem regiis MSS. Sequitur in omnibus fere Ptolomæum. Emendavi ex optimo codice Altempsiano. Incipit: ἡ τῆς ὄλης γῆς περιμετρος. Finit: ἡ μὲν δὴ καθ' οὐμᾶς θάλασσα τοιεύτη. Distinctum est in xiv capita, et continet folia xxiv Græco-lat. in 4°. Hoc opusculum ita placuit P. Bertio, ut conatu mihi extorquere studuerit, ut Breviario suo geo-

(1) *Palatinum*: tunc Vaticanum, illud forte qui in catalogo Sylburgii notatur numero 62.

(2) *Altempsianum*. « Farnesiana procul dubio (bibliotheca) jam aperta est, quæ loco, quo Romæ egi, tempore clausa fuit, uti quoque illa cardinalis de *Altaempis*, quas præ reliquis instructissimæ esse arbitror »: Voss., epist. ad N. Heinsium in Burm. Syll., t. III, p. 566. Cf. *Le Gallois, Traité des Biblioth.*, p. 107 et Fortia V. Cl. notam.

(3) *αριμ. ἡρ'*. Vir doctus credidit ex hoc loco Hudsonianum Agathemerum Holsteniano esse minus integrum, quod Lesbi circuitus in illo non reperiatur. At verba ista A. *περ. ἡρ'*. leguntur in ipso fine capitil 5, libri primi, p. 17. Alia fuisse videtur textus dispositio in codicibus ab Holstenio inspectis: cf. not. 2, p. 55.

(4) *opusculum*: cf. *Sainte-Croix*; l. c. p. 245, 30.

graphieo subjungeret *ἰπτομὴν* hanc admodum concinnam, et publice prælegeret auditoribus suis.

§. 4. Anonymus (1) de Describenda terra in globo, ex mente Ptolomæi. Habui ex regia bibliotheca, sed corruptissimum, et absque schematibus mathematicis, in quorum demonstratione totum opusculum consistit, nec intelligi potest absque illorum ope: id quodque ex Altempsiana emendavi, ubi et figuræ illas descriptas reperi. Incipit: *τὸν τεχνικὸν Πτολεμαῖον* (2). Est xii foliorum cum Latina versione in 4°. Hæc opuscula hactenus lucem non aspexere: quibus deinde subjungam vii illa quæ Hœschelius (3) publicavit; sed ita emendata, ut plane nova videri possint: nihil enim corruptius unquam prodiit. Sequentur autem hoc ordine:

§. 5. Marciani Heracleotæ *Παρίσταντος* lib. II. Auctor hic σύγχρονος fuit Synesio (4), qui epistola centesima ad Pylæmenem rhetorem Heracleotæ Marciani meminit. Totum (5) hoc opus concinnatum est ex uno Ptolomæo; quo circa jactura aliquot capitum facilius et æquiori animo ferri potest, tum lacunæ ingentes singulorum ferme capitum. Solum ego ultimum caput desidero de distantia præci-

(1) *Anonymus*: cf. *Sainte-Croix*, l. c. p. 245, 31.

(2) *Πτολεμαῖον*. Notandum est his ipsis verbis incipere caput 6, l. I. Agathemer, quod est de geographia sphærica. Rem elucidandam relinquo futuro Geographorum Minorum editori.

(3) *Hœschelius*: cf. supra p. 45.

(4) *Synesio*. Incertum hoc videtur Fabricio Bibl. Gr., t. IV, p. 613: vide supra p. 15 et 18.

(5) *Totum—Ptolomæo*. Hæc verba assert *Sainte-Croix*, l. c. p. 234, 17, et testimonio sue firmat.

puarum urbium orbis ab urbe Roma , quod indiculus secundo libro præfixus promittit , et Stephani Epitomator citat voce Τίγγις (1). Puto enim auctorem Miliarii Aurei et/itinerariorum publicorum fidem ea in re fuisse secutum. Nullum mihi manuscriptum exemplar videre licuit , præter Palatinum (2) , quo usus fuit Hœschelius.

§. 6. Artemidori (3) Ephesii Epitomes fragmentum. Hujus ego operis jacturam integræ meæ bibliothecæ impendio redemptam cuperem , cum duo antiquissimi et optimi auctores uno hoc exitio interierint , Artemidorus et Menippus (4). Ex solo hoc opusculo infinita apud Strabonem et Stephanum restaurari possent. Utinam propius alicunde Deus affulgeat , et egregium hoc opus in lucem et vitam revocet ! Ego hactenus in omnibus bibliothecis frustra quæsivi : tu videbis num felicior in pervestiganda sis futurus. Executæ omnia ;

*Quo minime credas gurgite piscis erit.*

§. 7. Anonymi poetæ Περιήγησις ad Nicomedem Bithyniæ regem iambico carmine scripta : cui ineptissime Marciani Heracleotæ nomen præfixere , quod sine certo nomine in Msto. Marciani Περιπλανη subjungeretur (5). Probum hoc

(1) Τίγγις : ubi cf. Holstenii notam.

(2) *Palatinum* , numero 142 in indice Sylburgiano p. 44.

(3) *Artemidori* : cf. Fabric. l. c. p. 615 , et *Sainte-Croix* , p. 234 , 16.

(4) *Menippus* : cf. Fabric. l. c. p. 614 , not. qq.

(5) *subjungeretur*. Anonymus hic Scymnus est a patria Chius dictus : cf. Fabric. l. q. p. 613 , *Sainte-Croix* , l. c. p. 227 , 7 : addé

purissimæ antiquitatis opusculum et frugis maximæ ; sed quod deplorandum , vix quarta totius operis pars nobis superest : totum enim Internum Mare descripserat. Sed solatur dolorem meum quod ducentos et amplius versus repererim hactenus non editos , in Descriptione Ponti Euxini , quæ falso Arriani nomen præfert ( de qua infra xiv loco scribam prolixius ), quibus auctior hæc Περιηγησις nostra opera prodibit. Taceo enim quod pessime habita fuerit , mendis obsita , et imperita distinctione confusa (1). Miraberis tantum errorum relictum fuisse a Scaligero , Casaubono et Hœschelio ; nam Morelliana editio (2) inepta plane est , nec versio ullius pretii : nosti hominis ingenium. Susceperam ejus versionem emendandam ; verum ubi R. P. Sirmundo specimen laboris mei exhibui , obtestatus fuit ut , tota Morelliana versione deleta , de integro totum opusculum converterem ; quod libens tanti viri suasu et consilio tunc feci. Si stuporis exemplum cognoscere libet , vide quam impegerit versu 16 , quod distinctio deesset post *τοιαῦτα* ; f. 429 , ubi ex Lychniti lacu

et Holstenium supra p. 15 et infra §. 14 , et quæ in nota proxima innotentur.

(1) *distinctione confusa*. Etenim versus in prosam orationem dissoluti sunt. — « Scymni Chii , hos ab Anonymo in prosaïcam orationem solutos , a Luca Holstenio restitutos , versus esse , ipse postea proba conjectura assecutus esse videtur ; quibus fragmenta alias Anonymi ad metrum redacta adjunxit , ita ut , Isaaci Vossii et Lucæ nostri opera , fragmenta operis Scymni geographicici habeamus , quod in nullo codice conservatum omnibus deperditum esse videbatur. Conf. Bastii Epistolam criticam p. 4—11 ». BREDDOW.

(2) *Morelliana editio* : Paris. 1606.

Iapillum nobis facit; et 567 ubi Macrin auctoris nomen credidit esse, quod Eubœæ insulæ fuit; y. 704 et 728 ubi Λιμναὶ et Ἀσίχη Θράκη propria nomina esse ignoravit. Nam infinita sunt vitia ex corrupto textu Græco suborta, quæ homini minime perspicaci condonari possunt. Huic opusculū plurimum me studii ac curæ impendisse præ cæteris omnibus fateor. Auctoris nomen nulla conjectura assequi potui, quamvis varie nec sine fructu ingenium torserim. Si quid felicius divinare possis, maximum promerebere gratiam; majorem tamen, si integrius exemplar alicunde protuleris: neandum enim totum in rebus humanis esse desüssere puto.

§. 8. Scylax Caryandensis, auctor (1) ipso Herodoto antiquior. Errant enim qui sub Dario Codomanno vixisse arbitrantur, quæ Vossii opinio est libro de Historicis Græcis. Nimis temere est secutus ea in re Jos. Scaligeri fidem, qui id in fronte libri sui adnotarat, quem olim ab ipso Vossio Lugduni Batavorum utendum habui. Meminit enim ejus Herodotus libro IV (2), et ipsum opusculum aperte auctoris ætatem testatur. Inter omnes illos Minores Geographos nullus extat hoc corruptior; sed bona fide tibi committo quid maxime mihi ad persanam-

(1) *auctor—transcripserit.* Hanc particulam integrum descripsit Sainte-Croix l. c. p. 220, et ex eo summis Harlesius inseruitque Bibl. Gr., t. IV, p. 608. ubi de Scylace agitur. Cæterum Scylacem quem nunc habemus esse Herodoto antiquorem dubitari potest. Santo-Crucius dissertationem scripsit qua evincere conatur Scylacem illum veterem prorsus esse deperditum, sibique habuit adsentientem Larcherum, quem vide ad Herod. IV, 44. not. 94.

(2) *libro IV : cap. 44.*

dum felicissime, paucis locis exceptis, profuerit. Observavi crebro legendo, et errorum similitudine, cum Oxonii hunc auctorem tractarem, vitia omnia orta fuisse ex literarum majuscularum confusione; unde deprehendi librum scriptum fuisse charactere antiquissimo, literis capitalibus, sed fugientibus et vetustate exesis. Ita Α Δ Λ, et Ε Ζ, Ο Θ, item ΑΙ et Ν (1), aliosque characteres mirum in modum confusos observavi. Itaque quotiescumque mihi aqua habebat, locum ita depingebam, et dein in varias figuræ literarum vicinitate, et conjunctione, vel divisione, transformabam, donec veram scripturam nullo negotio eruerem. Profuit etiam collatio omnium locorum Herodoti et Hellanici, in primis vero Hecataei quæ apud Stephanum extant: adeo enim conveniunt, ut non dubitem quin alterum *κατὰ πόλεα* transcriptserit.

§. 9. Hannonis (2) Περίπλος exterioris oræ Africæ, editus ante centum ferme annos a Gelenio, et Latine conversus a Gesnero, quamvis versio emendari aliquot locis debeat. Hoc opusculum Strabo aliique antiqui auctores frustra suspectum habuere, adeo etiam ut proverbio locum dederit; sicuti Pythiæ Massiliensis, Evemerij et Jamboli navigationes, ut ex Athenæo (3) videre est lib. III. Ego

(1) item ΑΙ et Ν. Harlesius σφάλματι typographico editionis Santo-Crucianæ deceptus, scripsit item ΑΙΦΝ, quod nihil est. Et uterque dedit vitose minimum in modum, et erueram pro eruerem, omisitque collatio vocem necessariam.

(2) *Hannonis*: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. I, p. 35; Beckm. ad Aristot. Mirab. p. 78. Hannonem Barbosa V. Cl. edidit et Lusitano sermone vertit, an. 1814, in diario quodam Olyssiponensi.

(3) *Athenæo*: III, c. 26, ubi cf. Casaubon. Adde Bibl. Gr. I. c. p. 4q.

cum tabulis nauticis Hollandorum, cum Leonis et Sannuti descriptionibus Africæ accurate comparavi, et prolixâ dissertatione de Phœnicum navigationibus (1), de circumnavigatione Africæ, et in primis de Eudoxi (2) navigatione quam Strabo indignis modis exagitat et explodit, fidem antiquissimo huic scripto adstruere conatus sum; totumque iter charta expressi, paulo, ni fallor, felicius quam Ortelius in Pærergo suo. Dissertationis partem ampliss. Dn. Grotio (3) Parisiis legi, cum nescio cuius Hispani (4) responsum adversus *Mare Liberum* eo delatum fuit. Placuit is conatus viro judicii in hisce studiis, si quisquam alias, maximi et eminentissimi; cum maxima pars controversiae ejus inde pendeat, nec postremus is Hispanorum prætextus

(1) *de Phœnicum navigationibus.* Dissertationis Holstenianæ desiderium quodammodo potest levare Gesneri Prælectio de eodem argumento, quæ reperitur in Comment. Soc. Gott., t. III, et post Orphica Hermanni.

(2) *Eudoxi* : de quo cf. quæ indicat ad Posidonii Reliquias, p. 103, Bakius, vir eruditissimus, qui quidem e Strabonis partibus stare videtur, sed re forsitan non serius considerata. Non sine fructu leges quæ de Eudoxo scripsit in Biographia Universalis Walckenærius, vir harum rerum peritissimus.

(3) *partem ampliss.* Dn. *Grotio.* Editio Fortiana pro *ampliss.* habet *amplam* : Bredowiana *Ampl.* quod ad lectionem *ampliss.*, quæ est unius meorum codicum, accedit. Alter exhibet *amplam*, sed in litura et cum correctione *amplissimo*. Supra p. 32, 40, Grotius nuncupatus fuit *amplissimus*.

(4) *nescio cuius Hispani* : Franc. Seraphini *de Freiras*, qui libello, cui titulus, *de Justo imperio Lusitanorum Asiatico*, refellere conabatur Grotii *Mare Liberum*. Cf. Burigny, *Vie de Grotius*, t. I, libr. I, §. 19.

sit, quod intentato omnibus sæculis itinere primi ex occidente in orientem penetraverint. Joan. Baptistaæ Ramusii (1) Dissertationem ex Italico in Latinum converti, cum adhuc in Britannia degerem : sed ea non est tanti, ut isto loco inculcetur.

§. 10. Dicæarchi Descriptio Græciæ. Hoc opusculum (2) vulgo existimant particulam esse integri operis Περὶ βίου Ἑλλάδος quod tribus libris constabat; quæ mihi sententia omnino improbatur, nec minus illa Rittershusii ad Malchum seu Porphyrium (3), qui epitomen hanc totius operis nobis superesse existimat. Nam dum fragmenta omnia, quæ ex illo opere ab aliis citantur, accuratius perpendo, perspicio clarissime fuisse idem institutum Dicæarchi, quod Varronis libris de Vita victuque Populi Romani, quos libros doctissimus Romanorum ad Dicæarchi imitationem scripsit. Nosti enim quanto in pretio fuerit eo sæculo, vel Ciceronis indicio in Epistolis ad Atticum (4)

(1) *Ramusii*. Etenim Ramusius, vulgo *Ramusio*, Italus, patrio sermone Hannonem veritatem in *Raccolta delle Navigazioni* et Dissertationibus illustravit. Cf. Bibl. Gr., l. c. p. 43. — « Voyez sur « cet auteur le t. IV de mes Mémoires pour servir à l'histoire an- « cienne du globe terrestre, p. 126, art. 214. » FORTIA.

(2) *Hoc opusculum — excutere liberius liceat*. Descripsit hanc particulam non sine mendis, at levioribus illis, *Sainte-Croix*, l. c. p. 225, ubi de Dicæarcho agit. Vide de eodem Fabric. Bibl. Gr., t. III, p. 486. Jason quidam βίον Ἑλλάδος quatuor libris scripsérat, teste Suida, quorum idem forte fuit argumentum ac operis Dicæarchi : cf. Bibl. Gr. in Catalogo Stoïcorum, V. *Jason*.

(3) *Porphyrium* : nempe ad Vit. Pythag. §. 18, vide supra p. 15.

(4) *ad Atticum* : VI, 2. XIII, 31. 32.

non uno loco. Argumenta librorum Varronis conservata nobis fuere in Fragmento (1) quodam apud Nonium, Voce *Victus pro Victus*. Scripsisse Dicæarchum alia multa in re geographica cum ex aliis multis, tum ex iisdem Ciceronis Epistolis liquet (2); in quibus et hæc duo opuscula numero. Duo enim diversa (3) sunt, licet male divulsa et confusa invicem edantur. Primum illud ad Theophrastum iambis senariis, integrum ferme est: sola enim Peloponesi descriptio desideratur, post illa pag. 167 editionis Hoeschel. *τοι Λίχασις* (4) λεγομένη πόλις. Deinde subjungenda fuisse continuo descriptio insularum, primum Cretæ, tum Cycladum, postea Sporadum, quæ tandem pag. 180 ejusdem editionis leguntur (5). Nam et illa quæ in fine de Sporadibus habentur, iambi sunt senarii, licet editoribus id non fuerit observatum (6). Alteram illud fragmentum (7) *ἀκίφαλος καὶ μείωρ* est: nam eo præcipuas civitates omnes Graeciae descripserat, vel depinxerat verius. Nullum hactenus manuscriptum exemplar vidi, præter Palatinum (8),

(1) *Fragmento*: p. 256, Varronis Bipontini.

(2) *liquet*: cf. omnino Fabi ic. l. c. p. 487 sq.

(3) *diversa*: jam Stephanus viderat; vidit posthas et Dodwell. Cf. Bibl. Gr. l. c.

(4) *Λίχασις*: t. II, p. 7. Geogr. Min. Hudson.

(5) *leguntur*: p. 24, Hudson.

(6) *observatum*. In Hudsoniana locus in senarios redactus legitur.

(7) *fragmentum*, prossicuum nempe, p. 167. Hoesch.; p. 8, Hudson.

(8) *Palatinum*: illud nempe quod num. 142 signatum est in indice Sylburgii, et quo Hoeschelius fuerat usus.

nisi quod in Christianissimi Regis bibliotheca elegantissimum adhuc fragmentum (1) reperi, quo Pelion montem Thessaliam, et in eo Chironium antrum, et herbas quasdam proprias earumque virtutes mira elegantia describit; cuius ultima verba hæc sunt: τὸ μὲν ὅν Πήλιον καὶ τὸ Δημητριάδα συμβεβηκε τοιαύτην εἶναι. Sed Demetriadiis descriptio nusquam comparet. Bona interim me spes tenet erutum iri aliquid amplius, modo instructissimas bibliothecas ex-cutere liberius liceat.

§. 11. Dionysii Bysantii Ἀγάπλως: Bospori Thracii, de quo nuper (2) scripsi. Solam ego hactenus præfationem (3) Græce reperi, quantivis sane pretii, et notæ optimæ. Fuit exemplar

(1) *fragmentum.* « Ce fragment ne se trouve point dans la belle édition d'Hudson, Oxford, 1703, dont un exemplaire s'est vendu 360 liv. cette même année 1809, à Paris, dans la bibliothèque de M. de Sainte-Croix. » **FORTIA.** Imperfecto exemplo usus est vir clariss. Nam in Hudsoniana hoc fragmentum reperi p. 27—31. Hudsonus illud edidit e cod. Gudiano cuius apographum a Fabricio accepérat: cf. Bibl. Gr. I. c.

(2) *nuper:* nempe epist. VII, p. 35 supra. — De Dionysii Ἀγάπλως cf. Bibl. Gr., t. IV, p. 407. 611. 664.

(3) *præfat.* Hanc præfationem vulgavit Cangius in primis CP. Christianæ paginis quæ numeris non signantur, nec fecit indicium unde sumserit. Profecto sumsit e Regia Bibliotheca. Vide Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 611 et 664, ubi fragmentum ipsum exhibetur; et catalogum codd. Vossianorum inter Colomes. Opp. p. 862, ubi ultima vox est ἡπίρων non ἡμέρων, quod edidit vitiosum Cangius; et recte ἡπίρων exhibet textus Allatianus in notis ad. præf. Philonis Byz. de VII orb. Miraculis. Vide et J. Gronov. præf. ad t. VIII, p. 10. Th. A. Gr. nec non ad t. VI, p. 10, ubi falso putat Dionysii Ἀγάπλουν in multis extare bibliothecis. Adde Santo-Cruo., l. c. p. 233, 15.

apud Nicolaum Sophianum (1), hominem Græcum et rerum geographicarum satis peritum, et qui solus ex ea gente post renatas litteras patriam illustrare conatus est; citatque in Bibliotheca sua Gesnerus. Gyllii exemplar in Provincia vestra latitare persuasissimum mihi habeo. Faxis Deus ut tuo studio optimus auctor tandem in lucem protrahatur! Si fortuna nostros conatus destituat, saltem diligentiae testimonium extabit, et aliorum animos ad investigandum excitabo.

§. 12. Petri Gyllii Commentarius (2) in Dionysium vitiosissime editus est, ita ut labor ille neminem juvare possit, nisi rerum geographicarum apprime peritum. Hæredes ex schedis posthumis publicarunt opus, quod omnium minime ipsi intelligebant. Ego maximo studio et difficulti labore totum receusui ad auctoris mentem, et sedulo ompia auctorum loca, quæ citat, perquisivi et contuli: neque id solum; sed chartam Bospori, ex tabulis nauticis Hollandorum, et duobus itinerariis, altero Anglico Edmondi Sandes, altero Gallico Dn. *de la Haye*, ad Dionysii et Gyllii mentem confeci: et debebunt aliquid manes Gylliani industriae meæ (3).

(1) *Nicol. Sophianum.* De hoc homine quem Nicolaum alii, alii Michaelem vocant, vide loca Scaligeri et Victorii descripta in *Colomesii K̄s̄p̄n̄t̄s̄*; c. 18, et *Biblioth. choisie*, p. 68; Coray ad Isocrat. p. 206; Fabric., Bibl. Gr., t. IV, p. 672.

(2) *Gyllii Commentarius.* Sic vocat Gyllii libros de Bosporo Thracio, qui fere sunt instar commentarii in Dionysium. Cf. Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 664, et Santo-Crucius, l. c. p. 248, 5.

(3) *industriae meæ.* Nihil fere Gylliani manes debent J. Gronovio et Bandurio qui hoc de Bosporo opus ediderunt, ille in t. VI, Th. A. Gr., hic in Imperio Orientali.

§. 13. Arriani (<sup>1</sup>) Περίπλος Ponti Euxini , quem Gele-nius primum Græce edidit, deinde utraque lingua' Gulliel-mus Stuckius magno et verbosissimo commentario bene onustum. Extat et Turnebi Latina versio; sed nimiam ille etiam in levissimis latinitatis rationem habuit. Dabo aliquot locis emendatiorem, cum scholiis necessariis.

§. 14. Alia Descriptio (<sup>2</sup>) Ponti Euxini confecta ex tribus antiquis auctoribus, Arriano scilicet, Anonymo Periegete iambico, de quo supra loco <sup>vii</sup>, et Marciano seu potius Menippo, quem Marcianus transcripsit. Ex horum fragmentis invicem conjunctis, quasi emblematis tessellatum, hoc opus concinnatum, forte a Constantino Porphyrogeneta; cuius conjecturæ rationes nuper (<sup>3</sup>) tibi exposui. Posteriorem partem primo in Palatino codice (<sup>4</sup>) reperi, a Bosporo Cimmerio Bysantium usque, dein primam, ab eodem Bosporo usque ad Phasin, in alio Msto. Vaticano. Eo nomine gratissimum mihi fuit inventum, quod cxxl versus anonymi illius poetæ nobis conservati fuerint: eoque vehementius desidero integrum exemplar alicunde protrahi, quo damnum illud resarcitur. Posteriorem illam partem cl. Salmasius (<sup>5</sup>) passim citat nomine Περίπλου Paludis Maeotidis Arriani, cum nihil nisi ostium in transitu tangat,

(1) *Arriani*, de quo fuse Fabric. Bibl. Gr., t. V, p. 100; *Sainte-Croix*, l. c. p. 231, 11. — Mox Fortiana habet vitiouse *Stutzius*, quod et inveni in altero meorum codicium, sed in litura.

(2) *alia descriptio*. Cf. Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 664.

(3) *nuper*: nempe Epist. IX, p. 43.

(4) *Palatino cod.* Illo quem Bastius descripsit in Epistola critica.

(5) *Salmasius*: cf. supra p. 11.

et recentior sit non Arriano solum, sed Marciano quoque Heracleota.

§. 15. Arriani Περίπλος maris Erythræi. Hunc enim auctorem, licet falso (1), exemplar manuscriptum præfert, unde Gelenius editionem primam expressit. Certum est fuisse mercatorem Alexandrinum, οὐγχόντα Marino Tyrio (2) aut Ptolomæo Geographo. Græcum textum ex conjectura multis locis emendavi, cum alia non suppetant auxilia præter ingenium: et maximo mihi adjumento fuere chartæ nauticæ Sinus Arabici, et topographica delineatio omnium portuum ad oram Ægyptiacam, quas in Anglia ex autographo Joannis de Castro (3), proregis Indiæ Orientalis, depinxi. Interceperant eas Angli temporibus Elisabethæ, cum accuratissima descriptione ejusdem auctoris, qui jussu regis Hispaniarum totum sinum accuratissime circumnavigando lustravit. Tum in Indiæ ora recte constituenda ad Arriani mentem, et ex rei natura atque veritate, unice mihi profuit charta imperii Magni Mogor, Indoscytharum regis, quam eques Anglus, legatus eo a Jacobo rege missus, delineavit, et Anglica lingua publicavit. Id tibi affirmo: quotquot in hunc diem geographi chartas Indiæ ediderunt, ad unum omnes Indi fluminis cursum atque ostia penitus ignorarunt, et hujus rei veram cognitionem uni Anglo debemus. Nec mireris uni me fidem

(1) *falso*. Cf. Fabric. Bibl. Gr., t. V, p. 102; et Santo-Crucium, 1. c. p. 132, 12.

(2) *Marino Tyrio*, de quo vide quæ nota! Silv. Sacyus V. S. *Notices des MSS.*, t. VIII, p. 147, 169.

(3) *Jo. de Castro*: de quo insigni heroe ejusque descriptione

adhibere adversus tantam scriptorum turbam ; nam, præterquam quod cum antiquorum relationibus consentit, vidi ego Lutetiæ militem Armenum, magnæ experientiæ hominem, qui, permultos annos, et in Persica et in India aula vixit, qui percunctanti mihi eadem omnino retulit : vivitque hic Romæ Petrus Valla (1) illustris vir, πολυτελεύς, καὶ αὐτόπτης multorum regnorum, præsertim Orientis, qui ultiro mihi eamdem chartam visam sibi in ipsa India mirifice laudavit. Hinc ego, et primus, ausim dicere, Arriani illius mentem perspexi, et cum nostrorum hominum navigationibus comparatum plurimis locis illustravi, non solum observationibus, sed et charta geographicæ. Nam si Ortelianam inspicias, credas totam Indiæ faciem diluvio aliquo Platonico, aut Stoico incendio pristinam omnino formam mutasse. De mercibus Indicis, nam ea quoque non exigua illius libri pars, multa egregia hic rescivi, et quidem ex familiaribus et domesticis illustrissimi cardinalis nostri, qui toto animo in eam naturalis scientiæ partem incumbunt.

#### §. 16. Isidori (2) Characeni Mansiones Parthicæ ; quas

maris Erythræi lege quæ scripsit nuper Eyriesius V. Cl. in Biographia Universali.

(1) *P. Valla* : vulgo *della Valle*, scriptor hodiæporicus celeberrimus, de quo vide *Sax. On.* t. IV, p. 326; *Allatii Apes*, p. 320, etc.

(2) *Isidori*. Cf. *Fabric. Bibl. Gr.*, t. IV, p. 612; et *Santo-Crucius*, l. c. p. 231, 10. Ibi vir doctus indicat se de Isidoro peculiarem dissertationem scripsisse, quæ serius prodit in *Memoriis Acad. Inscript.* t. L, p. 79. — Ad marginem exempli Hæscheliani quod e *Bibliotheca Regia* mihi utendum permisit *Van Praetius*, vir humanissimus, interveni notatas varietates lectionis, quas hic exhibebo. Annotator anno-

ex Regio et Altempiano manuscriptis optimæ notæ pharibus locis emendavi et supplevi.

§. 17. Palladii (1) cuiusdam narratio de Indis et Brahmanis. Hanc Londini ex cl. Patricii Junii bibliotheca habui; et extat Latina versio inter hypobolimæa D. Ambrosii: illi enim id opusculum affingere ausi fuere. Sed nuper amicus editum in Germania a Joachimo Camerario (2) ostendit oum versione ejus Latina. Palladius is scholasticus (3) sive rhetor fuit, qui Gregentii disputacionem cum Herbano Judæo in ultima Arabia habitam descripsit.

numus codicem non indicavit a se collatum: in multis cum Fabriciano consiprat. P. 184, Höschl. Καβαδίνης: Ms. Καμζαδένης. — Παροινοῖς: παροινῆς—Ἄριας σχοῖνος γ'. \* \* Αγαύοις: Α. σχ. λ. Ἀγαύη—χάρακα σίδου: χαρακοσίδου—Ἄγθερ. πόλις σχοῖνος: 'Α. π. σχοῖνος—ἐν Βατάνῃ: ἵζετάνη—αυγύρη: ἀνύρωθη — P. 185. Κομματιφίλα: Κομβισμιθέλα—ἄλαμα: ἄλαγμα—ἐπὶ βάλιχα: ἡ. ζάλιχα—χουμματή: χουμζαή—βασιξές: βασιλικές—βισιλεῖ: βασιλια—ἰπερκλύζη: ὑπερκλύζη—ἐνθειοὶ ἀργίμιδος: ἡ. Ζνοναγ. ἡ. Α—ἴκ-βάλλει: ὥμβάλλει. — P. 186. βιλεσιβ. βλαδα: Σιλισιβιβλαδα—οὐ \* ἴτερειδάτης: ἡ τιριδάτης—ἡ ζαγησόπολις: ἵζαγησόπολις—βισιχάτα: βισιχάνατ—ἀργίμιτα: ἀρτάμιτα. — P. 187. χαλωνίτης: χαλωνίτης—σαδμής, πόλις δὲ βάπτανα: σ. πόλις δὲ οἰδεμία, et reliqua, ut in Hudsoniana.—σχοῖνος γ'. εἴτα οὐς ἀδρατ: σχ. γ'. εἴτα Ταβάζηγραβατ δὲ ισὶ τελένοις σχοῖνοι γ'. εἴτα ι. ἀδ—τὴν χάραξ: τ. χάρακα—φραάτης: Φράτης—κασπίτης: κασπίους. — P. 188. Σίνοι: Σίνη—ἀσαβίνη: Λισανήν—Κανδάκη: Κανθάκη—ἀνάβων: ἀναντ—γάρις: Γαρὶ—νιοί: Νιά. — Κορόκ: Ουκορόκ—παλαικίτης: παλαικίντης—φάρσουα: φάρ-σηγγα—ἢ τῶν Π. ἱπεκράτηα: ὑπὸ τῷ Πάρθων ἀρχῇ ἡ χάρα.

(1) *Palladii*. Vide supra p. 19, et Fabric. Bibl. Gr., t. X, p. 108.

(2) *J. Camerario*: in ejus libro *Gnomologico*.

(3) *Palladius is scholasticus*: cf. Fabric. l. c. p. 145.

**§. 18.** Anonymi auctoris *Periegesin* (1) orbis terrarum, barbaro stylo ex Græco in Latinum conversam, quam Cl. Salmasius a Fr. Jureto habuit et perbenigne mecum communicavit. Citat eam aliquoties in commentario ad Historiæ Aug. scriptores. Accurate Imperium Romanum, et plerasque omnes provincias, et primarias civitates descripsit, notatis etiam incolarum moribus, frugibus mercibusque quas singulæ regiones ferunt. Vixit auctor sub Valente Imperatore, quantum eonjicere possum. Mallem extaret bono potius sermone Græco, quam Latino non bono, imo longe pessimo.

**§. 19.** Gemisti Plethonis (2) Emendatio errorum aliquot Strabonis; ejusdem Descriptio Græciæ ex Strabone excerpta; Descriptio Peloponesi quam Sambucus cum Stobæo suo edidit. Subjungam varia Excerpta geographica ex diversis MSS. hinc inde a me collecta; omnia hæc simul Græce et Latine confident xx folia in 4°.

**§. 20.** Strabonis Epitome (3) ultimo sequetur loco hujus.

(1) *Periegesin*. « Hujus libelli eodem anno, quo Lucas hanc epistolam scripsit, editio princeps prodiit, Genev. 1628, 4. curante Jac. Gothofredo, celeberrimo jurisconsulto, cui Salmasius codicem « Juretianum eum in finem concesserat. » BREDOW. Cf. Santo-Crucius, l. c. p. 244, 40; et Noster infra p. 94.

(2) *Plethonis Emendatio*, edita demum in Siebenkeesii Anecdotis: cf. Bredow. Epist. Paris. p. 65, Santo-Crucius, l. c. p. 239, 26, Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 575.

(3) *Strabonis Epitome*: de qua Chrestomathia edita Fabric. l. c. p. 573, et Santo-Crucius, l. c. p. 237. — Cf. supra p. 43.

*συντάχματος*, cuius occasione (1) totum Strabonem obiter percurrere licebit, et diatribis aliquot illustrare. Habeo enim beneficio Patricii Junii, viri humanissimi et amicissimi, Strabonis exemplar olim ab Henrico Scrimgero (2), magno P. Junii avo, in Italia ad vi antiquorum codicum fidem collatum, tanta diligentia, ut majorem nunquam me vidisse meminerim, nec sine stupore librum unquam adspiciam: ejus usum cum Henr. Stephanus aliquando sibi impetrasset ad aliquot dies, enotavit ea et sublegit quæ videbantur esse præcipua, quibus adjutus fuit deinde Casaubonus in sua editione adornanda. Sed nec quartam partem transcripsit H. Stephanus, ut uberrimum post ejus messem mihi relictum sit spicilegium. Verum Strabo majus otium requirit, et majorem eruditionem et judicium limatus quam ego præstare queam. Scripsi in Anglia observationes et exercitationes in duos priores libros, quibus antiquiorum geographorum rationes examinat, et suas probat; ego Strabonis eodem modo ad examen revocavi, quo ipse veterum expendit: quam partem, cum *εἰς ὑφαιρικῆς καὶ κυκλικῆς θεωρίας* dependeat, Is. Casaubonus non satis pertractasse mihi tum videbatur; et multas veterum sententias relationesque ex navigationum nostri sæculi certitudine confirmavi: sed maturiori iudicio egent omnia.

Atque hæc prima Syntagmatis Geographici pars erit,

(1) *cujus occasione—consilio me adjuves.* Hæc descriptis Santo-Crucius l. c. non accuratissime, pro more solito.

(2) *Scrimgero:* cf. p. 13.

quam totam editioni paratam (1) habeo, solo Dionysio Bysantio et Strabonis Epitome excepta; cui secundam deinde subjungere statui, quæ omnes auctores complectetur qui de urbe atque imperio Constantinopolitano scripsere. Quod opus aliquem usum afferet ad posteriorum sæculorum historias, qua sacras, qua prophanas, rectius intelligendas: sed nonnulla in eo genere desidero, quæ hactenus mihi transcribere non licuit. Recensebo ordine quos collegerim, ut de his quoque judices, et tuo consilio me adjubes:

I. Hesychii (2) V. illustris Originae Constantinopolitanæ a Meursio editas.

II. Codini (3) Antiquitates, quæ quadruplo auctiores in Vaticano extant, præter ea quæ Gretserus in nupera Codini editione supplevit.

III. Anonymi (4) Collectio antiquitatum Constantinopolit. ex Msto. Regio a me descripta.

(1) *editioni paratam.* « Nequaeditio prodiit, nec quæ L. Hollenstein. ad eam parata habuit supersunt, quanquam plura manu Lucæ scripta Romæ, Bremæ aliisque locis conservantur. Sic re vera totam editioni paratam habuit cum titulo et præfatione Peteriesin Dionysii cum commentario Eustathii, Paraphrasi e codd. sie emendata ut plane nova videri possit, et annotationibus, brevibus quidem, sed optimæ frugis: quæ omnia integra conservata accuratissime Romæ transcripsit vir nobiliss. Uhden, tam profunditate quam elegancia doctrinæ excellens, omniaque rara cum humanitate mecum communicavit. » BREDOV.

(2) *Hesychii*: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 544. Meutius. buno scriptorem edidit e codice Palatino Bastiano: cf. Bast. Epist. p. 51.

(3) *Codini*: cf. Fabric. ibid. p. 798 et supra p. 12.

(4) *Anonymi*: cf. Fabric. ibid., t. IV, p. 665.

IV. Pauli Silentiarii Ecphrasis (1) ecclesiæ S. Sophiæ versibus heroicis mille et amplius scripta, quam coram Justiniano imperatore recitavit, et Agathias in Historia vehementer prædicat. Eam ex Palatino (2) codice transcripserat cl. Salmasius, unde ego mihi Lutetiae descripsi. Tentarem Latino carmine exprimere, nisi me inimitabilis Græci sermonis felicitas deterreret, tum difficultas operis, quod in marmorum coloribus et structuræ minutis describendis versatur, quæ si prosa oratione explicitentur, vix tamen intelligi satis possunt ab iis qui structuram templi illius oculis nunquam usurparunt.

V. Alia Ecphrasis ambonis (3) ejusdem templi eodemque auctore, heroico carmine scripta.

VI. Petri Gyllii Descriptio (4) urbis Constantinopolitanæ commentarii locum in omnes præcedentes auctores supplebit, qua nihil accuratius elaborari potest, sed pessime ab editoribus excepta fuit.

VII. De Regionibus (5) urbis CP. libellus, quem Petrus Gyllius quoque commentario suo subjunxit, et alii non semel edidere.

(1) *Ecphrasis* : Fabricius ibid. errat dicens hoc poema scriptum esse carmine iambico; recte vero tradit t. VII, p. 581 versibus hexametris constare, proemium autem iambicis. Editum est a Cangio post Ciunamum. Cf. Jacobs. in Catalogo poetar. Epigramm.

(2) *Palatino*. Codice illo Anthologiæ longe notissimo, qui fuit Vaticanus, nunc iterum est Palatinus.

(3) *ambonis* : nuper publici juris a Bekkero V. Cl. facta.

(4) *Gyllii descriptio*, reperiunda in Gronoviano Thesauro, t. VI, et in Bandurii Imperio Orientali.

(5) *de Regionibus* : cf. Fabric. l. c. p. 665.

VIII. Emanuelis Chrysoloræ (1) Comparatio veteris et novæ Romæ Græce scripta ad Joannem imperatorem, elegans sane et satis prolixa. Misit eam ad me R. P. Andreas Schottus. Græcus textus est xx foliorum et amplius in 4°. — Atque hæc de ipsa urbe. Sequuntur qui de imperio CP. ejusque provinciis scripsere.

IX. Hieroclis (2) grammatici. Συνέδημος, sive Notitia provinciarum imperii Orientalis, ex quo Constantinus Porphyrogeneta capita aliquot in primam Thematum partem transcripsit. Reperi eam in Vaticana bibliotheca, licet sine auctoris nomine, quod Constantini auctoritate apposui. Describit Daciam, Mœsiām, Thraciam, Macedonia, cæteramque Græciam omnem, et universam Asiam Minorem, Syriam; sed in Phœniciaæ descriptione deficit; et desideratur Arabia, Ægyptus, Libya. Sed ex Regia bibliotheca descripsi Notitiam (3) ecclesiasticam imperii CP. quæ Græciam Asiamque juxta thronos metropolitarum et ἐπισκοπὰς describit. In cæteris quæ Antiocheno, Hierosolymitano atque Alexandrino suberant, Imperii Notitiam sequitur, geminam omnino illi Hieroclis quam dixi, et sine dubio ex eadem transcripta. Ea Phœnices, Palæstinæ, Arabiæ, Ægypti et Libyæ provincias omnes enumerat, tum singularum μητροπολεῖς et civitates. Facta fuit

(1) *Chrysoloræ*: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 802, et Santo-Crucius, l. c. p. 248. Edita est post Codinum Lambecii.

(2) *Hieroclis*: cf. Fabric. ib. t. IV, p. 665, et in Luce Evang. p. 342. Editus est inter Itinera Wesselingiana.

(3) *Notitiam*: cf. Fabric. Bibl. Gr. t. IV, p. 666, et Santo-Crucius, l. c. p. 250.

hæc Notitia ecclesiastica tempore Leonis imp. et Photii (1) patriarchæ CP. : hujus ope Hieroclis Συνεδρημας redintegrari omnino poterit.

X. Constantini Themata (2) Δυτικὰ καὶ Αιγαίωνα, emendata sedulo ex Regio codice, et parte prima ex Vaticano. Ad hunc auctorem multa ex Historia Miscella, Zonara, Cedreno similibusque auctoribus collegi de Themataibus; et totum imperium CP. tabula exprimam in Themata divisum. Id quæro quo imperante ea divisio cœperit: tum integrum mihi codicem obtingere cuperem, ut ea quæ in fine desunt, suppleri possint. Opus alterum de Administrando Imperio nescio an huic Corpori Geographorum inserendum, quod miscellum sit, non geographicum. Nollem id vere de me dici: *olla olera ipsa legit.*

XI. Subjungam Notitiam illam episcopatum quam modo commemoravi, tum illam Codini, sed longe emendatiorem, aliaque a me collecta ex Regiis et Vaticanis manuscriptis, quibus ecclesiastica geographia illustrari poterit. Lutetiae recensueram omnes ferme conciliorum subscriptiones, et ordine ad Miræi Notitiam adnotaram, sed amico furto mihi is liber sublatus fuit: quocirca labor is mihi iterandus erit publici boni causa.

Subjungam Mantissæ loco varios auctores qui de miraculis locorum scripsere, omissis tamen Meursianis (3)

(1) Photii: c. Fabric. Lux Evang. p. 344.

(2) Themata: cf. Fabric. Bibl. Gr. l. c. p. 665, et Santo-Crucius, p. 236.

(3) Meursianis: Antigono nempe Carystio, Phlegonte Tralliano, Apollonio Dyscolo, editis à Meursio, reperiundisque in t. VII collectionis Lamianæ.

illis. Habeo Philonis Byzantii sophistæ opusculum (1) de septem Miraculis mundi; Sotionis (2) excerpta de Miraculis aquarum, et de iisdem Pauli Silentarii carmen in Pythias Thermas (3). Et extat Anonymi collectio diversarum sententiarum de Incremento Nili (4). Quibus addere possem Porphyrii prolixum locum de Fonte mirabili apud Indos ex libro de Styge, hactenus ἀνίστοτος (5). Ita Photius cod. clxxxviii commémorat Protagoram quinque libris rerum geographicarum subjunxisse sextum, quo, uti quidem ipse ait, ταῦ πετὰ τὴν οἰκουμένην διδόλογον καί τοι ἀπαγράφει τὴν ισοπλανή : ne quid sine exemplo peccem. — Habes de Syntagmate Minorum Geographorum. Seorsim dabo, si Deus vitam dederit et sanitatem, majores aliquot : Stephani Εὐθυνᾶ, Επιτομῆ, collatam ad duos codd. Palatinos, sed ab aliquot myriadibus errorum repurgatam ingenio et conjecturis, ex similium locorum comparatione, tum sedula contentione aliorum auctorum, Strabonis, Ptolomæi,

(1) *opusculum* : editum ab Alfatio, et repetitum in Gronoviano *Thes.*, t. VIII : cf. Fabric. l. c. p. 232, et Santo-Cruc. l. c. p. 242.

(2) *Sotionis*. Cf. Fabric. l. c. p. 667. Errat Santo-Crucius, l. c. p. 242: credens Holstenium hæc Sotionis fragmenta ex variis collegisse sibi scriptoribus.

(3) *Thermas* : editum in Anthologia Græca. Cf. Fabric. l. c. Holstenii de edendis his versibus inter opera geographicâ consilium Santo-Crucius l. c. reprehendit, quod non sint geographicâ.

(4) *Nili* : cf. Fabric. l. c.

(5) *hactenus ἀνίστοτος*. Errat hic vir doctissimus : Schottus enim ediderat suas inter Observations, ut ipse dein animadvertisit Holstenius, cum hoc fragmentum ederet post Porphyrium de Antro.

et cæt. Hoc nimis quam vere affirmare possum, et doleo, plus me temporis uni Stephano, emendando impendisse, quam juri universo mediocre cum laude perdiscendo sufficiisset; et quicumque codicem meum inspiciunt, ut pertinacissimi laboris specimen mirantur (1). Promittebam mihi nova et invisa aliis subsidia ex Romanis bibliothecis ad misellum scriptorem persanandum, quem epitomatorum licentia et librariorum imperitia soricina nænia confosse-rem (2) nobis reliquit, sed frustra. Vidi Trecis Ms. exemplar apud Dn. Pithœum (3), sed recens admodum; cuius usum frustra pluribus mensibus speravi; quamvis ultro nec semel Parisiis promisisset. In Vaticano extat Latina versio Bened. Ægii (4) Spoletani; sed fideliter ferme omnes errores transtulit: mallem videre annotationes ad Græcum-codicem.

Dionysium Afrum (5) diligenter recognovi. Eustathius

(1) *mirantur*. Holstenii nolæ ad Stephanum eruditissimæ lucem-adspergerunt beneficio Rickii.

(2) *soricina nænia confosse-rem*. Frustra de hac locutione dubitavit vir doctiss., et censuit mutandam. Est exquisite Latina. Plautus Bacch. 4, 8, 48.

*Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris,  
Confosse-rem soricina nænia.*

(3) *Pithœum*: aliquem ex hæredibus Petri illius Pithœi, vulgo *Pithou*, cuius Vitam Latine descripsit Boivinus, quem vide p. 71 seq.

(4) *Ægii*. Rickius voluit hanc versionem vulgare. Si Holstenio-judici perquam idoneo predendum est, non male hoc opere caremus. Cf. Colomes. *Biblioth. choisie*, p. 66.

(5) *Dionys. Afrum*. Eustathius *Afrum* fuisse dicit, alii vocant

commentarium ex R. P. Sirmondi Msto. et alio ill. et rev. archiepiscopi Tholosani (1) aliquot pagellis supplevi (2), passimque emendavi. Transcripsi ex Regio Msto. Græcam paraphrasin (3), sed modicæ frugis. Festi Avieni (4) versionem accuratissime correxi, fretus ingenio, cum Msstos nullos repererim. Scripsi animadversiones in omnes interpres et scholiastas, qui in multis non leviter hallucinantur. Priscianum And. Papius (5) sedulo emendatum nobis exhibuit. Nisi me scriptioris continuæ tæderet, adderem novam versionem Eustathii : est enim utilissimus

Characenum, Alexandrinum plerique, alii aliter : cf. Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 586, 588; et *Sainte-Croix*, l. c. p. 228 : « On l'appelle communément Denis de Charax, ou le Périégète. C'est le premier poète Grec que nous connaissons qui ait fait entrer le nom de Celtes dans ses vers. Voyez mon Introduction à l'histoire de la ville d'Avignon ; Paris, 1805, p. 41 et suiv. » FORTIA. In editionibus Dionysii Oxon. 1710, 1717. invéniantur Holstenii notæ : cf. Fabric. l. c. p. 602.

(1) *archiepiscopi Tholosani*. « Eximus ille Tolosatum antistes Carolus Monchalius [ vulgo *de Monchal* ], e cuius penu divite tot rari codices educti » : Gassend. Vit. Poiresc. p. 133. Cf. Burmanni Syll. t. III, p. 620; Medon. Orat. in obit. Puteani p. 136, et Longueruana , t. II, p. 7.

(2) *supplevi*. Idem procul dubio supplementum, quo auctus fuit a Schneidero in Aual. Criticis. Cf. Fabric. l. c. p. 590; Santo-Cruc. l. c. p. 229; Bredow. Epist. Paris. p. 43.

(3) *paraphrasin* : cf. Bredow. l. c. , et Santo-Crucius , l. c. p. 230.

(4) *Avieni* : cf. Santo-Cruc. l. c. p. 243; Fabric. l. c. p. 590.

(5) *Priscianum A. Papius*. Priscianni metricam Dionysii versionem Papius accurate edidit Antwerp. an. 1575 : cf. Fabric. l. c. p. 598, Wernsdorf. Poet. Lat. Min. t. V, p. 231, et Santo-Cruc. l. c. p. 249.

ejus labor in Dionysium ; et duæ versiones (1) quæ extant infra omnem mediocritatem sunt , ne dicam , ineptissimæ : et jam olim in Batavia Cluverius hunc mihi laborem dederat , ut , stylo exercendo et perdiscendæ geographiæ , novam versionem instituerem .

Sed ecce tibi et sacram geographiam , quam restaurare conatus fui , nescio quo successu : is enim in Dei manu est .

I. Eusebius (2) Cæsariensis Περὶ τοπικῶν ἱστοριῶν τῶν ἐν τῇ Θείᾳ Γραφῆς . Id opus in Anglia ex vitiōso exemplari Is. Casauboni deseripi ; deinde Lutetiae ad Regium exemplar emendavi ; nunc aliud exemplar in Vaticano quero ; hac-tenus enim eruere non potui .

II. Divi Hieronymi liber de Nominibus locorum in S. Scriptura ex Eusebio conversus , sedulo a me collatus ad vi antiquissimorum manuscriptorum membranas , emendatus locis infinitis , et suppletus pagina una et altera ; nam Marianus (3) fatetur se manuscriptis in hujus libri editione destitutum fuisse .

III. Bedæ liber de Nominibus locorum in Actis Apostolorum ad manuscripta emendatus .

IV. Eucherii ( Lugdunensis (4) , ut puto , ) Epistola ad

(1) duæ versiones , Abel. Matthæi et Bern. Bertrandi : cf. Santo-Cruc. I. c. p. 229 , et Fabric. I. c. p. 597 .

(2) Eusebius : cf. Fabric. I. c. p. 620 , et Santo-Cruc. p. 249 .

(3) Marianus , Hieronymi editor , de quo cf. Scaligerana V. Hieronymus , et Burigny , Vie d'Érasme , t. I. , p. 502 , qui in Scaligeranis plura vidit quam ipse videre potui .

(4) Eucherii Lugdunensis : cf. Sax. On. t. I. , p. 499 ; Sainte-Croix , I. c. p. 249 ; Wernsdorf , Poet. lat. Min. t. III. , p. lxvij ; Savaronem ad Sidon. IV , Ep. 3 et ad Carm. XVI , 115 .

**Faustum presbyterum Insulanum** (1) (*is postea Reginensis episcopus*), de situ Judææ. Descripsi ex vetustissimo Msto. Oxoniensi, et habui exemplar a P. Sirmondo, nescio ubi in Italia repertum. His adderem Adamnani (2), Bedæ, Borchardi (3), Epiphanii (4) monachi, et aliorum antiquorum et melioris notæ auctorum Descriptiones Terræ Sanctæ; item de Terræ divisione inter liberos Noë, ex Eusebii Chronicis, et Chronicis Alexandrino, et duobus antiquis Latinis interpretibus, quorum alter in opere Eusebiano, alter in Antiquis Lectionibus Canisii (5) extat. Singuli vitiis scatent, quæ mutua collatione feliciter maximam partem persanavi. Placuit hic labor R. P. Sirmondo, qui antiquissimum Latinum codicem suppeditavit, qui plurimum me juvit. Continet is Collectiones Chronologicas ex Eusebio, Idatio, et Turonico, pro quo Canisii exemplar monstruosum Tauromachi nomen exhibit.

(1) *Faustum—Insulanum*: de quo vide *Sax. On.* t. I, p. 512, et *Sirmond. ad Sidon.* IX, Ep. 3. *Insulanus* hic est Lirinensis: cf. *Savaron. ad Sidon.* ibid. « J'ai parlé de l'abbé Fauste p. 45 des « Mémoires pour servir à l'histoire des propriétés territoriales dans « le département de Vaucluse. » *Fortia*.

(2) *Adamnani*: cf. supra p. 19, et *Castellobriantius, Itiner.* t. I, p. xcvi.

(3) *Borchardi*. Bredowius et Fortia ediderunt *Brochardi*: secutus sum meos codices. Scriptor hic hodieporicus Brocardus ab aliis, ab aliis Burchardus, vel Buckardus vocatur. Cf. *Sax. Onom.* t. II, p. 304; *Santo-Cruc.* I. c. p. 250; *Fabric.* I. c. p. 621 et in primis *Barthius ad Danum, in Struvii Actis litt.* *Fasc. VI*, p. 67.

(4) *Epiphanii*. Invenitur in Allatii Συμπλίκων. Cf. *Santo-Cruc.* I. c. p. 249.

(5) *Antiq. Lect. Canisii*, t. II, p. 578.

Sed ridebis, scio, me obscurum homuncionem tam magna in universo orbe illustrando moliri. Sed quicumque tandem eventus studium nostrum ardentissimum, et pertinacem aliquot annorum laborem excipiat, ego vel mori et succumbere in honesto instituto gloriosum existimabo.

Omitto enim alia quæ ipse meopte ingenio in hoc scientiæ genere mecum institui, videlicet Προπαδεῖα γεωγραφικῆ, duobus integris libris, quorum primo τὴν κυκλικὴν Στατικὴν, atque ea quæ ex physicis et mathematicis ad geographiæ cognitionem afferri debent, solide ex antiquis auctoribus deducam et demonstrabo; altero τὴν περιοδικὴν ιστορίαν ordine pertractabo, dividens orbis terrarum cognitionem per æstatum gradus ut L. Florus (1) historiam Romanam. Hujus typum et delineationem alias mittam: statui enim συντάγματι nostro Introductionis loco eam præmittere, et consilium hoc meum amicis Parisiensibus in primis probari sensi. Nunc id sedulo ago ut Abulfedam (2), principem Syriæ, geographum, ni Postellus (3) et Rammusius fallant, non solum inter Arabes, sed antiquos omnes præcipuum, ex Palatino codice in Latinum vel Italicum sermonem converti curem. Rogavi illustrissimum cardinalem ut aliquem ejus linguae peritum mihi adjungere velit, qui interpretandi laborem suscipiat; et vehementer te-

(1) *L. Florus*, Proœm. libri I.

(2) *Abulfedam*. De Abulfedæ versionibus cf. Jordanus V. Cl. in Biographia universalis, cui adde Epistolas Hesenthaleri ad Leibnit. de manuscripta Schickarti versione, in Struvii Actis Litter. Fasc. VI, p. 31 seq.

(3) *Postellus*; in præfatione Cosmographiæ: cf. Struv. ibid. p. 31.

rogō ut tuis eum litteris cohorteris, ut suam auctoritatem commodare ea in re velit publicæ utilitati; nec opus adeo magnum est, quin uno mense ab homine modici laboris converti queat: facile tibi erit et proclive legere ea quæ Rammusius de hoc auctore in præfatione Itinerum et Navigationum suarum scribit, qui tantum non triumphum et immortalitatem ex solius istius editione pollicetur. Chartas geographicas, sine quibus ἀψυχος (1) est hoc studium, et Syntagmati meo, et Abulfedæ adjungam: neque enim ea parte destituo. Quod ideo scribo, quia serio tu id scire cupere videbaris; et apparebit brevi specimen artis nostræ, ager scilicet Romanus suburbanus (hoc est Patrimonium S. Petri, utrumque Latium, et ager Sabinus), quem una charta majori, in gratiam illustrissimi cardinalis descripti, conjunctis nominibus recentibus et antiquis, et deductis quaquaversum ab Urbe viis publicis: ea enim incepti causa et ratio fuit. Hoc labore primo omnium illustrissimo cardinali studia mea placere cœperunt, adeo ut jusserit me Summo Pontifici tabulam eam coram exhibere (quod et factum tunc fuit), qui postea Operum Publicorum Magistros ad me misit, ut et ipsi conatum nostrum geographicum viderent. Urget illustrissimus cardinalis, ut primo quoque tempore agrum Romanum subeam, et omnia meis oculis lustrem, cum multa rectius constitui possint, quam ipsius Cluverii tabulæ exhibeant. Fiet id intra mensem, diebus paulo longioribus et cœlo mitiori. Postea, ære eam exprimi duobus maximis foliis chartæ regiae curabimus, adjunctis descriptiunculis

(1) ἀψυχος: vide p. 34.

quibus viarum rationem, ductus et divertigia ostendam.  
 Detuli mecum Lutetia Bergerium (1): sed is, quod oculis  
 suis agrum Romanum nunquam lustrarit, etiam levissimos  
 et tralaticios aliorum errores temere sequitur. Sed mihi  
 confabulandi tecum cupidine epistola tandem in volumen  
 excrevit; quem ego scribendi laborem lubentissimo animo  
 sumpsi, ut de geographicī studii ratione universa tibi con-  
 staret, atque ut singula dispiceres, et, si qua possis, in-  
 stitutum nostrum juvares: poteris autem haud dubie plu-  
 rimum, cui omnes bibliothecarum recessus noti, et aditus  
 patent; quod ego ex Dionysii pervestigatione facile per-  
 spexi. Vale, ill. domine, et prolixitatē nostrae ignosce. Romæ  
 circ̄ cccxlviii. A. d. iii id. febr. Ill. d. v. addictissimus et  
 devinctissimus servus LŪCAS HOLSTENIUS.

## XI.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

MERUM in Græcis geographis colligendis institutum tibi  
 placuisse vehementer gadeo, qui unicum hactenus sco-  
 pum studiis meis propositum habui, bonis atque eruditis  
 viris placere; quod quidem aliter fieri non posse existimo,  
 nisi bona aliiquid et publice profuturum in quacumque

(1) *Bergerium*: Bergerius, vulgo *Bergier*, auctor libri de Romanorum Viis publicis eruditissimi.

eruditionis parte elaboremus. Quamvis meas illas συλλογας tam tenues esse sciām, ut tuum illud judicium ex amore et benevolentia erga me potius, quam ex rei ipsius pretio ac veritate profectum merito credam; haud tamen differem operam hanc, quam veteri geographiæ restituendæ aliquot annos impendi, publice gratam acceptamque fore, si in corruptissimis scriptoribus emendandis aliquid adjuventi accederet, et ingenii nostri conjecturæ meliorum codicum auctoritate firmarentur. Et deterret me malus sæculi mos, aut morbus potius, quo quisque sua premit, atque ubi alium glaciem fregisse videt, tum demum et ipse in lucem prodit, non ut rem literariam juvet, sed ut per aliorum ruinas famam sibi paret, atque iter ad nominis immortalitatem strage aliena aperiat. Nec tamen animus mihi adeo imbecillis est, ut bonas cogitationes hac de causa intermittam; verum excitor multo magis ut, conquisitis undique subsidiis, tutior in publicum prodeam, ne quid alienæ curiositati studium nostrum reliquum faciat, quo diligentiae mæ jure detrahere invidia queat. Atque eo magis abs te contendo, ut institutum meum, quod plannissime ex designatione ista perspicies, omni conatu adjuvare ac promovere velis. Nam literæ tuæ majorem me semper in spem erigunt, fore ut ex penitissima Galliarum parte aliquid invisum nec spectatum in lucem eruat, quibus tandem copiis succenturiati in lucem prodire non timebimus. Nunc aliud narro: incidi nuper in Stephanum de Urbibus notatum aliquot locis manu erudití viri, qui fronti codicis sui inscriperat, vidisse se Ticini, sive Papiæ, exemplar Stephani antiquissimum et multo auctius edito. Confugi statim ad Cl. Aleandrum, et rogavi

ut Ticinum scriberet (1), et amico cuidam erudito, philosophiam publice ibidem docenti, perquirendi negotium daret; quod quidem in se recepit lubentissime. Sed vere orne codex ille ab illustrissimo cardinale Borromeo b. m. Mediolanum in Ambrosianam bibliothecam pertractus fuerit. Nunc totus sum in p̄vestigando, et tuam quoque opem imploro, ut una mecum allabores ne ea præda nobis ex manibus elabatur. Sed breviter ad cætera epistolæ tuæ capita respondebo. Agrum Romanum adulto aprilì et maio lustrare incipiam, et urget illustrissimus cardinalis institutum, qui chartam illam geographicam quam primum prodire in primis cupit. Tum et Aureliam viam, Centumcellas usque diligenter lustrabo, cujus maxima vestigia circa Urbem supersunt: in reliqua via vix quidquam observavi quod moneam; quin potius omnia tuo beneficio ex Bergerio didici. De Cosa et Luna nequaquam mihi convenit cum Cluverio (2), cum utriusque reliquiæ longe alio loco etiam hodie extent, quam ubi Cluverius in suis tabulis posuit; de quibus alias prolixius disserendi locus erit. Tuum erit partem ejus itineris hactenus incognitam ab Albintimilio ad Varum flumen accuratius nobis explicare. Id Antoninus (3) ita notat: « ALBI NTIMILIO, LUMONE « M. P. X. ALPE SUMMA VI. CEMELEO VIII. VARUM FLU- « MINE VI. » Non difficile tibi erit ex cursoribus vestris, qui quotidie illud iter terunt, ductum ejus ac diverticula et intervalla perquirere. Porphyrius meus, cum jam finem

(1) scriberet. Cf. p. 95.

(2) Cluverio : cf. Holstenii notas ad Cluv. Ital. Antiq. p. 25, 30.

(3) Antoninus, p. 296, edit. Wessel.

spectaret, alia nova Appendix (1) a me auctus fuit, quam in Vaticano codice reperi : placebit saltem novitate, si nullo alio nomine. Procli Vitam Lugduni (2) editam cum Antonino de Vitæ suæ Officiis in transitu mihi comparavi; sed insidiis cuiusdam ex familia illustrissimi cardinalis Spadæ mihi periit in itinere, qui in via otio fallendo legendum sibi petierat : et puto hic exemplaria prostare. Expressit editor exemplar Xylandri, nisi quod pauculas conjecturas de suo adjecit (3) : meum exemplar dimidio auctius (4) est. Dionysium Bysantium (5) spero tandem in lucem protractum iri, modo non desierit esse in rebus humanis : sed animus nescio quid boni auguratur. Si quid præterea boni apud Dn. Rutenensem episcopum (6) extet, mitte, quæso, indicem, quem, ut spero, facile impletabis. In Hispania Dionysium nostrum extare non arbitror : vidi enim catalogum Scoriacensis bibliothecæ accuratissimum apud Davidem Colvillum (7), qui decennium

(1) *Appendice* : nempe altera parte *Sententiarum Porphyrii*, p. 136 edit. Romanæ. Cf. supra p. 33.

(2) *Lugduni*, an. 1626 : cf. quæ monui in præf. ad Marin. p. x.

(3) *adjecit*. Pauculae hæ conjecturæ pertinent ad Antoninum, non ad Procli Vitam.

(4) *auctius est* : cf. supra p. 47 et infra p. 94.

(5) *Dion. Byz.* Cf. p. 63, 93, 95, etc.

(6) *Ruten. episcopum*. « Peireskius dedit operam ut episcopus & Rutenensis totam bibliothecam versaret [cardin. Armeniaci, cf. « supra p. 34] catalogumque demum mitteret, quo saceret fidem & hujus modi librum irrito conatu perquisitam fuisse. » Gassend. Vit. Peir. p. 133.

(7) *Dav. Colvillum* : de quo vide Bandin. Comm. de Vita Dani. p. xxx, n°. 6. Cf. infra Epist. XIII, XIV.

integrum ei præfuit; sed nihil ibi extat quo *curasymus* nostrum geographicum juvari possit (1). Dn. Thuanum (2) rogavi ut Venetiis et Constantinopoli perquirere vélit; sed Venetiis nihil quidquam a se repertum scripsit. Orientem ipse intra annum adire statui de consilio illustrissimi Dn. cardinalis, et puto Dn. *Aubri* (3) id tibi jam indicasse; tum ut spero, redibo *spoliis Orientis onustus* (4). Verum hæc tuæ fidei commissa habebis, nec cuiquam amicorum indicabis: ubi rectius meis rebus prospexero, ibi serio hac de re cogitare incipiam. Riscum (5) meum cum libraria supellectile cum periisse videam, perditum duco: unum Athanasium mihi et publico interiisse doleo, quem R. P. Andreas Schottus tantum non cum convicio repetit, cui quod respondeam non habeo. Puto Lugduni neglectum fuisse aut interversum ab infidis hominibus, quibus ejus rei cura commissa fuerat: nisi quid certi inde resciverimus, conclamatum erit negotium. De canonicatu Bremensi et Lubecensi (6) nihil adhuc ex Germania renunciatum, nisi quod sciam litteras pontificias jam eo perlatas fuisse. Habebo in posterum cognatos meos paulo æquiores: nam qui nuper iter Romanum sugillabant, nunc certatim mihi novam dignitatem gratulantur. Aiunt Sacram

(1) *nihil—possit.* Santo-Crucius, quem cf. in Diario Doctorum April. 1789, p. 236, 22, Anonymi Σταθιασμὸν τῆς Θαλάσσης ex Yriartis Matritensi Bibliotheca edere debebat.

(2) *Thuanum*: cf. p. 31.

(3) *Aubri*: cf. p. 47.

(4) *Spol. O. on.* Virg. *Æn.* I, 289.

(5) *Riscum*: cf. p. 50, et infra Epist. XII.

(6) *Lubecensi*: cf. p. 49, et infra Epist. XVI.

Cæsaream Majestatem serio nunc agere de Bremensi et Lubecensi episcopatu in filium suum transferendo : ita catholicorum partes ac fortunæ meliori loco erunt, tandemque in patria post longos errores πηδάλιον (1) ὑπὲρ καπνοῦ κατασήσονται. Mitto nunc hendecasyllabos ; quos promiseram (2), in hominem Alpestrem, furoris et invidiæ αλεξιφάρμακον. Mittam et iambos (3), ubi exemplar a Dn. Aleandro recepero, quos sâne non lèdendi animo scripsi, sed ut ostenderem non deesse mihi arma quibus injuriam defendam, atque illatam ulciscar, si quis modestiæ meæ nimis protervè illudat : sed nimis longum esset totam hanc concertationem narrare. Dn. Remigium (4) officiosissime saluto; et, si tanti fuerit, ipsi quoque versiculos illos legendos exhibe. Si quid ejus causa hic potero apud illustrissimum meum mecænatem, videbit mihi nec diligentiam nec fidem in amici negotiis promovendis deesse. Atque hæc quidem ordine ad tuas literas rescripsi. De meis rebus id præterea significandum duxi, habere me ab amico quodam optimum et elegantissimum exemplar Ms. Iamblichi de Vita Pythagoræ, unde posteriores duos libros transcribendos curavi, et priores vitiosissime editos præclare emendavi (5) : illud quoque opus, ut spero,

(1) πηδάλ. Hes. "E. 627.

Πηδάλιον δ' εὐεργὺς ὑπὲρ καπνοῦ κρυπτόσταθαι.

(2) *promiseram* : nempe p. 48.

(3) *iambos*, quos ibidem promiserat.

(4) *Remigium* : cf. supra p. 47.

(5) *emendavi*. Holstenius vit. Porphyr. p. 7, quatuor hos libros Jamblichi brevi se editurum promittit; sed consilium caruit exitu. Dein liber tertius fuit a Villoisonio editus in Anecdotis, quartus

integrum aliquando producam cum altero libro de Mysteriis Ægyptiorum (1). Habeo etiam Procli et Olympiodori uberes commentarios in I. Alcibiadem Platonis, quibus universa moralis philosophia Socratica divinum in modum explicatur : dignissimi qui lucem adspiciant. Sed cum Iamblichii mentio commodum inciderit, hoc te monebo, extare in Scoriacensi bibliotheca (2) Iamblichii, Babylonici rhetoris et historici Babyloniorum (3), Declamationem, qua herus (4) accusat servum adulterii (V. H. 10, p. 209 (5), et ejusdem chriam hoc titulo : *qui mortem spernit dominum non habet* : ὁ θαράτος (6) καταφρονήσεις

a Tennilio. Cf. Fabric. Bibl. Gr. t. V, p. 767, 768; et supra Noster p. 21.

(1) *de Myst. Ægypt.* Edidit serius Gale Oxon. an. 1678.

(2) *Scoraciensi bibl.* Periit fere tota incendio an. 1671. Cf. Fabric. Bibl. Gr. t. VIII, p. 155; *Le Gallois, Traité des Bibl.*, p. 111.

(3) *Babyloniorum* : cf. Fabric. l. c. et Chardonniū a Rochetta, *Mélang.*, t. I, p. 18.

(4) *herus*. Hanc declamationem sub Hadriani rhetoris nomine edidit Allatius in Excerptis p. 243, et ipse Hadriano adscriptam reperi in cod. Mazarineo A 87, cuius hic variantes lectiones addonam, in lectoris critici et Graece docti gratiam. P. 244, 8. τῷ. Lege e cod. τῷ. — Ib. 10. δίκην. Cod. optime γίκην. — Ib. exīr. καὶ... δοκῆ. Leg. e cod., vel sine codice, δοκῆ. — P. 245, 10. αὐτά. Cod. melius ταῦτα. — P. 247, 20. βονδίου. Leg. e cod. βονδίου. — P. 249, 1. εἰ δεύτης. Cod. εἰ δὲ μέγι. — Ib. 9. ιάρακα. Cod. σύρικα. Præterea p. 244, 3, pro οὐκ ἔστι οὐκ ἀτ συνομολογήσεις μοι, legendum conjicio, o. s. o. o. ἀτ συνομολογήσεις μοι.

(5) V.—209. Harum notationum significationem non assequor. Indicari videtur catalogus nescio quis cujusve.

(6) ὁ θαράτος. Sic mutavi codd. θαρτός. Apud Allatum haec

*διορθόννον ὅντες* : quas ego ob solum auctoris nomen habere cuperem , cum Βαβυλωνίᾳ illa , quæ Photius suo sæculo legit , plane jam perierint . Vix puto nunc esse qui Græce legere et scribere norint , quorum opera in transcribendo utaris : id nisi vererer monerem de aliis quibusdam , quæ ex Colvilli schedis notavi . Vale , illustris domine , et studia nostra tuo favore adjuva . Romæ cœlōcxxxviii . Prid . kal . aprilis . Ill . d . v . addictissimus cliens LUCAS HOLSTENIUS . Fratrem (1) tuum humanissime meis verbis saluta .

## SCORPIACUM (2)

## FURORI HENDECASYLLABICO.

Valete , hendecasyllabi miselli ,  
Quondam deliciæ mee , valete :  
Seu forte insolito et minus frequenti  
Vultis nomine dicier phaleuci ,

*πνοτις* legitur in Excerpt . Var . p . 254 . Verum ibi non est chriæ titulus , sed sententia e scriptore quodam delibata , et ibidem sunt alii ejusmodi flosculi . Nec credo in Scoriacensi codice titulum fuisse : nam in Mazarineo , quem modo laudavi , hæc sententia a reliquis , quæ cum Allatiana editione consentiunt , minio picta distinguitur , et ita tituli speciem præ se fert ; atque suspicor eodem artificio scriptam fuisse in libro Scoriacensi : hinc error .

(1) *Fratrem* : Palamedem Valavesium , vulgo *de Valaves* , de quo crebra mentio in Peirescii Vita Gassendiana .

(2) *Scorpiacum* : adludit ad Tertulliani *Scorpiacum* ; et Scioppius ille polemicum quemdam libellum ita nuncupavit : *Scorpiacum* , hoc est , novum ac præsens adversus Protestantium hæc reses remedium , ab ipsomet Protestantibus *Scorpionibus* peti-  
tum .

## HOLSTENII

Vestrarū vos quoque res habete vobis,  
 Sæcli perniciēs, mali phaleuci.  
 Et spurcum procul hinc pedem referet,  
 Unde vos furor impetusque vecors  
 Oris intulit hisce non vocatos :  
 Qui nunc agmine turbido ruentēs  
 Nec modi memores modestiæque  
 Per vicos, fora, compita atque templa ,  
 Per musea, cubilia et tabernas ,  
 Aures raditis omnium, strepentes  
 Sono incomposito et parum polito :  
 Altis montibus ut lutoſus amnis  
 Multo defluit auctus imbre , et agros  
 Ruptis aggeribus vagus pererrat ,  
 Illisusque crebris fremit salebris .  
 Vos ex versibus omnibus probabam  
 Nuper, plusque meis amabam ocellis ,  
 Seu curis animo meo levandis  
 Parum difficiles adesse vellem ,  
 Nugas nescio quas jocosque pangens ;  
 Sive seria poscerent amici ,  
 Vestro sedula gestiebat ore  
 Nobis musa loqui. Sed haec suere ,  
 Dum salvus pudor , et lepor venustus ,  
 Et nulla vitiatus arte cultus ,  
 Vobis, hendecasyllabi, manebat ,  
 Quo vos Lesbiam adire vult Catullus ,  
 Sive passeris ille flendo acerbos  
 Manes urgeat, et suæ puellæ  
 Fictos commodet in dolore luctus ;  
 Sive Septimii suosve amores ,

Et densam segetem osculationum  
 Ad cœlum lerido vocet phaleuco.  
 Sed nunc hendecasyllabos misellos  
 Luto reddidit inquinatores,  
 Seu quid foedius inquinatiusve  
 Sit luto, ferus et tumultuosus  
 Suffenus, sibi qui superbis uni  
 Mirum perplacet in modum, phaleucos  
 • Dum chartis temere illinit cacatis  
 Sexcentos : quibus enecet legendis  
 Quem sors objicit undecumque primum.  
 Vos, o hendecasyllabi miselli,  
 Vos quondam mihi virgines tenellæ,  
 Concinno pede, fronte casta, et ore  
 Modesto nimis et nimis venusto,  
 Nunc merum mihi rus, lutum, lupanar,  
 Scorta vilia floris exoleti,  
 Quæ sub fornice prostituta præbent  
 Omnia omnibus, atque muliones  
 Glabunt squallida semitariosque  
 Mendicos, oboli unius lucello,  
 Valete, hendecasyllabi miselli;  
 Et vos perpetuum mihi exulate,  
 Bavi supplicia, et venena Mævi,  
 Insulsi illepidique quotquot estis,  
 Sæcli pernicies, mali phaleuci.

## XII.

\* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

ILLISTRIS DOMINE,

Incogitantia mea accidit, quod hæc scribendi occasio nimis quam oscitanter e manibus effluxerit domi ob importunissimum hæmorrhoidum morbum delitescenti. Nunc unum et alterum verbum raptim exaravi, ne omnino officio meo defuisse viderer, et ingratitudinis suspicionem apud te incurrerem, cui gratias maximas perpetuum debebo ob incredibilem illam diligentiam atque sollicitudinem, qua in fugitivis meis libris retrahendis (1) usus es, quos ego jam penitus perditos ducebam. Dicere non possum quam me inexpectatus Athanasii conspectus afficerit, ita præ gaudio subsaltavi quasi magnum mihi lucrum favens Fortuna objecisset: id enim pessime me habebat quod optimus senex And. Schottus indignabundus fidem meam appellaret, quam præstare non poteram, nec tamen habebam quod responderem; qua molestia tua tandem fides et sollicitudo me liberavit. Cæteros omnes tanti non facio, ut quærendi laborem insumas, aut tabellarium iis oneres. Occonis Numismata, et Longi Pastoralia, et Josephi Gorionis Historiam, si qua maritimi itineris commoditas offeratur, ad me remitti vellem; et ex chartis duas quarum recordor, Indoscytharum regni sive Magni Mogor, et alteram Americæ septen-

(1) *fugit. m. l. retrahendis*: cf. p. 50 sq. et mox Epist. XIII, p. 94.

trionalis , utramque lingua Anglicana descriptam : nam cæteris facilius careo. Indica autem illa ad Arrianum restituendum omnino egeo. Erat et Daniæ descriptio inter cæteros libros , in-8°. Francofurti edita , nusquam alias mihi visa. Præter Servii Glossas , erant variæ schedæ , in quibus erant variæ lectiones et emendationes ex Flor. Christiani (1) codice ad Apollonium Rhodium. Ex supellectile vix quidquam credo repertum iri : erat inter alia thecula ( qualem vos vernacula lingua vocatis *un estui* ), in qua erat circinus summa cura factus ad chartas delineandas. Sed nolo opera tua in hisce frivolis nugis scrutisque perquirendis abuti. Dionysium nostrum Bysantium (2) etiam atque etiam tibi commiendo , et quæ tua est in pervestigando diligentia et in reperiundo felicitas , præsagit mihi animus me hac quoque in parte voti compotem futurum : ita ego Polycratem felicitate superabo. Adderem alia , nisi negligentia mea in hasce temporis angustias me conjecisset , cui pro tua humanitate ignoscas. Scribam prolixius ea via qua Dn. *Aubry* (3) suas ad te mittere solet. Vale et me amare perge. Rōmæ cœloxxviii a. d. v maii. Illustris Dn. additissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *Flor. Christiani* : vulgo *Florent Chrétien* , philologi non parvi nominis , de quo , præter notos fontes , adi Colomesium *Biblioth. choisisie* , p. 191 ; Chardonum a Rochetta *Mél.* , t. II , p. 271. — Holstenium non parum studii in Apollonio posuisse testantur ejus notæ , quæ post Hœlzinianas leguntur. Cf. p. 94.

(2) *Dionys. nost. Byzantium* : cf. p. 85 , 95 , et Epist. XVII extr.

(3) *Aubry* : cf. p. 47.

## XIII.

## \* PEIRESCIO.

A quas Sextias.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Lubens ego lætusque nunc ad scribendi officium revertor, quod hactenus molestissimæ febris pertinacia interrupit. Id tamen morbo ipso molestius mihi fuit, quod tuæ egregiæ erga me benevolentiaæ, quam amicorum literis significasti, respondere non potuerim. Nunc adeo multa sese offerunt de quibus scribendum, ut quid potissimum scribam haud facile dispectu: omnia enim quæ quidem velle, necdum possum. Primum enim gratias tibi maximas debedo pro ea sollicitudine qua libros nostros fugientes (1) et jam desperatos ad me remisisti. De Occone et Servii Glossis non est operæ pretium te amplius allaborare, ut et schediis adjunctis, quibus Apollonii Rhodii emendationes ex Fl. Christiani codice enotaram, aliaque minutiora. Et mantissa illa qua beneficium cumulasti, Antonini (2), inquam, Præcepta vitæ, et barbarus Geographus Gothofredi (3) facile jacturam illam compensarunt. Proclum (4) altera parte auctiorem habeo, ut antea scripsi, qua de unitivis et deificis virtutibus agitur; quæ Pla-

(1) *libros n. fug.* cf. p. 92.(2) *Antonini*: cf. supra p. 85.(3) *Gothofredi*. Cf. p. 69.(4) *Proclum*. Dicere vult Marinum de Vita Procli, de quo jam supra p. 47, 85. — Mox pro *unitivis* vel scripsit, vel scribere putavit *intuitivis*, θεωρητικαῖς.

tonicæ philosophiæ pars est longe præstantissima. Comitem illum darem Porphyrio , nisi me typographorum tricæ et imperitia deterrent, qui magno molimine nihil promovent. Juvenem (1) illum qui libros ad me pertulit, post recuperatam sanitatem , nondum vidi , quod rarius ob grave cœlum et pestilentes austros domo exeam. Vellem mea officia studiaque præmtissima ulla in re ipsi usui esse posse , ut vel hac occasione testari liceret meam erga te animi observantiam. De Dionysio Byzantio quod bonam spem habere jubes , habeo sane maximam atque optimam , modo impius ille Martis gladius Musarum commercia non impediret, et desiderium vehemens longiori mora proferret. Ego tamen , ut amantes somniare dicuntur quæ impotentius cupiunt , ita hanc prædam , ut certam , animo jam devoravi. Aveo scire quid de Eclogis (2) illis Περὶ ἀρτῆς καὶ ταχίας futurum : iste enim thesaurus non sine magno damno publico premitur. Ego postquam morbus me oppressit , inducias cum Musis feci , nec pedem ab eo tempore in ullam bibliothecam intuli. Reperi tamen Diodori Tarsensis (3), scriptoris ecclesiastici antiqui et celeberrimi , libros duos , quorum Suidas meminit inter alia ejus opera plurima , contra astronomos et astrologos de Fato , de Sphæra et V. Zonis , de contrario Motu stellarum , de Hipparchi sphæra , etc.; ad Euphronium Philosophum , per interrogationem et responsionem ; opus meo studiorum generi aptissimum. De Stephano scripsi Papiam (4), sed

(1) *Juvenem* : forte Henr. Felicem , de quo vide Epist. XXI.

(2) *Eclogis* : cf. supra p. 41.

(3) *Diodori Tarsensis* : de quo Fabric. Bibl. Gr.

t. IX , p. 277. At cf. Noster mox p. 100 , 106.

(4) *Papiam* : cf. supra p. 83.

nihil hactenus responsi inde ad me rediit. Cl. Dn. Aleander serio in id negotium incumbit, qui amicorum operam meo nomine imploravit. Illustrissimus cardinalis Biscia, qui cum paucissimis ex eo ordine bona studia et amat et promovet, nuper Summo Pontifici retulit trium auctorum sibi spem certissimam ne scio unde factam fuisse, Χρονία, Eusebii, Εθνικῶν Stephani Byzantii, et Historiæ Phœnicum Sanchuniathonis: sed, ut duos priores alicubi integriores extare facile crediderim, ita posteriorem illam Historiam Phœniciam jam pridem ex humanis rebus periisse existimo. Expecto nunc in dies ex Britannia libellum inscriptionum antiquarum quæ in ædibus illustrissimi comitis Arundelii visuntur: earum pleræque omnes Græcæ sunt, ex Asiæ Minoris ora maritima in Angliam delatae, in quibus tabula ingens, continens foedus inter Smyrnæos et Magnesios (1) quo monumento nullum ad nos pretiosius ex omni antiquitate pervenisse scribunt: titulus libello est, Marmora Arundelliæna (2). Antiquitates Gaditanas, de quibus *Ménestrier* (3) ad te scripsit, habui ab

(1) *Magnesios* : hoc foedus est num. II inter Marmora Oxoniensis.

(2) *Marm. Arund.* a Memorare quidem par est Marmora illa fuisse « primum opera Peireskii detecta erutaque, persolutis aureis quinque quaginta, per Samsonem quemdam, ipsius negolia Smyrnæ procurantem; et convelienda cum jam essent, nescio qua venditorum arte, Samsonem conjectum in carcerem fuisse, Marmoraque ipsa interea distracta, etc. » Gass. Vit. Peiresc. p. 140. Cf. Prideaux. præf. ad Marm. Oxon. p. 316. edit. Maitt.; Larcher. ad Herod. t. I, p. 237; Ch. Patin. *Relations histor.* p. 125.

(3) *Ménestrier*. « Claudius Menestrius Vesuntinus rei antiquariæ « studiosus » dicitur Gassendio Vit. Peiresc. p. 117. Cf. id. p. 124. Cimeliothecæ Barberinæ præfectus erat : cf. Sax. Onom. t. IV, p. 538.

amicus qui ex Hispanica legatione eas secum detulit. Liber est satis eruditus, excusus Madriti in-4°. hoc titulo, *Antiguidader di Cadiz*; auctoris non memini. David Colvillus (1), apud quem Scoriacensis bibliothecæ catalogus extat, Taurini adhuc hæret, dubius utrum in Hispaniam an Romam redeat: mallem tamen huc reverti, et locum aliquem sua eruditione dignum nancisci. Purchassii Navigationum et Itinerum opus apud te extare gaudeo, quamvis te dolere sciām non alia lingua (2) editum; mihi constitutum erat exemplar Lutetia Romam mecum deferre; sed exiguae sarcinæ quatuor illa vasta volumina non admittebant. Commendavi ejus operis præstantiam non semel illustrissimo mæcenati nostro, qui jam dudum opera Nuntii apostolici id transmitti curasset, si terra commode transferri posset. Mihi ejus usus pernecessarius est ad Hannonis, Scylacis, Arriani et Martiani Περιπλόου restituendos. Indica, nisi grave est, cuius opera et qua via Lutetia ad nos transportari queat. Plurima sunt in eo opere quæ Latine legi merentur, non solum Britannice: et in Galliis de consilio amicorum versionem quorundam moliebar. Id unum me potissimum Romæ male habet, quod istiusmodi librorum ue nomina quidem et tituli hic nuntientur. Frustra enim annum integrum Ubonis Emmii Descriptionem Græciæ et Rerum publicarum Græcarum, tum Nonnum Heinsii, et Epistolas Scaligeri, aliaque ejus generis hic expecto. Illustrissimi cardinalis jussu de-

(1) *Colvillus*: cf. p. 85 et infra Epist. XIV extr.

(2) *non alia lingua*. Anglico sermone scripti feruntur *Purchas Pilgrimages*, IV tomis forma maxima, quibus et quintus additur: cf. mox p. 101.

scriptum est ex Vaticanis membranis Georgii Monachi (1) ~~χρονία~~, opus, et ejus continuator Theophanes, et Anastasii (2) Bibliothecarii versio Latina utriusque operis, tum alia Theophanis continuatio jussu Leonis cognomento Sapientis Imp. CP. confecta, quæ res Orientis sedulo narrat usque ad Leonis tempora: operæ pretium foret omnia ista junctim prodire in lucem. Vale, vir perillustris, et me atque studia mea favore tuo prosequere. Romæ ccccxxviii.  
iv. Kal. augusti. Ill. d. v. addictissimus servus, LUCAS HOLSTENIUS.

## XIV.

## \* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

ILLUSTRIS DOMINE,

Prolixum literis tuis responsum debo, quæ profusam erga me humanitatem ac benevolentiam testantur; parcus tamen nunc solvo, quod post paucos dies alio internuntio atque officiosissimi erga te animi interprete uti licebit. Is Henricus Dormalius (3) est, Belga, canonicus Leodiensis,

(1) *Georgii Monachi*, quem, Syncelli nomine notum magis, vulgavit Goarus in corpore Byzantinorum; et Theophanes ibidem editus est a Combefisio: cf. Fabric. Bibl. Gr. t. VII, p. 457, sqq.

(2) *Anastasii*: qui et nunc legitur editus ibidem cura Fabrottii. Cf. Fabric. ibid. p. 462.

(3) *Dormalius*. Docti hujus viri, qui nullis nomen nobilitavit operibus, quæ saltem uoverim, epistolæ nonnullæ ad Meursium leguntur in coll. Lamiana t. XI, ubi p. 385 Grammii notula est vidēnda. Scripsit et ad Donium, vel Donius ad eum, si bene memini: nam Bandiniana collectio nunc non est ad manum. Gassendius Vit. Peir. p. 144;

qui, exacto biennio in Urbe, ad suos redditum parat, et brevi per Provinciam vestram transibit; homo simplici candore et virtute, nec ab ulla re magis aversus quam ab inani ostentatione, licet ea Græcarum literarum cognitione polleat, quæ alteri ὑκαδίστατος fastam adderet. Venerat ille Romam, Urbis videndæ causa, tum ut studiis suis magnatum favorem, et lautiorem non nihil fortunam sibi pararet; sed sefellit eum spes, cum istius modi literis, ut exæletis mercibus, nullum in Romano foro nunc sit pretium. Quam primum mihi immotuit, cœpi opera ejus in Græcis transcribendis uti; quo in genere brevi adeo exercitatus evasit, ut nullum ego Græcum cum ipso comparari posse existimem. Commendavi eum postea illustrissimo cardinali, ut hominiis ratio haberetur, qualem eruditio merebatur; atque id effeci, ut Georgium Syncellum, et Georgium Monachum (1), tum Syncelli continuatorem Theophanem, aliosque duos qui Theophanis historiam vicissim excipiunt, ejus manu describi curarent. Ego ipsi auctor fui ut in transitu ad vos viseret, et studia operamque offerret; idque, vel eam potissimum ob causam, ut coram tibi exponeret quam iniqua studiorum nostrorum ratio sit, non dico ob mæcenates quorum amor et benignitas erga literas atque literatos summa est, sed ob illos quibus bibliothecarum cura commissa est. Horret animus tibi scribere quam sævi et implacabiles dracones Hesperidum hortos hic servent, nec chartæ animi sensus, justosque dolores committere audeo: in ejus adventum alia rejicio, qui forte exemplar Porphyrii nostri

Dormitium fuisse narrat « omnibus quidem literis bonis, sed felici & tamen Græcorum poetarum imitatione præsertim conspicuum. »

(1) *Georg. Monachum*, sive *Hæmatolum*: Fabric. l. c. p. 463.

ad te perferet. In libris meis perquirendis (1) dolco tantum  
operæ frusta insumptum, neque enim tanti erat schedas  
aliquot fugitivas pervestigare; gratias tamen quam possum  
maximas ago, atque id quoque tui erga me amoris si-  
gnum non postremum habeo, quod tantum molestiarum  
ultra mei causa suscepseris.

*Si acum, credo, quæteres,  
Acum invenisses, si appareret, jam diu,*

ait Comicus (2) : id sane de tua diligentia mihi usurpare  
licet, atque eo melius de Dionysio (3) spero, nec enim  
autem vellere desinam. De Diodoro Tarsensi (4) spes me  
sefellit ; neque enim is auctor est, quod relegendō co-  
ghovi : nec tamen, quod proverbio dicitur, thesaurus car-  
boes. Opusculum elegans est, uti Athenis Atticis scri-  
ptum jures, adeo culte Græce loquitur auctor, quisquis  
dēnum sit, quem perantiquum esse multis argumentis  
credo. Argumenta utriusque libri per Dormalium accipies,  
ut ipse conjecturam facias. Marmora Arundelliana Venetiis  
expecto a secretario comitis *Carlii* oratoris Angli, quibus  
eruditissimum commentarium Seldenii Icti adjunctum esse  
dicunt (5). De Georgio Monacho prolixe scribam, ubi  
codicem inspexero ; interim id narro, duos Georgios esse,  
quorum alter ab orbe condito, alter a Pompeio Magno  
Chronica sua inchoat : utrumque describendum curavi ex

(1) *perquirendis* : cf. p. 94.

(2) *Comicus*. Plautus Men. II, 1. f. 13.

(3) *Dionysio* : cf. pag. 63.

(4) *Diod. Tarsensi* : cf. p. 95.

(5) *dicunt* : nec falsi erant, qui dicebant.

duobus exemplaribus antiquissimis. Theophanis quoque duo exemplaria pervetusta extant, ut vix putem peregrinis codicibus opus fore. Continuatores ejus duos habemus, quorum alter Theophanis nepotem se fuisse in operis principio testatur : titulus enim vetustate erat exesus, ut legi non potuerit : alter est Johannes Europalata, qui Venetiis Latine prodiit : auctor ~~non~~ quam spernendus, sive dictionem Græcam, sive historiam ipsam spectes. Dignum esset literato principe inceptum omnes illos auctores conjunctim edi ; sed adminicula ad eam rem nulla video. Navigationes Anglicanas (1), si absque incommodo tuo fieri possit, unice desidero, et libenter vel pretium ipsum refundam, aut alias libros quos petieris remittam. Id tibi affirmo nunquam me Geographos in lucem editurum, nisi eo opere uti liceat. Superiori anno cum Lutetia discederem, quatuor isthic extabant exemplaria apud librarios, nec facile emptorem reperient : novi auctorem Purchassium, ministrum Londinensem, qui minus recte suo munere sibi defunctus videretur, nisi, data occasione aut captata etiam, catholicis, maxime vero Jesuitis, male dixisset : non alia lege ministri sua provincia funguntur, quam ut eos exagitent quos publice principibus displicere vident. In Constantini Eclogis (2) transcribendis magno usui vobis erit Dormalii opera. Utinam vero interpretandi munus cl. Dn. Grotio imponere possis ! Bene sane ageretur cum tot præstantissimis auctoribus, si ejus ore tandem Latine loquerentur. Hæc paucis respondi, quod Dormalio

(1) *Navigat. Anglicanas* : Purchasii nempe, de quo p. 97, 107, 114.

(2) *Eclogis* : cf. p. 41.

narrandi materiam præripere nolui. Vale, ill. Domine. Romæ 1628, die festo Michaelis Archangeli. Ill. d. v. addictissimus servus L. HOLSTENIUS.

Colvillum Romam brevi reversurum spero: tum id efficiam, ut indicis Scoriacensis exemplar habeas. Arrianum et Oppianum editioni paratos habeo, quos Lutetiæ excendendos mittam, qua primum Nemesiani librum de Accupio Bononia accepero.

## XV.

## \* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

ILLUSTRIS DOMINE,

Qui hasce exhibet, Henricus Dormalius est, canonicus Leodiensis, de cuius adventu nudius tertius scripsi, cuius ego virtutem atque insignem eruditionem iterum tibi commendarem, nisi scirem ejus modestiam atque doctrinam plus commendationis secum adferre, quam ex meis literis quamvis prolixis et diligentissime scriptis proficisci queat: commendabo tamen eum, et maxime quidem hoc nominè, quod cum unum te omnium Gallorum, et amantissimum literarum, et literatorum fautorem, ab omnibus prædicari audivisset, tam sollicite a me atque Aleandro tibi commendari petierit. Ego vero facile id à me impetrari passus sum, quo me utriusque rem gratam facturum credidi. Nam cum impense mihi Pythagoricuni illud placeat præceptum, quod amicorum omnia communia esse jubet, puto nihil in ami-

citia communius habendum ipsis amicis. Quocirca plurimum humanitati tuæ debebo, si viro omnium amore dignissimo aliquem in tuo affectu locum dederis; idque mei causa ut faceres rogarem, nisi aut mihi nimium tribuere, aut tuæ humanitatis ac benevolentiae fructus intercipere velle viderer. Et si exactissima Græcarum literarum cognitio cæteraque omnia deessent, vel eo nomine gratus ad vos veniet, quod accurate de studiis atque universa re literaria exponere possit, ut nunc ea Romæ tractentur; tum in primis de Vaticanæ bibliothecæ custodia, et imperitissimi custodis barbarie (1), quæ ego non solum sine maximo animi dolore scribere nequeo, sed nec literis tuto ausim committere; tum etiam de privatis meis rebus narrabit quo nunc loco sint, et qua spe viyam. Si Constantini Eclogas (2) necdum Lutetiam miseris, poterit tibi opera ejus, in describendo ac concinnando opere usui esse; cuius periculum si feceris, miraberis, scio, hominis dexteritatem in scriptis codicibus tractandis, qua me vix quemquam illi parem vidisse memini. Ego sane nunquam eum a me discedere passus fuisse, si meæ fortunæ paulo lauiores essent, quæ nunc ægre mihi meisque Musis

(1) *custodis barbarie.* Tunc temporis Vaticanæ primarius et major custos erat Felix Contelorius Cæsius, Ictus, cuius Noster meminit infra Epist. ad Donium data d. 24 dec. 1644. Hujus quidem benevolentiam et doctrinam prædicat Suaresius Præf. ad Fragm. Tertulliani: sed in his præconiis sæpicule plus est comitatis quam veritatis. Anno 1632 se munere abdicavit, teste Assemano Præf. Catalog. Bibl. Apostol. Vaticanæ p. lxx. Adde Saxium Onom. t. IV, p. 378, et Bandinium Comm. de Vita Douii p. lvij.

(2) *Eclogas:* cf. p. 41.

sustentandis sufficiunt. Non displiceret ei, quantum quidem perspexi, commoratio Gallicana, si honesta conditio alie- cunde sese offerret, quæ deesse vix poterit viro Græcarum literarum peritissimo in eo regno, ubi unice nunc studia Græca coluntur. Id solummodo vereor ut modestia nimia eum innotescere patiatur proceribus, qui ex inani ostenta- tione et strepitu verborum plerumque eruditionem me- tiuntur. Innotescet autem facilius, si Lutetiam discessuro Puteanorum fratrum, Rigaltii, R. P. Vassani (1) aliorum- que favorem ac benevolentiam tuis literis pares; mihi enim ob celerem ejus abitum scribere non licuit, ut quidem vo- luissem: quocirca et ipse literarum brevitatem excusabis, cum cætera ex sermonibus ejus cognoscere facilius atque uberioris possis, maxime vero ea quæ de Georgio Syncello ejusque continuatoribus me scripturum promiseram, quos ipse sua manu descriptis ex Vaticanis codicibus, neque mihi nunc eorum copia est. Vale, ill. vir, et me tui obser- vantissimum ama. Romæ cœlocxxviii postrid. kal. octobr. Ill. d. v. addictissimus LUCAS HÖLSTENIUS.

(1) *Vassani*: Joannis, professione monachi Fulensis. Cf. Colomes. Opp. p. 350, *Biblioth. choisie*, p. 192, *Remarques sur le Scaligerana*, p. 251; et monitum ante Menagiana extr. Infra p. 108 vocabitur *Joannes de S. Paulo*, quod nomen in Religionē sumserat: vide Sorberiana, p. 224.

## XVI.

## \* COMMONITORIUM

HENRICO DORMALIO ROMA PROFICISCENTI.

Kal. octobris. ccccxxviii.

UBI Aquas Sextias veneris , loquaris Dn. *de Peiresc* , consiliario regio , eique officiosissimam a me salutem nunties. Testeris meam erga ipsum observantiam , ut et Dn. Hieronymi Aleandri , et quantopere omnes docti ipsius humanitatem aestiment ac mirentur. Docebis eum de mea valetudine post longum morbum , tum de studiis meis; quid in Porphyrio nunc moliar , et quo usque opus processerit , quid in Iamblico (1) edendo parem , tum in Procli et Olympiodori (2) commentariis in Platonem. Item de Arriano meo et Oppiano (3) ; tum de homiliis (4) SS. Patrum , quarum ipse magnam partem ex Vaticanis aliisque Msstis descriptsisti : in primis autem de geographicis meis; quid in Stephano emendando præstiterim , tum etiam in ceteris illis minoribus , quorum ego catalogum olim misi (5). Addas et hoc , quam id genus studiorum Romæ incultum neglectumque jaceat. Narres præterea de Georgio Monacho

(1) *Iamblico* : cf. p. 87.(2) *Procli et Olymp.* Cf. p. 88.(3) *Arriano* , de Venatione : cf. Epist. XXIV. — *Oppiano* : p. 110.(4) *homiliis* : cf. p. 34.(5) *misi* : Epist. X.

et Theophane; tum de Leone Byzantio, et Joanne Curpalate, eorum continuatoribus; item de alio Georgio Monacho cuius Historia incipit a Pompeio Magno. Exponas etiam de Hermippo, sive duobus Dialogis de astronomicis rebus incerti auctoris (1), quos postremo descriptsisti. Referas hac occasione quam multa præclara in bibliotheca Vaticana ἀδίσκοτα lateant, quæ pervestigari non possunt, καὶ ὅτι κύων οὐ φάση (2); de sævitie barbara et imperitis ineptiis τοῦ δράκοντος (3) τοῦ φυλάττοντος τοὺς τὰν Ἔσπερίδαις κῆπους; de protervia ejus διὰ τὸ μαλακὸν καὶ ἵππικὸν τὰν χρητούντων; τὴν βιβλιοθήκην ἀπρίσιτον εἶναι, et omnia bona studia impediri; de odio erga me; item περὶ ηπτιστήτων καὶ σύνθετας nostri bibliothecarii (4), et de collusione cum

(1) *incerti auctoris*: illius forte, quem crediderat Dionysium esse Tarsensem: vide p. 95, 100.

(2) κύων οὐ φάση. De hoc proverbio vide Erasmus Adag. I. 10, 15; P. Horreum Miscell. Crit. II., c. 14, p. 362; collato Villoisonio in Encyclop. Horreo an. VIII, t. V, p. 490, et Nostro p. 103. Stratonis lectio suspecta est in Epigr. 75, ubi eunuchum qui pueros delicatos nullum in usum habebat, cani in præsepi comparat:

"Οὐτας ὁ κύων φέτην βόδα, μωρὰ δὲ ὑλακτῶν,  
Οὖσ' αὐτῷ παρίχει τάγαθὸν, οὖσ' ἵπρω.

Mira sane hic mentio rosarum. Auctores alii qui hoc proverbio sunt usi hordeum in præsepi collocant, non rosas, et illud certe tali loco aptius est. Sed et alio incommodo laborat vox βόδα; nam verbum non habet a quo pendeat. Conjeci σφέδρα, et verba μωρὰ δὲ tale quid appositionis postulare videntur. Notandum insuper in verbis μωρὰ ὑλακτῶν adludi ad Homeri versum Od. XIV, 29:

"Ἐξαπίνε δέ Οδυσσέα ίδον κύνες ὑλακέμεροι.

(3) δράκοντος: cf. p. 112.

(4) *nostri bibliothecarii*: Suaresii: cf. p. 126, et Epist. XX, XXII.

altero; nulla solida et recta consilia de promovenda re literaria animis principum suggeri; ejurasse me usum bibliothecæ, nec catalogos nec libros posse inspici, etiamsi id expresse illustrissimus Patronus injungat. Narrabis quoque de illustrissimi Patroni benevolentia erga me, de Coloniensi beneficio quod resignavi, de Bremensis et Lubecensis (1) vana spe; de avaritia *τοῦ διδόντος*, et Charybdi domestica, ut omnes bolos præripiat; quæ nunc spes ob illustrissimi cardinalis commendationem; de spe Coloniensis canonicatus, et reformatione ecclesiarum patriæ; de Aleandri humanitate et benevolentia erga me; de conversatione nostra et collatione studiorum; ejus commendationi me omnia debere; idem quoque de Dn. Querengo (2), et ejus erga me affectu; quantopere desiderem Orientis provincias adire, et præsertim ut Græciam et Terram Sanctam lustrare liceat; exspectare me commoditatem donec illustrissimi Patroni benignitate mihi pro visum sit; de charta agri Romani (3) brevi edenda cum viis publicis. Indicabis etiam quantum desiderem opus Navigationum Anglicarum (4) ad restituendos meos Geographos, et quod ab ipso exspectem in dies singulos; de

(1) *Lubecensis*: cf. p. 86, 117.

(2) *Querengo*: « Anton. Querengo, docto et magni nominis viro », Gassendius ait Vit. Peiresc. p. 112. Hujus meminit et infra Noster in Epist. data d. 4 oct. 1632. De eo vide Bailletum *Jugem.* t. IV, p. 209; Annotationem ad *Naudæana* p. 167; *Burigny, Vie de Grot.*, t. II, p. 140; *Bandinum Comm. de Vita Don.* p. lxij, et *Scioppium* ibid. p. xxj; *Castalionem* ad *Rutilii Iter* I. 1.

(3) *charta agri Rom.* Cf. p. 81.

(4) *opus Navig. Anglic.* Purchasii opus, de quo supra p. 101.

studio linguarum Orientalium. Narrabis quoque de doctis viris qui nunc in Urbe vivunt, de Caryophyllo (1), et Leone Allatio (2), aliisque. Lutetiae Parisiorum salutabis meo nomine Puteanos Fratres; Nicol. Rigaltium, Regiae Bibliothecæ præfectum; Dn. Grotium; R. P. Jacobum Sirmondum, et P. Joannem de S. Paulo (3), monachum Fulensem, ad quos literas déferendas proxime mittam.  
Vale, et feliciter rem tuam gere,

*Et cave (4) ne titubes mandataque frangas.*

Xρὴ (5) φίλοι παρέσυγτα φίλειν, ιθίλοντα δὲ πίμπειν  
tu vero absentem me quoque ama, qui te invitissimus.  
dimitto volentem et nimium festinantem.

(1) *Caryophyllo*: sic unus e codicibus meis; in altero est *Carophillus*. Illud melius. Auctor ipse in fronte Epistolarum Themistocles et Vitæ S. Nili a se editarum, se *Caryophilum* vocat, ut et ad calcem literarum quibus liber uterque Summo Pontifici nuncupatus est. Docti hujus Creensis, qui Iconii fuit archiepiscopus, opera recenset Fabric. Bibl. Gr. t. XI, p. 446. Adde Sax. Onom. t. IV. p. 292.

(2) *L. Allatio*, de quo fuse Fabric. l. c. p. 435.

(3) *Jo. de S. Paulo*: Joannem Vassanum, de quo supra p. 104.

(4) *et cave*. Horat. l. Ep. 13, 19.

(5) Xρὴ. Homer. Od. XV. 74, ubi χρὴ ξεῖνος.

## XVII.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Dormalius noster, ut spēto, jam ad vos pervenit, qui suo sermone longae epistolæ vicem supplebit; neque enim minus illi de nostrarum rerum statu omnia comperta sunt, quam mihi met ipsi. Id vero in primis gaudebo, si meam commendationem locum apud te habuisse senserit, atque ejus fructus aliquis ad ipsum perveniat: hoc autem fiet, si abeuntem amicis Parisiensibus porro commendaveris. Veterem picturam (1), qua nuptiarum ritus exprimitur, lubenti animo et oculo satis curioso inspexi, in cuius imitatione pictores nimium ingenio suo indulsisse video, qui ex fugientium colorum umbris nescio quæ simulacra sibi finxere. Quam primum Porphyrius noster lucem adsperixerit, diligentius eam lustrabo, et, cum tu ita velis, quid de tota illa pictura sentiam paucis significabo, quamvis ad ejus explicationem OEdipo non sit opus: ita res ipsa loquitur. De Theophanis et Georgii Monachi Historia monueram illustrissimum cardinalem, ut cl. et ampliss. Dn. Altinum (2) potius ad maturandum editionem cohortaretur, qui jam aliquot annos in ea studiorum parte excolenda

(1) *picturam*, quæ vulgo vocant *Nuptias Aldobrandinas*: plura notandi mox erit occasio. Vide p. 118, 127.

(2) *Altinum*, vulgo *Haultin*, de quo cf. Sax. Onom. t. IV, p. 278. Syncelli editionem molitum eum suisse didici ex Gassendio Vit. Peir. p. 116. Vide Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 458.

versatur, quam ut grave illud onus insuetis humeris imponebat, quod iniquum existimarem falçem in alienam messam immittere, atque longi laboris fructus præmiumque intercipere velle, absoluto jam ferme difficulti opere: sed contraria consilia suggestunt ii qui vana jactatione optimo principi sua studia venditant, atque operam in ea re pollicentur, de qua hactenus ne somniando quidem cogitabant<sup>(1)</sup>. Velle itaque vel ipsum Altinum, vel potius te, illius nomine, illustrissimo nostro cardinali exponere consilium editionis jampridem ab eo susceptum, et cohortari ipsum ac rogare, ut, si quid adjumenti ex Vaticanis codicibus accedere possit ad tam præclarum studium, suggestere dignetur; aut id saltem petere, ut tam magni operis partem aliquam a suis hic concinnari curaret, Georgium, inquam, Syncellum, et duos continuatores Theophanis; in ipsius Theophanis editione, et alterius Georgii sive monachi sive abbatis, Altinum adjuvaret: ita enim partitis operis citius editio absolveretur, et laus integra ad illustrissimum principem, tanquam *ιργοδιάκτην*, rediret. Absolvi hisce diebus Arriani et Oppiani versionem, quam illustrissimo cardinali ex Albana rusticatione redeunti legendam exhibui. Nunc totus sum in pervestigando Nemesiani libro de Aucupio, qui penes Ulyssem Aldrobandum<sup>(2)</sup> Bononiæ fuit; sed hactenus eum ex cubilibus in quibus latet protrahere non licuit: nunc ipse cardinalis, et eques Pu-

(1) *cogitarunt*. Inuuitur, puto, Suaresius: cf. ejus *Diatribæ Duæ*, p. 14.

(2) *Aldrobandum*. Penes quem si fuit, jam periisse videtur ille liber. Fragm. duo Nemesiani repertus in Wernsdorff Poetis Min. t. I.

teanus (1) sedulo mecum in hanc curam incumbunt. Si eum nanciscar, exstabat aliquod industriae nostræ specimen, quæ uno partu tribus auctoribus vitam lucemque dedit. Mittam illos brevi Lutetiam Parisiorum ad ſeb. Cramoisy, qui jampridem promisit se editionis curam suscepturum. Cuperem autem eos auctores quam nitidissime prodire et majori charactere, quo Philostratum (2) olim, et nuper Georgium Codinum (3) ediderunt: ita enim justum et elegans volumen conficerent in 4º.: qua in re tua auctoritas plurimum me juvabit, si una mecum ab amicis contendas, ut opus illud typographo diligenter commendent. Deinde me totum ad Geographos conferam, in quibus perpoliendis

(1) *eques Puteanus: vulgo cavalier Cassiano del Pozzo.* Vignolio *Mélanges*, t. II, p. 154. *del Poso* dicitur, minus recte. Latine vocatur *Cassianus a Puteo* apud Gassend. Vit. Peiresc. p. 125; Nic. Heinsium in Syll. Ujhii l. XI, p. 203; alios. Quem *Cassium* nuncupat Naudæus in carmine ad amicos ἀποθανόπιο Epist. p. 807, *Cassianum* hunc esse puto. De eo cf. Lasenam Cleombr. p. 109; Colomes. *Biblioth.* p. 128; Is. Voss. in *Sylloge Burmann.* t. III, p. 577, 582; Naudæana p. 29, 125, et annotatorem qui eum Italiss. Peirescium esse dicit, necnon Nic. Heinsium l. c. qui generis humani delicias illum vocat. Idem ipsi parentavit scazonte elegantiſſimo inserto *Silvarum* libro II. *Cassianus a Puteo*, quem Nic. Heinsius ibidem p. 203 vocat *equitem Puteum*, fratrem habuit, laudis fraternalis temulum, in cuius prænomine non sibi constat Heinsius, quem cf. p. 282, 289. *Requier semper infelix in vertendo nomine Puteanus*, cum apud Gassendum suum p. 13 invenisset nomen *Erycii Puteani*, Gallice vertit *le cavalier del Pozzo*, quod *van der Putten* vertere debuerat. Erravit in eodem nomine Vignolius *Mélang.* t. II, p. 412. *Erycium Puteanum* vocans *Henri Dupuy*.

(2) *Philostratum*: Morellianum nempe, an. 1608 editum.

(3) *Codinum*, editum a Cramoisyo an. 1625.

pauca supersunt. Hactenus id opus illustrissimo cardinali exhibere non sum ausus, quod alii, ut suis studiis pretium faciant, ad sequiorem antiquitatem ecclesiasticam animum ejus a prophanis illis studiis, ut vocant, plane devocent. Tum ea est difficultas inspiciendi codices Vaticanos, ea acerbitas τοις ιθησινούς δράκων appositi draconis (1), ut Romanæ commigrationis fructus exiguos sperare liceat: ita nimia principum clementia et benignitate imperiti thrasones abutuntur, et sæculi felicitatem et optimi Pontificis atque eruditissimi principis nomen infamant. Nec remedium mali sperare licet, quod Pontificis aures falsis ineptissimi rabulæ laudibus oppletæ haud facile veras alienum querelas admittant. Id enim certo scio illustrissimum cardinalem futilem homuncionem odisse, et, si per ipsius solum res staret recta, eum ad Barbariem ablegaret et ad Libycas solitudines, unde implacabilis basiliscus ad pestem et perniciem literarum prorepsit. Sed ignoscas, quæso, animo justum dolorem in aures tuas effundenti, qui eo magis commovet, quo sæpius recordor quantam in Belgio et Britannia, atque in primis in vestra Gallia, humanitatem expertus fuerim eorum quibus librorum thesauros custodiendos principes commiserunt: tum vero illud in primis cave, ut me conquestum hac de re sentiant. Nosti enim plumbeas iras hujus gentis, et quam atrociter se vindicent, ubi se læsos credunt: et quid non metuas ab homine barbaro, quem nullius humanitas emollire, nullius blanditiæ placare possunt? Bis integro hoc septimestri bibliothecam ingressus sum, et passim de

(1) *dracoris*: cf. p. 99, 103, 106, 112, 126, 127.

mea importunitate conqueritur, in primis apud eos quibus ad Summi Pontificis aures animumque aditus patet. Dn. Aleander jam biennio integro nunquam ingressus est bibliothecam, quam et alii eruditæ homines eodem modo fugitant: ita basiliscus vacuo dominatur regno, et canis inutile fœnum (1) premit. Interim ne nihil agam, privatas bibliothecas excutio, Sfortzianam et Altempsianam, et subsidia omnia conquirō. Audio Fabrotum apud vos novam Gellii editionem moliri, cui locum a me suppletum indicabis: nam libro III, cap. 17, ubi ex Timonis Sillis versus quidam contra Platonem adducuntur, quibus amarulentus scriptor philosophum reprehendebat, quod ex Pythagoreorum libris Timæum suum concinnasset, versus postremus mutilus est in omnibus, quas vidi, editionibus,

*"Οὐει ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθη:*

quem sic supplendum censeo

*"Οὐει ἀπαρχόμενος Τιμαιογραφεῖν (2) ἐδιδάχθη.*

Nam Proclus, in Commentariis suis pag. 1, ait extare Timæi Pythagorici librum de Natura Universi, οὐει ἀφορμηθεὶς ἡ πλάτων Τιμαιογραφεῖν ἐπιχειρεῖ, κατὰ τὸν Σιλλογράφον. Eadem pag. 3 repetit. Vides emendationis rationem luce meridiana clariorem, qua elegantis scom-

(1) *canis.* Adludit ad proverbium, κύων ἐσ φάτη, de quo supra p. 106.

(2) *Tiμαιογραφεῖν.* Correctionem fecerat jam Lipsius, ut patet e nota Thisii qui scribebat ἡτθιν. Brunckius in Timonis Fragm. 14, edidit ἡθειν. Cf. Schol. Platon. p. 200, et Chardonum a Rochetta *Mdl. t. II*, p. 437.

matis acumen restituitur. Nunc iterum aurem tibi velle  
de Dionysio Byzantio (1) et Navigationibus Anglicanis (2),  
quibus vehementer ad nostra perficienda egeo. Vale,  
perillustris vir, et studia nostra tuo favore prosequere;  
et hanc epistolam supprime. Romæ ccccxxviii a. d.  
iii novembr. Ill. d. v. addictissimus cliens LUCAS HOL-  
STENIUS.

Hodie Dn. Thaddæus Barberinus filia auctus est. Gaudeo  
Egeriam nostram (3) non vanam fuisse vatem.

(1) *Dionysio Byz.* Cf. p. 93.

(2) *Navig. Anglic.* Cf. p. 101.

(3) *Egeriam nostram.* In epithalamio hendecasyllabico Thaddæi  
Barberini et Annæ Columnæ, cuius jam mentio injecta est supra  
p. 33, Holstenius sic Egeriam Nympham loquentem fecit :

*Tu Tuscum genus inseras Latino  
Divis edile, mox datur divos.....  
Et tu juncta Columna Barberino,  
Anna, perpetuum genus perenna,  
Multæ prole beans domum retusta  
Claram nobilitate. etc.*

Thadd. Barberinus Francisci cardinalis frater erat. Eximie laudatur ab  
auctore libelli cui titulus, *Tableau de la cour de Rome sous Urbain VIII*, 1624, inserti Gallicæ illi farragini, *Recueil E. De Thaddæi*  
*nuptiis, et carminibus quibus fuere a doctis hujus ætatis viris ce-*  
*lebratae, vide Bandinum Comm. de Vita Donii p. xxxiv, sq.*

## XVIII.

## \* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Doleo postremas meas non recta ad te perlatas fuisse , quibus de Henrici Dormalii Belgæ adventu te præmonueram ; non , quod minus eum tibi gratum futurum existimem , etiam si ignotus omnino atque inexpectatus advenierit , sed quod ipsius frontem neverim , quam sit nimis modesta aut potius imbecillis . Spero illum jam salvum atque incolumem appulisse , quamvis non parum sollicitudinis animo meo injecerit , et silentium ejus , quod nec Genua , nec Massilia ad me scripserit , tum aspera et adversa cœli tempestas quæ abitum illius exceptit . Nunc quod scribam nihil ferme habeo , nisi quod nuper inter alios sermones illustrissimus cardinalis serio mecum agere coepit de itinere in Græciam instituendo , ad perquirendos libros veteres atque alia antiquitatis monumenta : cui quidem sermoni occasionem præbuit , quod Jesuita quidam , qui recens Constantinopoli venit , pro certo hic nunciavit , oratorem regis Angliæ , sciente ac consentiente Cyrillo (1) , Patriarcha schismatico et μισθωτον ; ducenta volumina selecta ex Atho Monte secum in Britanniam detulisse ;

(1) *Cyrillo* : Cyrillo illo Lucare . de quo consulendus Fabric . Bibl . Gr . t . XI , p . 599 . Cf . Diarium doctorum Jan . 1709 , et Epist . Nostri XIX , p . 129 .

tum quod eodem tempore Marmora Arundelliana (1) ex Belgio accepissem, quibus hactenus nihil simile in lucem prodiit, si Fastos Capitolinos excipias. Ita gemino stimulo illustrissimi principis animus vehementius fuit commotus, quod haereticos ex ultimo orbe Græciæ thesauros ob Italorum incuriam neglectos asportare videret, qui, ante aliquot menses, et Baroccianam (2) bibliothecam Venetiis M. D. aureis, tum Mantuani musei *κειμήλια* aliquot scutatorum millibus compararunt. Ego qui hactenus nihil magis in votis habui, quam ut commoda hujusmodi itineris occasio alicunde sese offerret, meam operam fidemque, atque adeo vitam et fortunas omnes ad eam rem promtas obtuli; tandemque in ea verba discessum fuit, ut serio mecum de ista re cogitarem, ac sedulo perquirerem quæ mihi usui futura viderentur. Sed nulli cuiquam hactenus id indicavi nisi amicissimis Dn. Aleandro et *Aubry* (3), cum quibus omnia mihi cogitata ac consilia communia sunt; atque nunc tuam quoque super ea re sententiam experiri volui, quo neminem consilio ac prudentia magis valere, nec majori benevolentia me ac studia mea prosequi certo scio. Nisi illustrissimus princeps animum mutet, ut omnia dubia atque incerta sunt hisce in locis, accingam me serio itineri circa principium februarii; ut, Deo dante, novo vere Venetiis proficiscar, si sumtus cæteraque ad ejusmodi institutum

(1) *Marm. Arund.* Cf. p. 96.

(2) *Baroccianam*, quam emit Gul. Herbertus, comes Pembrokiensis, Oxoniensique bibliothecæ donavit an. 1629: vide catalogos Angliæ et Hiberniæ, Neocori (Kusteri) *Biblioth.* t. III, p. 807 et *Nostrum* p. 150.

(3) *Aubry*: cf. p. 47.

necessaria suppetant. Constitutum est mihi terrestri itinere omnem Græciam obire a Constantinopoli per Thraciam ad Sanctum Montem (1); inde per Macedoniam ac Thessaliam, Athenas; deinde per Peloponesum atque Ætoliam, atque ita alia via ad regiam urbem reverti. Postea alio itinere lustrarem oram Asiæ Minoris quæ Ægæum Mare respicit, atque omnes clarissimarum urbium reliquias perreptarem, si quid forte ex ruderibus illis erui possit. Inde insulas Græcanicas perlustrarem, præsertim Pathmon, atque alias, ubi monachorum ~~conventus~~, et bibliothècæ superesse dicuntur. Si sexcentos aureos illustrissimus princeps suppeditaret, commode totum illud iter absolverem, quibus libenter cccc de meo adderem: necessum enim erit ut et socium aliquem comitemque mihi adsciscam, tum ut satellitem Turicum ubique circumducam. Si ill. cardinalis mihi beneficio aliquo (2) ecclesiasticō providisset, ut de meo impendere liceret, facile ipsi viatici gratiam facerem; sed hactenus spe majori quam re vivo. Tu pro affectu erga me atque humanitate tua consilium accurate dabis, quid factu opus existimes, ut maximo cum fructu rei literariæ iter hoc peragatur: multa enim tibi in eam rem cogitata esse scio, nec dubito quin Dn. *Aubry* idem tibi significarit, qui Claudiū *Ménestrier* (3) itineris comitem statim mihi suggestit: sed hactenus non placuit,

(1) *Sanctum Montem*: Montem Atho. Cf. Richl. Simon. *Bibl. critique*, t. I, p. 244; Pontanus ad J. Cantacuz. I. 31, p. 985; *Pouqueville, Voy. en Morée*, t. I, p. 293, etc.

(2) *beneficio aliquo*: cf. p. 107, 122.

(3) *Ménestrier*: cf. p. 96.

pertentare illius animum, quod vix putem induci posse ut tam longas spes abrumpat quibus eum irretitum tenent homines promissis divites: sed commodius hac de re cogitandi tempus erit. Heri sub nocte indicabam illustrissimo cardinali vidisse me Parisiis apud typographum ingens volumen Andreæ Theveti (1) quo insulas omnes Maris Interui describit, quas ære expresserat satis eleganter, nescio quam vere et fideliter; descriptio enim ipsa fabulis ac nugis meritis ita erat permixta, ut poetarum figura menta jucundares, non historici narrationem: ut illustrissimi Thuani (2) judicium de hominis vanitate verissimum esse deprehenderim. Extat id opus Lugduni apud hæredes Theveti una cum tabulis æneis, quas dixi: illarum exemplar videre cuperet illustrissimus cardinalis, si pretio impetrari posset; earum potissimum quæ circa Græciam jacent, quæ non parum mihi ad institutum prodessent: sed vereor ut extorqueri ex illorum manibus seorsim possint. Dn. eques Puteanus (3) serio nunc cogitat de evulganda pictura (4)

(1) *Theveti*: scriptoris hodoeporici nugacissimi.

(2) *Thuani*. « Nam alioqui », Thuanus ait Hist., t. I, p. 365, « litterarum, antiquitatis, atque omnis temporum rationis supra omnem fidem fuit imperitus; ut fere incerta pro certis, falsa pro veris summa fiducia semper scriberet; etc. »

(3) *Puteanus*: cf. p. 111.

(4) *pictura*: cf. p. 109, et 127, 128, ubi non leviter errat Holstenius in explicanda hac insigni tabula. Meliora docuit L. Pignorius, qui Nuptias Aldobrandinas illustravit, an. 1630, dissertatione, equiti Cass. a Puteo inscripta, et repetita in t. VI. Thes. Antiq. Ital. part. 3, ubi et picturæ imaginem ære cælatam videre est. Adfixa est similis imago Casalii libello de Ritu nuppiarum, in t. VIII Gronoviani Thesauri. Conferentius est in primis Böttigeri, archaeologi

illa antiqua ex hortis Aldobrandinis ; cui cum indicassem observatum a me pictores falso coronas aureas mulieribus fescenninis addidisse , quas ex floribus suis indicia non obscura indieant , accessit et ipse cum Dn. Aleandro , atque opinionem meam accuratori inspectione confirmavit . Vidi expositionem P. Tarquinii Galutii (1) , quæ mihi in nonnullis plane ἄσοχες visa fuit , cum pictura illa nuptialis non usque adeo ænigmatis sit involuta , ut Cœdipo aut Delio natatore opus sit . Cis paucos dies redibimus ad Vaticanum ; tum bibliothecam vieissim excutere licet : licet autem , ut spero ; cum vix aliquo cum fructu codices per Græciam conquerire possim , nisi probe perspicerim quinam in Vaticano illo sepulchro jam defossi lateant . Sepulchrum enim , non librorum est reconditorium (2) , quos invidus vespillo (3) premit . Rupellam a Christianissimo Rege tandem captam ex animo gaudeo . Hæretici enim hoc præsidio ademto minus in posterum remchristianam turbabunt . Vale , perill . Dn. , et me tui observantissimum ama . Romæ cœiœcXXVII a. d. xxiv novembr . Hl. dn. v. addietissimus servus LUCAS HOLSTENIUS .

doctissimi et ingeniosissimi , liber Germanicus , *die Aldobrandinische Hochzeit ; eine archæologische Ausdeutung* : 1810 ; in-4° .

(1) *Galutii* , vulgo *Gallucci* , vel *Calluzzi* . Cf. Sax. Onom. t. IV , p. 260 ; Bandin. Comm. de V. Donii p. iij not. 4. Scioppius , apud Bandinium ibid. p. xxij , 39 , isto non verboso illum mactat præconio : « Tarq. Galutius , Jesuita , Romæ , orator et poeta mediocris . »

(2) *sepulcrum—reconditorium* . Ammianus Marc. XIV , 6 , p. 27 . « Bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis . » Cf. Villisonium in Horreo Encyclopædico an. VIII , t. V , p. 490 .

(3) *vespillo* : cf. p. 112 .

## XIX.

## \* PEIRESCHIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Quam superioribus meis literis spem feceram de itinere per Græciam, ea non decollavit quidem, sed dilata potius est ex illustrissimi principis voluntate, ad cuius nutum ac libitum studia mea moventur. Is tum quidem serio rem agere videbatur atque omnibus modis urgere, ut hunc annum Orientis lustrationi impenderem; quod quidem ego lubentissime in me recepi, qui ab aliquot annis nihil magis in votis habui, quam ut quacumque occasione eo proficerer, atque istas obirem provincias, quarum descriptions summa cum voluptate apud veteres auctores legi. Videbam enim plurimum lucis studiis meis geographicis accessurum, si, post perfectos tot auctorum commentarios, *avtoxtrizn* *wis* omnia explorarem confirmaremque: nec longe mihi petendum exemplum erat, qui Cluverium (1) in Italico itinere secutus fui, cuius fructum maximum res literaria experta est, adeo ut homo peregrinus, post sedulam inspectionem, pleraque omnia longe rectius de Italia prodderit, quam Itali ipsi hactenus præstare potuerunt. Tuum nihilominus affectum et benevolam sollicitudinem grato animo agnosco, quam ut constanter mihi serves etiam atque

(1) *Cluverium*: cf. p. 7, n. 1.

etiam rogo, donec ea uti liceat apud Christianissimi Regis oratorem CPnum. Ego ubi illustrissimi cardinalis voluntatem paulatim remitti non obscure perspexi, non ausus fui importune propositum urgere, sed ad alia animum converti, quæ præsens rerum necessitas requirit. Edocui enim Congregationem Propagandæ Fidei de præsenti Saxonie nostræ statu, atque ostendi quæ nunc commoditas sese ad manum dederit, post insignes Cæsaris ac catholicorum principum victorias, restituendæ fidei catholicæ in partibus septentrionalibus Germaniæ, quod et superiori anno, rebus adhuc dubiis necdum satis confirmatis, semel atque iterum feceram. Rationes autem quas hoc tempore adduxi, ita illustrissimis cardinalibus et Summo Pontifici placuere, ut constituerint Nuntium in eas partes mittere, qui coram de ecclesiarum et episcopatum ratione cognoscat, et quid ad religionis collapsæ restaurationem necessarium sit dispiciat; quod, conscientia et munera ratione dictante, negotium tantopere necessarium differre amplius non possint. Itaque video jam id agi, ut cum Nuntio Apostolico in Saxoniam nostram proficiscar; cum maximopere indigeant auxilio et ductu hominis rerum ac locorum illorum periti. Consilium illud nondum publicatum est; proferetur tamen proxima congregazione: interim de instructione formanda laboramus, cæterisque ad tantam rem necessariis adminiculis recte constituendis. Mittetur autem illustrissimus Dn.-Caraffa Nuntius apud Electorem Colonensem, qui facilius in vicinas provincias excurrere poterit; ita enim et sumtibus parcetur: sed hæc, quæso, aliquandiu preme. Interim propitium Numen incepto meo egregie favet; nam dum illi de missione in patriam meam consilia

agitant, commodum hoc nuntiatur de vacatione Præposituræ ecclesiæ Hamburgensis : ea quamvis sollicite a Ser. mo Electore Coloniense peteretur cuidam aulicorum suorum, viro, ut scribit, illustris nobilitatis, placuit tamen illustrissimo cardinali mei potius rationem habere quam efficacissimæ intercessionis tanti principis, et mihi de sacerdotio optimo et commodissimo in patria atque inter meos prospexit : quod si tranquillam ejus possessionem mihi adire liceat Cæsaris auxilio, qui nunc rerum per Saxoniam potitur, paratum erit refugium et, ut ille ait (1), *stable stabulum* Musis meis quatuordecim annos exulantibus verius quam peregrinantibus. Beneficium satis opimum est, ut me ac novem meas comites honeste alat; neque civibus meis omnino ingratum futurum spero, quod dignitatem illam mihi potius quam extero alicui collatam videant. Sed accuratius de totius negotii successu alias scribam : hæc interim significare volui, ut videres quidnam intercesserit. quominus propositum iter hoc tempore prosequerer; tum etiam ut animum tuum studiis meis faventissimum hoc *ωαγγελιον* exhilararem. Dormalius Leodio ad me scripsit. literas sane humanissimas, quibus multum se benevolentiae tuae obstrictum profitetur, quod hospiti et ignoto ædes animumque tam promte aperueris. Misit etiam lemma nescio cuius libri Græci Mst., quem penes se habet, de quo sermones incidisse ait, cum tibi adesset: mihi inter omnes nugaces Græculorum libros omnium maxime illi displicant, qui sacram et horribilem *χρυσοποιίας* artem professi, insulsa quædam ænigmata continent, et carbones.

(1) *ille ait.* Plautus Aulul. II, 2, 56.

pro thesauris vel fumos meros venditant. Hujus vero titulus male ominatus nescio quas imposturas prætendere videtur, in quo duo κάππα κάκισα (1) concurrunt, videlicet *Cappadox Cretizans* (2). Si operæ pretium videbitur, mittet huc ad Urbem, vel Lutetiam ad Puteanos fratres, ut porro ad te perferatur. Sed ea Platonicorum (3) scripta, quorum indicem per cl. Aleandrum ad me misisti, alterius κίμματος sunt et melioris usus; quorum copiam mihi fieri vellem quovis pretio: et si tuo beneficio transigi cum possessoribus posset, Deum Immortalem testor, id mihi adeo gratum acceptumque fore, ut a nullo hominum mihi in vita gratius aut acceptius quidquam accidere unquam possit. Neque enim ignoras quanto studio hactenus id philosophandi genus prosecutus fuerim, et lucubrations meæ in Porphyrium et Iamblichum atque Hieroclem id non obscure testantur: tum vero Dormalius aoster haud dubie tibi coram exposuit quo sumtu et labore Procli et Olympiodori nonnulla ab ipso mihi describi (4) curarim:

(1) δύο κάππα κάκισα: alludit ad notissimum adagium, τρία κάππα κάκισα, quo designabantur Cappadociæ, Cretes et Cilices. Cf. Erasm. Adag. III, 6, 82, et *classical Journal*, t. XI, n°. 21, p. 9.

(2) *Cappadox Cretizans*: nam hic erat codicis titulus, Ἰσρὰ τίχην ἕπετο Ιμανῆλον τοῦ Καππάδοκος γραφῖσσα ἐν τῇ περιβόλῳ Κρήτῃ, notante ipso Dormalio in Epist. ad Meurs. t. XI, p. 391 Lam.

(3) *Platonicorum*. Hos libros manuscriptos e bibliotheca Pacii a Beriga erutos, ducentis annis in Holstenii gratiam coemit Peirescius. Catalogum infra vide ad calcem hujus Epistolæ. Cf. Gassend. Vit. Peiresc. p. 153.

(4) *Procli—describi*: cf. Epist. XXII.

ac si nunc una vice et juncto acervo nancisci ea liceret , quæ tam sollicito animi desiderio effictim hactenus expetii , et quorum causa potissimum longum ac difficile iter in Græciam proficisci cogitavi , quisnam hominum uno me felicior ac beatior in terris viveret ? Haberem sane uberem materiam cui excolendæ et perpoliendæ vitam omnem impenderem . Mihi enim , per ill. Domine , jam inde ab aliquot annis , ubi primum cl. Heinsium (1) Lugduni Batavorum cognoscere cœpi , mirificum in animum incessit desiderium Platonicae illius philosophiæ , quam insignis iste vir neglectam ab aliis solus ferme hoc sæculo colit ; nec destiti adjumenta conquirere quæcunque edita atque inedita reperire licuit , ut ad interiorem aliquam cognitionem me penetrarem . Hoc fine Oxonii in Bodleiana bibliotheca sedulo legi Procli in I. Alcibiadem , Hermiam in Phædrum , et Olympiodorum in Phædonem et I. Alcibiadem ; et non pauca inter legendum tunc excerpti , quæ postmodum mihi usui futura credidi , et adhuc penes me habeo ; atque eorumdem relegendorum copiam Parisiis mihi fecit cl. Rigaltius , dum apud illustrissimum præsidentem Memmium (2) viverem : atque ita privato studio tantum profeci , ut spem aliquam de juvanda ea philosophia animo conceperim . Nam cum viderem illud philosophandi

(1) *Heinsium* , Danielem nempe , quem Lugduni Batavorum noverat . Bis enim hanc urbem inviserat . Cf. Kollar. Anal. Vindob. p. 1187 , et Moller. Cimbr. t. III , p. 321 , sq.

(2) *Memgium* , vulgo *de Mesmes* , non *des Mesmes* , ut scripsit Bredowius Epist. Par. p. 6 . Viro huic amplissimo et doctissimo a bibliotheca per aliquod tempus Holstenius fuit . Cf. Moll. Cimbr. t. III , p. 322 .

genus vastum et immensum esse, et facile obruere atque absorbere ingenium quod temere sine necessaria προπαρασκευῇ illi si immergit, tum etiam labyrinthi instar variis ambagiis perplexum esse, atque ita intricatum ut non sine εἰσαγωγῇ adiri posset, vix tamen quemquam debitam operam ita uti par erat impendisse, coepi cum animo cogitare de tota illa Platonica doctrina ad clariorem ac faciliorem modum ordinemque revocanda; quod Justus Lipsius in Stoicorum philosophia præstare conatus est, non sine Jæude et fructu. Nam ex antiquis, præter levissimam Alcinoi adumbrationem, nihil ferme nobis superest; recentiorum vero plerique, sive ut Platonis dignitatem ac majestatem tuerentur, sive quod εὐμεθίδης στρφητική destituerentur, ipsis antiquis ferme obscuriores ac difficiliores sunt. Itaque eam mihi rationem proposueram quam Picus Mirandulianus in Italico quodam commentario, et Stephanus Theopolus (1) in Contemplationibus Academicis tenuere; ita tamen ut, prolatis ipsius Platonis, Plotini, Procli, aliorumque veterum locis, singulas διότις probarem atque illustrarem. Sed destituit animi propositum, nimis fortassis arduum, veterum librorum inopia, quorum lectione animum prius subactum probe tritumque esse oportet, quam tanto operi sese accingat, quibus Plethonem, Besarionem, Ficinum, Picum, Diacetium (2), aliosque superioris sæculi clarissimos Platonicos, abundasse constat; cum tamen, præter Procli Theologiam Hamburgi editam, et Commentarium in Timæum, nihil typis editum extet.

(1) *Theopolus*: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. III, p. 152.

(2) *Diacetium*: cf. Baylii Lexicon V. *Jacetus*.

Feci tamen quod potui , nec labori aut sumtui pepercī , quibus hinc inde subsidia aliqua mihi pararem . Itaque hic in urbe Proclum in Alcibiadē I , et Olympiodorum in eundem et Gorgiam , describendos mihi curavi , quantum ob morosi custodis (1) difficultatem licuit . Nunc cum in tua manu sit , ut significas , studia nostra et honestum conatum bene merendi de publico juvare , quam possum enixissime abs te contendō , ut eos mihi libros , quos inclusa schedula continet , quovis pretio compares , usque ad centūm scutatorum summam , si opus sit , vel utcumque convenire de pretio poteris ; quod per Dn. *Aubry* , vel utcumque volueris , hic Romæ tibi refundam , quamprimum de transacta emptione rescripseris : et , præter impensæ pecuniæ exsolutionem , animum meum , multis nominibus tibi jampridem devinctum , æternum habebis devinctissimum , et tanti beneficii auctorem , qua scripto , qua voce , apud omnes semper ex merito prædicabo . Si pretio impetrari possit , rogo ne cuiquam , præter Dn. Aleandrum et *Aubry* , indicium ejus rei facias ; præsertim Suaresio (2)

(1) *morosi custodis*. Cf. p. 112.

(2) *Suaresio*. Jos. Maria *Suares Avenionensis*, pereruditus juvenis , qui , commendantē Peirescio , in cardinalis Barberini familiam fuerat asciitus , apud quem tunc vivebat , munere bibliothecarii fungens . Postea ad episcopatum Vasionensem electus fuit , et nonnulla scripsit de rebus archaeologicis . Cf. Gassend. V. Peiresc. p. 130 , 207 ; Sax. Onom. t. IV , p. 599 ; Patiniana , p. 24 ; Bandin. Com. V. Donii p. xxvij ; Possinus Epist. ad Valesium ante Methodium . In Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis una legitur ejus Epistola ad J. Morinum , cum Morini ad eum pluribus . Illam inter et Holstenium , ut ex sequentibus epistolis patebit , nonnihil plerumque fuit jurgiorum et simultatum . Vide p. 106 , 110 , 142 , 144 .

nostro , qui , licet horum sacrorum *αμύγτος* , atque *ἄγευστος* plane Socratici illius nectaris , muneris tamen sui venditandi causa , cum illustrissimo cardinale ageret , ut auctores luce dignissimi privatis bibliothecæ angustiis et tenebris sepeliantur , cum tamen facile sit illustrissimo cardinali eorum exemplaria ex Vaticanis codicibus transcribenda curare , quod mihi ob præsentis bibliothecarii vel βιβλιοθάραφου δυσκολίᾳν κακοτροπίᾳν nequaquam conceditur . Si me amas , et studia mea tibi cordi sunt , quæ publicæ utilitati jampridem devovi , da operam , quæso , ut auctores hosce quamprimum adipiscar . Si quid vicissim Romæ , vel postmodum in Germania , a me tibi præstatum volueris , nihil sane ad summam fidem ac diligentiam reliquum faciam . Veterem illam picturam (1) semel tantum cum Dn. *Aubry* inspexi , et primo oculi conjectu μεταγραφίαι errores deprehendi , quantum fugientium colorum vestigia indicant , quæ etiam acutissimum visum facili errore deludunt : inspexit deinde seorsim Hier. Aleander , qui meam de coronis fescenninarum mulierum opinionem statim approbavit . Interim constitutum fuit ut ambo iterum , præsente etiam illustrissimo eq. Puteano et Dn. *Aubry* , diligentius inspiceremus , et in re præsenti conferremus consilia quid de totius tabulæ sensu pronuntiandum ; quam , ut verum fatear , nescio utrum nuptiale sacrum an comesationem exprimere dicam : nam quod figuram humi procumbentem et lectuli pedi applicitam Hymenæum esse volunt , nullam ego rationem video cur non Comum pari

(1) *picturam* , Aldobrandinam nempe : cf. p. 118.

vel meliori ratione esse existimem; quem Philostratus (1) ita de pingit, ut hunc ad ejus descriptionem expressum jures: nec figuræ illæ lecto insidentes nuptiis satis convenire videntur, cum maritus flammeo tectus videatur, uxor autem, seu nova nupta, si velis, seminuda marito blanditias facere et libidines, ut Catulliano (2) verbo nequitias illas exprimam. In cæteris nulla sacrorum instrumenta oculis dignoscere potui, quæ tamen pictores de suo affingunt; quamvis ex statu et schemate personarum earumque dispositione, hujusmodi quid colligi posse videatur. Dn. Aleander promisit illustrissimo equiti Puteano, se scripto sententiam suam complexurum, ubi accuratius singula dispixerimus; ad quam et ipse libenter symbolam meam tum conferam. Cætera enim quæ primo intuitu aliquis dicere possit de toro jugali vestibus strato et eburneis pedibus suffulto, de Hymenæo corollis redimoto, de Junone γεμηλίᾳ quæ lecto adstans connubia firmat columnæ innixa, de sacris per ignem et aquam quæ νυμφῶν λοῦτρα Græci vocabant, de fescennina lascivia saltaticum et citharistriarum, a Brissonio (3) aliisque ita pertractata sunt, ut novum quid post eos querere sit operam perdere. Nunc et illud nuntiandum existimavi, scriptum fuisse nuper (4)

(1) *Philostratus: Icon. I, 2.*

(2) *Catulliano: Catullus, 45, f. 24:*

*Uno in Septumio fidelis Acme  
Facit delicias lubidinesque.*

(3) *Brissonio*, cuius extat liber de Ritu nuptiarum.

(4) *scriptum fuisse*, a Paganino Gaudentio, cuius literarum particulam lege infra ad calcem Epist. XXII.

ad me ex Hetruria transiisse isthac Anglum illum (1) quem comes Arundelius in Græciam ante quadriennium miserat, onustum multis bonis libris aliisque præclaris antiquitatis monumentis, quibus producendis sedulo se operat impendere velle affirmarat. Novi virum illum in Britannia omnium bonarum literarum egregie peritum, qui honestis conditionibus me tunc temporis comitem sibi adsciscere studebat. Marmora illa luculenta Londini edita te vidisse puto, quæ jam dudum præmiserat. De Libris quoque MSS. ab eodem ex Græcia missis scripsit pridem ad me Patricius Junius (2), regius bibliothecarius : ita nunc literarum honos ac pretium ad gentem *toto orbe divisam* (3) commigrat. Sed et illud te inaudivisse puto, oratorem Anglum CPnum, ope Cyrilli (4) Patriarchæ, detulisse secum ex

(1) *Anglum illum.* Selenus et Prideauxius præf. ad Marni. Oxon. p. 103, 316, edit. Maitt., eum vocant Gulielmum Pettaum. G. J. Vossio Epist. p. 145, 1. *Pitteus*, Larchero ad Herod. t. I, p. 237. *Pettee* dicitur. « *J'ai appris* (Colomesius ait, *Recueil de Particul.*, p. 328), « *que Pettaeus, chapelain du comte d'Arundel, ayant fait plusieurs voyages en Grèce et en Italie, pour en apporter à son maître quantité de raretés, il en fut si mal récompensé, qu'il mourut de déplaisir.* »

(2) *Patric. Junius.* Codices mei *Patricius Jungius*, quod fuit omnino mutandum. De Patricio Junio supra p. 8. Ex hoc loco omnino firmatur quam proposui p. 29, n. 3, emendatio nominis *Jungius*, male scripti pro *Junius*. — Cæterum Junii epistolæ fragmentum infra vide ad calcem Epist. XXII.

(3) *toto orbe divisam.* Virgilius Ecl. 1. 67 :

*Et penitus toto divisos orbe Britannos.*

(4) *Cyrilli* : cf. p. 115.

Græciæ monasteriis aliquot centurias selectissimorum librorum veterum; tum etiam Britannum librarium Venetiis sibi comparasse totam bibliothecam Baroccianam (1) M.D. aureis. Vale, illustris domine, et literarum prolixitatem excusa. Romæ 1629, 25 februar. Ill. dn. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

De Platonicis quæso iterum sedulo allabores, ut et de Patriis Codini, si quid amplius preter Meursianas (2) εἰλογας continent; iis enim ad geographicum σύγχρονα persicendum egeo. Quod de profectione in patriam scripsi nequaquam moretur diligentiam et studium tuum in comparandis mihi philosophicis Græcis; nam ut res Romanæ tardo molinique procedunt, nihil adhuc de tempore certi constitutum est: tum re intra unum atque alterum mensem confecta, volente Deo, ad urbem et studia hæc revertar.

### INDEX (3)

#### LIBRORUM MANUSCRIPTORUM GRÆCORUM.

*In folio.*

1. Constitutiones Ecclesiasticæ variae
2. Balsamon in Canones.
3. Balsamon in Nomocanonem Photii.
4. Procli Στοιχείωσις Θεολογική.

(1) Baroccianam: cf. p. 116.

(2) Meursianas: cf. p. 12.

(3) INDEX. Hunc indicem quem ad calcem codicum, alieno prorsus loco positum, inveni, huc rétuli, ratus, nec falso, hanc esse quam dixit p. 126 inclusam schedulam.

5. Erennii in Metaphysica.
6. Heronis aliorumque Geometrica.
7. Nicephori Lögica.
- (8.) Olympiodorus in Phædonem.
- (9.) Hermias in Phædrum.
10. Cassiani Γεωτονικά.

Codex variorum medicorum antiquorum (1).

In 4°.

- (11.) Proclus in Parmenidem.
  12. Excerpta ex Photio de poetica.
  13. Michaelis Pselli Organum.
  14. Theodori Prodromi Paraphrasis in poster. Analytica.
  - (15.) Proclus in Cratylum.
  16. Proclus in Alcibiadem.
  17. Polyæni Strategemata.
  18. Chalcondylæ historia.
  19. Pollucis Historia physica.
  20. Hermiæ philosophorum Irrisio, et Nazianzeni Carmina.
  - (21.) Metochitæ Capita philosophica cxx. 2 vol.
  - (22.) Damascius de primis Principiis.
  - (23.) Georgii Codini Patria.
- Ælianus de Animalibus (2).

Ex hisce libris septem, videlicet 8<sup>m</sup>, 9<sup>m</sup>, 11<sup>m</sup>, 15<sup>m</sup>,

(1) *codex—antiquorum*. Hic titulus abest a codicu[m] uno.

(2) *Ælianu[s]*. Abest et hic titulus ab uno codicu[m].

21<sup>m</sup>, 22<sup>m</sup> et 23<sup>m</sup>, quos gemina linea subduxī (1), quovis modo mihi comparari velim, usque ad decem scutatorum pretium, si necesse sit, pro singulis voluminibus, excepto postremo, quem uno aut altero redemptum cuperem.

Cæteros quatuor, videlicet 4<sup>m</sup>, 5<sup>m</sup>, 6<sup>m</sup>, 16<sup>m</sup>, duobus vel tribus scutatis singulos comparari velim, et si Polyænum ac Pollucem addere velint, poterit per illi dominatio vestra usque ad summam centum scutatorum procedere. Rogo autem obnixe ut totum negotium ita ut proprium agat; nam interdum scripti illi libri satis moderato pretio veneunt. Tum etiam librorum qualitas consideranda an probæ notæ. Primos tamen illos septem, utcumque scriptos aut compactos, mihi præstinari cupio; de posterioribus non adeo sollicitus, præsertim de postremis duobus, editis (2) jam pridem doctorum hominum opera, quamvis multum emendari ex bonis libris possent. Pretium, vel in antecedens, hic apud mercatores bonæ fidei Dno. *Aubry*, vel cuicunque placuerit, assignabo. Vale et \* meæ voluntati morem gere.

(1) *gemina linea subduxī*. Uncinulis includere malui; nam gemina hæc linea typographo poterat negotium exhibere.

(2) *postremis duobus, editis*. Hinc patet *Ælianii* libros de Animalibus recte fuisse ultimo loco e codicū altero restitutos. Nam *Corinus* et *Ælianuſ* jam pridem tunc temporis typis vulgati ferebantur; *Damascius* latebat latetque adhuc in bibliothecarum forulis.

## XX.

\* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

De Cl. Hieronymi Aleandri morte (1) puto jam aliorum literis ad te nuntiatum fuisse, cuius interitu Italia magno lumine, et universa res literaria insigni ornamento orbata est; et licet non dubitem quin gravis ea jactura multis acciderit, mihi tamen puto omnium gravissimam esse, qui non solum amico, sed unico rerum mearum præsidio, luctuoso hoc casu privatum me sentio. Nemo enim rectius te novit quanto eum affectu me ac studia mea prosecutus fuerit, cum tuo instiuctu atque hortatu primum illustrissimo cardinali me sedulo commendaverit, neque destiterit unquam, pro sua auctoritate apud eumdem, urgere et pertendere, donec ab illustrissimo et optimo studiorum patrono in Urbem evocarer: quod cum impetrasset, mirum quanta eum benevolentia adversus æmulos me fovendum tenueratque suscepit, quam pronto et lubenti animo res meas, et illustrissimo nostro hero, et, ipsius jussu, exteris principibus commendarit; ut profiteri vere possim, quid-

(1) *Aleandri morte.* De anno quo Aleander mortuus est dissentient biographi. Bandinius, Comm. de V. Donii p. IX, post Bailletum. t. IV, p. 208, et alios, annum esse voluit 1631; Crescimbenius autem, apud Monetam ad Bailletum, annum 1629, d. 11 martii, quod tempus mire stabilitur hac Nostri epistola.

quid mihi hactenus boni in hac aula obtigit vel obtinget postmodum , id totum Aleandri benevolentiae et prolixo erga me affectui accepto referendum esse. Sed eo minus mihi de fatorum iniquitate conqueri licet , quod, annum integrum cum dimidio , ejus amore et fidissimo consilio uti me siverint , donec , exacto invidentissimae aulæ tirocinio , res meas utcumque stabilire cœperim ; ut minus invidiae tela in posterum mihi metuenda sint. Accedit nunc , quod animi dolorem fidissimi amici morte contractum non parum auget , *Aubry* nostri discessus ; ita ut vitam ipsam et Urbis aulæque delicias graves mihi futuras credam , in tanta amicorum orbitate. Cæteros enim omnes , uno Donio (1) excepto , sublestos et malignos expertus sum. Sed interim amicorum jactura utcumque ferenda est , atque eo magis excitandus animus , ut quod in amicorum candore et fide prius habebat , id in se ipso præsidium et adminiculum quærat. Quocirca majorem in modum te rogo ut tua benevolentia et commendatione id apud illustrissimum cardinalem nostrum efficias , ne amicorum subsidio et favore me destitutum sentiam ; cum nemo sit hoc tempore , qui plus auctoritate sua apud ipsum valeat efficere quam tu , cuius voluntatem egregiam erga literas earumque cultores perspectissimam habet. — Nunc binis tuis mihi respondendum erit , quas hac septimana excepisti , quarum alteræ kal. novembris superioris anni , alteræ postridie kal. martias

(1) *Donio* , Corpore inscriptionum nunc præcipue noto : cf. *Sax. Onom.* t. IV , p. 310. Cardinali Fr. Barberino fuit ab epistolis Latinis , quo in munere Aleandro successit. Vulgare nomen erat *Dani* , non *Donio* , quod legitur in *Requierii Vita Peiresce* p. 221.

ad te date fuere. Videbis enim literas nostras eamdem utrinque fortunam experiri. Piores illæ nunc demam de-Dormalii ad vos adventa nuntiant, quem selvum et incolumen ad suos jampridem pervenisse ex ipsius literis cognovi, quibus frequenter prolixam tuam humanitatem de-prædicat, qua exceptum se dimissumque apud te significat; qua in re quamvis majorem a te rationem habitam scio-virtutis atque eruditionis ejus, quam commendationis meæ; cum tamen ipse totum conciliatiom meæ et tuo erga me affectui id tribuat, libens id admitterem, si vel meritorum meorum conscius mihi essem, vel gratias a me referri posse sperarem tantæ humanitati ac benevolentiae tuæ; quocirca profuso tuo amori totum hoc tribuo, cui injuriam a me fieri existimarem si verbis gratias debitamque animi obligationem exsolve conarer. Historicorum quos illustrissimo cardinali descriptsit indicem accuratum mittam, quam primum ad Quirinalem (1) redierimus, ubi principis nostri bibliotheca servatur, et conferam sedulo cum iis eclogis quas superiori anno ad me misisti. Marmora Arundelliana (2) plena sunt optimæ frugis, ut vix quidquam integro saeculo simile aut secundum prodiisse in lucem existimem; sed hisce elogii sitim et videndi desiderium frustra tibi augeo, cuperemque exemplar ad te potius transmittere, si aliad suppeteret, præter unicum illud quod magno sumtu ex Britannia adferri curavi. Spero, rebus inter Christianissimum Regem et Britannos jam compositis, literarum commercium iterum apertum iri, ut bre-

(1) *Quirinalem*: cf. p. 39.

(2) *Marm. Arund.* Cf. p. 96.

viori via inde Lutetiam perferantur, cum non desint in Anglia quorum opera usui ea in re esse possit. De Purchassio (1) gratias tibi ago; religio enim mihi esset tanto thesauro te privare, cum alterius exemplaris recuperandi spes nulla sit hoc turbato rerum statu: quamvis illustrissimus cardinalis, Excellentissimus Princeps Cæsius (2), Dn. eques Puteanus, aliquique polyhistores summopere ejus copiam sibi fieri una mecum exoptent. Sed cum mihi spes exigua supersit absolvendi operis geographicci in hisce terrarum oris, ubi nulli antiquitatis parti minus pretium est quam geographicæ, differam editionis consilium, donec in patria aliquando illud ad finem perducere liceat, ubi facili negotio ex Anglia exemplar petam. — In postremis tuis multa me delectarunt, tum quæ de nummis antiquis nuper apud vos repertis nuntias, quorum inscriptiones libenter vidi, quod insigniter eæ rem geographicam adjuvent. De BHTAPPATΩN (3) nummo non dubito quin verum dixeris, cum Stephanus noster BAITAPPAN commemoret, quam Bliteram, Bilteram, et Boetiras vel Beternas alii vocant, quam recte nunc non disputo. Sane Stephani locus non solum eo nummo illustratur, sed et emendatur: nam gentile a Baīrap̄a non Baīrap̄tys, ut vulgo editur, sed Baīrap̄ntys, vel, ut nummus habet, Baīrap̄tāns legendum puto, quemadmodum in eadem Narbonensi Gallia a Tolosa Tolosates. Tum vero et illud inde appareat, ubi apud Plinium lib. XIV, c. 6, Beterrarum vina commen-

(1) *Purchassio*: cf. p. 101.

(2) *Cæsius*: vulgo *Federico Cesi*, Lynceorum Academie conditor, egregiusque scientiarum naturalium hac ætate promotor.

(3) *BHTAPPATΩN*: cf. Holstenius not. ad Stephan. Byz. p. 62.

dantur, non opus esse Ortelii reformatione in Bliterarum; neque obest quod idem Plinius Bliteras alio loco vocat eam civitatem; cum Plinium promiscue ex diversis auctoribus suum illum Naturæ Thesaurum concinnasse constet. Quid si Plinium ipsum ex BAITEPAI fecisse dicam BAITEPAI, qualis error sexcenties apud Stephanum et Scylacem commissus fuit, quamvis apud Strabonem quoque Βάιτεπαι in manuscriptis pro Βλίτερα legatur? Quinam illi Δεγγεσταλῆται sint, respondere non possum; neque de ORRA quid statuam satis liquet, loci, an numinis, hominis nomen sit. Nam ita sentio, in universa geographia vix quidquam incertius vel obscurius esse Provinciæ vestræ nominibus, cum veteres Celtæ propria et vernacula sua habuerint, Græci deinde Asiatici alia invexerint, quibus Romani sua tandem admiscuere: qua in re exemplo esse potest ultima pars Περιηγήσεως sive Oræ Maritimæ Festi Avieni, quæ omnibus hactenus geographis crucem fixit et equuleum quo ingenium torquerent; cum sequioris ævi scriptor ex Hecataeo, Hellanico, Pythea Massiliense, aliisque antiquissimis geographis et historicis ea locorum nomina collegerit, quæ ipsi Augustæi sæculi scriptores jam ignorabant, sive ut (1) nominum novitate inaudita ingenium ostentaret atque operam venditaret suam. Quis enim, inter Rhodani ostia et Massiliam, Nearchorum (2) gentem,

(1) *Sive ut.* Videtur aliquid deesse. Legendum forte: ignorabant, sive negligebant, ut.

(2) *Nearchorum.* Avienus §. 690:

*Gens, hinc Nearchi, Bergineque civitas.*

In Wernsdorfiana, pro *Nearchi*, recepta est Vossii conjecturalis emendatio, *Veragri*.

Berginen oppidum, et Ramas, et Trabalæ (1) paludes, et Cecylistrium (2), unquam audivit? Hariolis et aruspicibus hic opus est. Berginen tamen non dubito pronuntiare Urginum vel Ernaginum esse, vulgo *Orgon*. Ramas ad Trabalæ paludem, quamvis alius forte ex nominis similitudine conjiceret esse Miramas ad lacum Mastrameles, quem vos vocatis *Mer de Martigue*, ego tamen ineptum auctoris Græcæ linguæ semiperiti errorem esse puto, qui, lecto apud veterem aliquem Mastramelæ nomine, nec satis intellecto, ex parte vocis præcedentis et dicto lacus nomine, *Ramas trabalæ*, nomina monstrosa, barbara, et ipso pene tremenda sono, confinxit: id facile tibi viginti exemplis ex versione Dionysii Afri probarem, ubi sua somnia pro Græci poetæ sensu nobis obtrudit. — Tres illi nummi Τυμενίου insigne sunt, et studium geographicum juvant; cum Τυμενίου Θύραι Lydiæ oppidum ab uno Pausania (3) commemoretur. — ΛΥΚΙΑΝΩΝ (4) nummus, cum Brutiorum persimilis sit, videndum, numquid forte ΛΕΥΚΑΝΩΝ fuerit, cum non raro etiam in cisis numismatis literarum.

(1) *Ramas et Trabalæ*. Avien. f. 691 :

*Oppidum priscum Ramas,*  
*Trabalæ paludes.*

Sic veteres editiones. Wernsdorfius edidit ex emendatione Vossii :

*Oppidum Mastramelæ*  
*Priscum paludis.*

(2) *Cecylistrium*. Avieni priscæ editiones f. 693 :

*Quod incertentes Cecylistrium vocant.*

Nunc *Citharistium* legitur ex correctione Vossiana.

(3) *Pausania* : Attic. c. 35, §. 6.

(4) *ΛΥΚ*. Cf. pag. 142.

orthographia laboret : mihi Goltzii Thesaurus Antiquarius vel Magna Græcia nunc ad manum non est. In Creta autem hoc nomine gentem nullam hactenus legi , nisi forte ΛΥΚΤΙΟΤΣ innuere volueris ; videbo num certius quid respondere possim , postquam cum Menestriero (1) hac de re egero. Sed ut pro horum numismatum indicio gratias referam , ecce tibi literas a Dormalio nostro , quibus in Belgio similes thesauros repertos nunciat. Ubi intellexero quid hac in re fieri tuo nomine velis , agam sedulo , ut voti compos evadas , neque ipse labori aut operæ suæ parceret. Interim pergo tibi aurem vellere de manuscriptis Platonicis Græcis (2) mibi comparandis , si fieri ullo modo queat , quorum pretium libenter in antecessum exponam. Non dubito quin satis superque pro tua prudentia perspicias quanto usui et mihi et publico esse possint , qui nostrorum studiorum rationem modumque accurate ex Dormalio cognovisti ; cum vitam omnem istius modi thesauris evulgandis impendere statuerim : puto etiam ipsum Alean-drum postremis suis literis id meo nomine abs te petuisse , qui me semper cohortari solebat ; ut in eo studiorum genere pergerem , quod , licet sublime et divinum , pauci hactenus attingere ausi faere. Sollicite responsum expecto , et effictim libros ipsos desidero. Quæso non committas præstantissimos auctores in carcerem aliquem detrudi , aut in sepulchrum recondi , quibus omnes publicæ bibliothecæ Galliæ et Italiæ seatent ; nihil enim in iis observavi quod

(1) *Menestriero* : cf. p. 96. — Donio profuit in colligendis inscriptionibus : cf. Donii Inscr. p. 564, iv, v.

(2) *Platon. Græcis* : cf. p. 123, sqq.

non bis terve in Vaticano et in Regia habeatur (1). — De Aleandri libris haud dubie scire cupies quid futurum sit, ideo de his quoque nantiandum censui. Editos omnes comparavit sibi illustrissimus cardinalis Antonius Barberinus, nostri cardinalis frater, suasu cuiusdam Mediolanensis, amicissimi Aleandro dum viveret, qui eo consilio id effect, ne selectissima bibliotheca dissiparetur. Manuscripta opuscula tria reliquit : unum Observationum Miscellanearum, quarum specimen in Gallias secum detulerat ; alterum Explicationum Veteris Kalendarii, de quibus saepe inter vos sermo et literæ (2) intercesserunt ; tertium Epistolarum est, quas amicis scripsit stylo, ut non ignoras, politissimo. Omnia hæc illustrissimus noster patronus in suam bibliothecam transtulit, eo puto animi consiliò, ut in lucem aliquando proferantur. In Observationibus ipse Aleander multa adhuc desiderabat. Observationes ad Vetus Kalendarium in schedis dispersæ latent, ita tamen ut non magno negotio ab homine perito antiquitatis in ordinem redigi possint. Mihi non semel eas apud auctorem videre et perlustrare licuit, quem quotidie ad editionem matrandam cohortabar ; nunc Suaresius (3) eas sub manibus habet premitque : is vero quantum in eo studiorum genere valeat, et quam amans sit nominis ac famæ clarissimi Aleandri, vel ex eo tibi conjiciendum relinquo, quod

(1) *habeatur.* Sententia vel librarii, vel Holstenii culpa, videtur laborare.

(2) *literæ.* « Dans la correspondance d'Aleander et de Peiresc, [vüde supra p. 30], il est fort question d'un ancien calendrier, dont il est ici parlé. » FAURIS.

(3) *Suaresius* : cf. p. 126.

Toto biennio, quo Romæ vixit, vix bis aut ter ad Alean-  
drum visit; in morbo autem semel tantum, idque amicorum  
convicio et exprobrationibus, ad visitandum eum pertractus  
fuit. Quapropter cum non minima ejus Kalendarii pars ad  
te pertineat, id, quæso, diligenter ab illustrissimo car-  
dinale contendere, ut quidquid schedarum relictum fuit,  
id optimo et eruditissimo Donio concinnandum atque ex-  
poliendum committatur; quo nemo rectius Romanas istas  
antiquitates intelligit, aut propius ad politissimum Alean-  
tri ingenium accedit: tum vero præcipua quadam vene-  
ratione tanti amici nomen memoriamque prosequitur. Id  
tibi affirmo, nisi ipso obstetricante foetus ille posthumus  
in lucem proferatur, infelici abortu peribit, et eodem  
fato cum suo auctore extinguetur. Vale, perillustris do-  
mine, et studia nostra tua benevolentia fove. Romæ  
cœcccxxix. a. d. xxiii martii. Ill. d. v. addictissimus servus  
LUCAS HOLSTENIUS.

## XXI.

## \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Cum amicus meus Henricus Felix (1), juvenis elegans  
et perhumanus, ad vos rediret, committendum non pu-  
tavi, ut sine meis literis proficeretur, qui et literis et  
libris onustus ad me venerat; nec puto opus esse ut ejus

(1) *H. Felix*: cf. p. 95.

indolem ac virtutes tibi commendem, quas cum ipse perspectas optime haberes, mihi etiam commendatissimas esse voluisti. Et doleo sane quod toto hoc tempore, quo apud nos vixit, nullum ex officiis meis fructum percipere potuerit; cum tamen in ipsius rebus promovendis nihil minus mihi quam studium et animi promptitudo defuerit. Nec opus est rerum temporumque ~~reperiuntur~~, quæ voluntatem et consilia plerumque impedirent, prolixius a me exponi; satis enim disertus orator est ut coram rectius de omnibus apud te agat ipse Felix, cui forte felicior accessus ad hanc aulam fuisset, nisi aliorum æmulatio sibi decidere existimasset quidquid ipsi accedere poterat. Sed absens forte rectius negotium geret, præsertim si, oblata occasione, tua aliorumque amicorum intercessio accedat apud illustrissim. cardinalem, cuius ut mira erga omnes humanitas et benevolentia est, ita virtutis et modestiæ ejus rationem semper habiturum existimo, ubi favore et patrocínio opus fuerit. Hesternajdie accepi τερπνα numismatum ab Aubrio (1) quæ summa cum voluptate inspexi. De iis quid sentiam nuper (2) scripsi. Nunc illud addo, pro illo ΛΥΚΙΑΝΩΝ videri legendum ΛΥΚΤΑΝΩΝ, cum margo satis detritus sit, et I illud brevius reliquis literis: nam licet Stephanus meus ex Λύκτος formet ἡγεμόνη Λύκτος, attamen Λυκτανὸς quoque formatum fuisse observavi apud Proclum (3) in Dissertationibus in Polit. Platon. pag. 418, ubi Λυκτανὸς Respublica commemoratur viçose pro Λυ-

(1) *Aubrio*: cf. p. 47.

(2) *nuper*: cf. p. 136, sqq.

(3) *Proclum*: vide Holstenium ad Stephan. Byz. p. 195.

*πετραῖς.* Sed nummum cusum fuisse in Creta, Jovis caput et aquila *σκηντροῦχος* facile probant. Plura adderem nisi Dn. Felix abitum urgeret, et Poeta mihi in aurem diceret,

Xρὴ (1) ξεῖνος παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμψαι.

Romæ, 1629. a. d. 21 aprilis. Hl. d. v. addictissimus servus  
**LUCAS HOLSTENIUS.**

## XXII.

### \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

AMPLISSIME DOMINE,

Literas tuas xxvii aprilis datas aliquot diebus tardius accepi, quod in Albanum prius delatae essent, ubi Summus Pontifex cum illustrissimo cardinale cæteraque familia rusticabatur: absque hoc fuisset, jam ante octiduum rescripsisse, ut mea erga te observantia et officii ratio postulabat. Ego vero mirificum affectum, quo me et studia mea prosequeris, exosculari et mirari satis nequeo: ita me humanitate et benevolentia tua non cumulas tantum, sed plane obruis; cum nullam amoris testificandi occasionem prætermittas. Ne quid enim de cæteris nunc dicam, quot ejus argumenta postremis hisce ad amicos literis expressisti! Tum non satis habes quod tui me favoris patrocinio

(1) *χρὶ.* Hom. Od. O. 74.

fovendum suscepereis, nisi quotidianis etiam commendationibus aliorum animos magis magisque mihi conciliares. Atque utinam mihi ullo officiorum genere benevolentiae tuae respondere liceret, et tam honorifico de me judicio atque expectationi satisfacere! Nam quod in cl. Aleantri locum me subrogare conaris, id profecto tenuitatis meae conscientia deterritus admittere non ausim, nisi fidem et existimationem omnem apud te decoquere velim. Nam ut affectu et observantia tui nemini concesserim, qua fronte admittam, ut cum tantæ eruditionis viro quisquam me componat, vel in literario officio succidaneum me substituat homini tam magnæ et reconditæ eruditionis, tam judicii summi et exquisiti? Sed cum ita velis, dabo operam, pro parte mea, ut sicut tuam erga me benevolentiam augescere in dies sentio, ita studium quoque meum jacturam quam amicissimi viri obitu fecisti, crebrioribus officiis hincumque soletur, quod et Donium nostrum una tecum facturum existimo, et quidem eo magis, quantum politioris doctrinæ elegantia et antiquitatis cognitione præstat. Poterit etiam Suaresius abunde voluntati tuae respondere, qui solus quidquid hic literarii thesauri est, sub manibus habet, et pro libitu tractat; unde nos profani homunciones excludimus, quibus hic in tanta eruditionis copia nihil præter Tantaleam sitim suppetit, qua torqueamur. Nam ut studiorum nostrorum rationem intelligas, ita nunc nobiscum agitur (de me et Donio loquor), ut illustrissimi cardinalis bibliothecam non nisi solemani supplicatione præmissa ingredi liceat; ingressis ad inspectoris et *προσάτευ* arbitrium singulis momentis interrumpenda

lectio vel scriptio. Si commentatio interrupta hæreat , nec  
 vultatissimum quidem aliquem libellum , licet quatuor aut  
 quinque isthic fuerint exemplaria , domum asportare vel  
 ad horam unam licet , ut isthic per otium lucubrando ali-  
 quid mediteris ; si manuscripti alicujus Græci vel Latini  
 inspiciendi lubido vel curiositas animum incedat , religio  
 est , non dicam legere vel enotare quidquam , sed manu  
 attingere aut furtivo et fugiente oculo lustrare : adeo qui-  
 dem ut nisi , genium defraudando , et detrahendo ac com-  
 parcendo de dimenso quotidiano ; unum et alterum librum  
 maxime necessarium subinde quis comparet , non minus  
 hic doctrinæ adminiculis destituantur , quam iu ultima  
 Σευθῶν ἐρημίας ; nisi quis ad monachorum bibliothecas pu-  
 blicas aut librariorum officinas confugere quotidie velit ,  
 atque isthic forulos excutere et pulvrem detergere potius  
 amet , ut loca aliquot necessaria pro libitu excepatur , quibus  
 deinde domi per otium utatur . Hæc causa est cur studia  
 nostra tam lento molimine et βοτίᾳ προσδι procedant , quod  
 ingenium nunquam ad præclaram aliquam meditationem  
 afferre licet , nisi id prius alieno supercilie αντενθέπεις  
 submiseris . Quod quam aliis tolerabile sit ego haud facile  
 affirmaverim ; mihi sane adeo grave accidit , ut nihil supra  
 tam enim difficulter ingenii dominum admitto , quam ipse  
 nunquam in eujusquam ingenium tyrannidem affectavi , sed  
 hujusmodi μελανής ὑπουρος θρος semper ex animo dete-  
 status sum . Sed nolo aures tuas hujusmodi querelis verbe-  
 rare , ne μεμνήμονος videar : hoc tantum rogo , ut quæ  
 sæpius absque ullo librorum subsidio scribere cogimus ,  
 eo benignius excusare velis , si minus voluntati tuæ satis-  
 faciant ; tum etiam minus mirabere , quod ea quæ in geo-

graphicis aliisque antiquis auctoribus jam dudum meditarà cœperam, parum feliciter succedant, cum non solum otio ad perficiendum hujusmodi cœpta opus sit, sed et magna librorum copia in tam diffuso eruditioñis genere sit per volvenda. Hæc autem museum et secessum tranquillum requirunt, non desultorias bibliothecarum pererrationes. Sed interim, *as ðvñmēða*, donec propitiū numen, et illustrissimi patroni benignus favor locum aliquem portumque securum Musis nostris prospiciat. In patriam tamen *vix me reversurum* puto, antequam ingens hic belli Saxonici æstus resederit; et licet de Præposituræ Hamburgensis (1) titulo Summi Pontificis collatio et Cæsaris consensus securum me fecerint, nescio tamen an possessionem ejus adire unquam possim, nisi res Cæsari plane ex voto successerint adversus Daniæ regem, ut, victo et subacto iuratissimo catholici nominis hoste, facilius deinde cum nostratis agatur, qui, Dani vicinia et potentia freti, proterve Pontificis auctoritatem et Cæsaris iussa respuant. Sed hæc longa historia. Interim vehementer te rogo et obtestor ut emptionem Platonicorum (2) tibi cordi habeas, ne tam commoda et insperata occasio effugiat, vel ab alio aliquo intervertatur; dispicies pro prudentia tua τὴν ἀρμὴν τὸν κατηροῦ, quam omnium rerum primam (3) esse non ignoras.

(1) *Præpos. Hamburg.* Cf. p. 122.

(2) *Platonicorum*: cf. p. 125 sqq.

(3) *omnium rerum primam*. Forte adludit ad Pindari verba P. IX, 136:

‘Ο δὲ κατηρὸς ὁμοῖος  
Πλαγτὸς ἵχει καρυφάν.

Proinde ut caute cavendum est , ne emendi cupiditate temere prolabamur , ita puto negotium conficiendum esse , dum vendendi voluntas adest et pecuniae egestas , ne postea animum obsfirmet ; aut conditiones mutet , ubi aliunde pecuniam paraverit (1). Si me amas , et studia mea , quæ publicæ utilitati devovi , transige quam primum fieri possit , ut res illa nobis in salvo sit. Liberabis meum animum magna sollicitudine , qua nunc suspensus torquetur ; imo beabis me multo magis , quam si Croesi thesaurum aut Cyri regnum offerres : nam studia illa vitæ et animæ loco mihi sunt et unicum solatium. Centum scutatos libenter in omnes impendam : atque utinam mihi pecuniam tibi præsenti præsentem in manus dare liceret , ne quid moræ hinc optatissimo negotio objiceretur ! Scribet eadem hac occasione Dn. *Bonaire* (2) , cui pecuniam istam libenter in antecessum apud mercatorem assignasse , nisi ipse suam fidem interponere apud te maluisset , donec de mercatu confecto constet. Ignosces cupiditati honestæ , si importunius hoc abs te contendam : nam quod Socrates in *Phædro* (3) de se testatur , et Julianus Cæsar (4) in quadam epistola ( nisi me animus fallit ) , nulla esca est qua ita capior atque libro bono ; hujus spe non solum per Urbem me aliquis ductitaverit , sed vel in Græciam et ultimam Asiam ; præ hoc studio , equos , canes , ludos , convivia ,

(1) *paraverit*. Excidit vendentis nomen.

(2) *Bonaire* , vel *de Bonnaire* , Gassendio Vit. Peiresc. p. 95. Debonærus vocatus. Barclaii uxoris germanus erat.

(3) *in Phædro* : §. 10 , p. 200 , edit. Heind.

(4) *Julianus Cæsar*. Respicit forte Orationem III , p. 124 A.

et quidquid vulgo in delitiis est , facile contemno. Quanto-  
pere me *amabilis* hæc *insania* (1) teneat , Dormalius te-  
stari apud te potuit , cui et cubiculum et mensam apud  
me communem esse volui , ut unicum Olympiodori librum  
mihi describeret. Deinde Græcum monachum octodecim  
et amplius scutatis alui , ut Proclum in Alcibiadem lacerum  
et mutilum mihi describeret. Ab eo tempore , annum ferme  
integrum , juvenem Germanum domi alo , qui geographos  
omnes Graece et Latine mihi descriptsit , tum philosophica  
pauca , nunc quædam SS. Patrum præ manibus habet. Vix  
dicere ausim quantum me uno anno impendisse hanc in  
rem sentiam. Et nuper adeo episcopi Græci μικροβαρβαρου  
operam redemi xv scutatis , ut pauculas homilias ex Va-  
ticano transcriberet. Quæ propterea commemoro ut φθωλ-  
μοφενᾶς perspicias , me cccc scutatos ferme impendisse in  
scriptores Græcos , neque tamen vel quartam partem mihi  
parasse , imo ne sextam quidem eorum , quæ isthic centum  
scutatis comparare licet , periti hominis manu scripta.  
Multos enim illius Andreæ Epidaurii (2) codices tractavi,

(1) *amabilis hæc insania*. Horat. III od. , 4, 5 :

*An me iudit amabilis*

*Insania?*

(2) *Andreæ Epidaurii*. Hinc patet hos codices fuisse ab Andrea  
Darmario Epidaurio descriptos , cuius frequens in historia literaria  
mentio : cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VIII, p. 191 , not. p; t. XII,  
p. 88 , §. 3; Sax. Onom. t. II, p. 536; Hardt. præf. ad Pollucem;  
etc. Et infra non semel ejus nomen ab Holstenio adferetur. In  
præfatione ad Marinum codicem e Regia Taurinensi indicavi , qui  
fuerit olim *Andreæ Darmarii* , ubi opinionem viri eruditissimi  
memoravi qui sibi *Andreæ Darbarii* legendum videri per literas

nec puto ullum ταχύγραφον post natas literas tam multa transcripsisse, ut hominem plane χαλκέττερον καὶ χαλκίχειρα fuisse necessum sit. Quocirca iterum atque iterum rogo, ut libros illos quam primum impetres: erit hoc sane immortale tuum erga me beneficium, quod ego publice in scriptis meis passim prædicabo, ut quidquid unquam boni inde ad publicum pervenerit, id tibi acceptum referatur.

michi significaverat: equidem tunc illis judicium hac de re permiserauam qui codicem ipsum poterant inspicere. Accepi ab illustriss. viro Vernazza di Freney epistolam qua hanc legendi rationem impugnat: *Non posso consentire nè col sig. H. al qual sembra doversi leggere Darbario, e non Darmario, nè con V. S. illustrissima, che, lasciando la cosa in dubbio, ne rimette ad altri il giudicio. Andrea Darmario, figliuol di Giorgio Darmario, è nome conosciutissimo dei letterati. Lo fu dal Casaubono; lo fu dal Lambecio. Egli ai 24 di ottobre 1560 era in Venezia; ai 21 di novembre 1567 era in Toledo; nel 1578 e nel 1579 era in Madrid; ai 3 di settembre 1584 era in Tübinga. Il Colville mostrò di aver poco buona opinione di Andrea Darmario. Di Giorgio ha fatta memoria il Bianconi in lettera di 8 novembre 1762 al Marchese Hercolani: opere sue vol. II, p. 41. Accepi et a sene venerando, Jac. Morellio, literas de eodem argumento, quarum particulam hic describam: « At vero codicem Marini Tau-« rinensem a Darbario exaratum, non ab Andrea Darmario Epi-« daurio dum H. censuit, id eum perperam fecisse equidem puto: « compertum namque est codices plures manu Darmarii ejusdem « sec. XVI scriptos in bibliothecis variis extare, ac præsertim in « Parisiensi codice 2150, et alio olim Coislinoiano, apud Montfau-« conium p. 222, Monachiensi ( Hardt Catal. t. V, p. 416 ), Matri-« tensi ( Yriarte, p. 131 ), Norimbergensi ( Murr. Bibl. Noremb. « t. I, p. 53 ), Mediolanensi a Muratorio relato ( Antiq. Ital. t. III; « p. 927 ), ubi de librario eo disserit tanquam de homine scriptis « consarcinandis eodicibusque vendendis intento. »*

Id, quæso, vide, ne qua schedula inempta maneat; nam ubi semel dato pretio in potestatem nostram transierint, commodius omnia exuti emus. Et habebis tibi προξενητικὸν, si velis, ea quæ de jure ecclesiastico tractant, tria prima volumina (1), et historica quædam, modo philosophica omnia mihi cedant. Si illos auctores impetrem, universam Academiam veterem, et ipsas Athenas Atticas ab inferis excitarbo. Juva me, quæso, qui solus hac in re potes, et quamprimum me voti compotem effice. Sed vide quodnam ego consilium moliar: illustrissimus archiepiscopus Tholosanus Dn. de Montchal (2) compararat sibi hic in Urbe ἐφαίρεταν καὶ φαινομέναν auctores veteres ferme omnes, vide licet Euclidem, Aristarchum, Autolycum, Theodosium Tripolitam, Theonem, Pediasimum, Heronem, et alios, Græce et Latine eleganter et accurate παραλλήλως descripsos manu Josephi Auriæ (3), insignis mathematici Neapolitani qui magnam partem, ut nosti, Latine tantum, hie edidit. Eos auctores illustrissimus vir non usque adeo magni faciebat, quod mathematicis illis minime delectetur; ideoque cum ei ostendissem me animum non leviter appulisse ad eam curam, ut, post absolutos geographos, rerum coelestium scriptores omnes junctim proferrem, cœpit ipse ultro mihi offerre dictos auctores, si quid forte ecclesiasticum vel theologicum hic in Italia mihi occurreret quod submitterem, et hoc ἀνταλλάγματι libenter sese copiam illorum mihi facturum promittebat; nec

(1) *tria prima vol.* Cf. catalogus supra p. 150.

(2) *Montchal*: cf. p. 77.

(3) *Auriæ*: cf. Sax. Onom. t. IV, p. 13.

dubito quin obtineri facile ab eo possint, si ex hisce libriæ tria aut quatuor volumina mili minus necessaria ipsi offerrentur : ita una fidelia duos parietes dealbaremus, et antiquitatis studia egregie promoveremus. Duos autem potissimum auctores ab ipso adipisci cupio, Theonis (1) Introductionem in IV mathematicas scientias ad intelligendum Platónis Timæum, qualem operam inter Latinos præstare conatus est Chalcidius Afer, quem ex duobus Mes., tum crebra lectione, et collatione cum Proclo aliisque Græcis, infinitis in locis meliorem feci (2). Alter vero, quem cupio, est Pediasimi (3) Commentarius, in Cleomedem, eruditissimum illum Stoicum. Scripsi illi nuperrime, et obtuli quatuor libros Cyrilli (4) in S. Joannem hactenus desideratos, V<sup>m</sup>, VI<sup>m</sup>, VII<sup>m</sup>, VIII<sup>m</sup>, quorum mihi spes alicunde facta est, eaque non dubia aut obscura. Verum hæc arcana nulli mortalium indicanda, donec divinum opus certum jam inter manus habeam. Sed de his commodius agemus, ubi libros a te coemptos cognovero, quod ego effictim et perditæ desidero. Nunc te rogo, si Gemini antiqui Græci scriptoris Εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα apud vos extet, ut prece vel pretio mihi alicunde pares. Nullum hic in Urbe extat exemplar, cum tamen vehemen-

(4) *Theonis* : cf. p. 20.

(2) *meliorem feci* : cf. p. 21.

(3) *Pediasimi*, nondum editi : cf. Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 40.

(4) *Cyrilli*. Oudinus apud Michaltium, *Mél.*, t. II, p. 39, ait Holstenium habuisse a Jesuita Giattinio Cyrilli libros III, IV et V, in Apocalypsim commodatos, et cum transcribi sibi curavisset, episcopo cuidam docto misisse, a quo Aubertus Cyrilli editor habuerit.

ter illo indigeam ad primam *συντάγματος* geographicī partem ex veterum mente recte constituendam, cum non astronomiæ tantum, sed et geographiæ fundamenta tradat. Non opus est ut Lucretiæ vel Lugduni de eo inquiras, si apud vos forte non extet; nullus enim isthie bibliopola est, apud quem non saepius perquisiverim. Editus fuit Gr. Lat. 8°. Altorfii (1). Redimam quovis pretio, vel alium librum cubitalem contra mittam, si haberi aliter nequeat. — Nuper fausto omine mihi amicitia contracta fuit per literas cum tribus Neapolitanis, primoribus eruditorum ejus regni, et forte solis, Fabio Columna (2), Bartholomæo Carracciolo (3), et Petro *La Seine* (4); et nunc frequens mili isthuc literarum commercium est, nec erit sine aliquo meorum studiorum fructu: nam Petrus *La Seine* indicium mihi fecit bibliothecæ cuiusdam Græcæ, quam monachi Augustiniani draconum instar occupant: ea Jani Parrhasii fuit, qui summo studio præstantissima antiquitatis monumenta per omnem Italiam conquisivit, inde cardinalem Seripandum possessorem habuit, qui moriens monachis eam legavit. In ea Stephanus de Urbibus manuscriptus

(1) *Altorfii*, an. 1590, cura Hilderici: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. IV, p. 32.

(2) *Fabio Columna*, Hieronymi illius qui Ennium edidit filio, et botanices studiis notissimo: cf. Sax. Onom. t. IV, p. 52; Thuanus, Hist. I. LXXXIV, an. 1586; Naudæana p. 59, 185; et Additiones ad Bibliothecam Toppianam.

(3) *Barth. Carracciolo*. Vide Toppii Biblioth. Neapolitanam.

(4) *P. La Seine*, latine, *Lasena*. De eo cf. Sax. I. c. p. 310, Erythræi Pinacothecam, et Toppii Bibliothecam cum Additionibus. Hujus mortem narrat Noster infra Epist. data d. 6 sept. 1656.

extat, tum Iamblichi et Porphyrii (1) multa, ut scribunt: uno verbo intactos Arabum thesauros nuntiant; et iam certo constitui eo excurrere, ubi per aëris temperiem licet; neque enim Parthenopem tuto quovis anni tempore adire licet.

Dormalii *χρυσοποιία* (2) tui palati cibum non esse facile conjectaham; et mihi quoque tam plumbeum cor est, ut quidquid id aureæ artis scriptorum extat, vix uno æreo obolo redemptum cupiam. De Susianis numismatis (3), libris, schedisque diligenter monui, et operam suam offert, in perquirendis et excutiendis omnibus. Nunc isthic quoque turbatur, et omnia milite Cæsareano oppleta sunt, ut Musis, præsente Marte, copias suas explicare non liceat.

De Angli (4) illius thesauris, vel potius *spoliis Orientis* (5), nihil nuntiare possum præter ea quæ Paganinus Gaudentius (6), professor Pisanus, cætera parum curiosus hujusmodi *καιμηλίων* pervestigator, ad me scripsit; cuius epistolæ partem mitto, ut et Junii illam quam postremam

(1) *Porphyrii*. Hujus bibliothecæ catalogus insertus est Biblioth. Gr. Fabric. t. V, p. 796. Et quidem inter codices Græcos, n°. 13. Stephanus est Byzantinus; sed Iamblichum et Porphyrium adesse non notatur..

(2) *Dorm.* *χρυσοπ.* Cf. p. 122.

(3) *De Susianis numismatis*. Agitur, ni fallor, de literaria supellectile Nicol. Susii, vulgo *Suys*, jesuita Belga, de quo cf. *Sax. Onom.* t. IV, p. 205.

(4) *Angli*: cf. p. 129.

(5) *spoliis Orientis*: cf. p. 86.

(6) *Pag. Gaudentius*: de quo cf. *Sax. Onom.* t. IV, p. 379; Niceron. t. XXXI; Burman. *Syllog.* t. III, p. 581. Vide et *Nostrum Epist.* XXIII, p. 164.

ad me in Galliam vestram ex Britannia dedit. Rogavi Pagannum ut fusius referat, quid viderit, quid inaudierit. Tum etiam Dn. eques Puteanus negotium dedit Colvillo, ut is. ex Anglia indicem per Boswellum amicum suum mitti huc- curet rerum præcipuarum omnium, quas eo detulit. Quid- quid resciero, faciam ut æque mecum scias.

Antiquas inscriptiones, quarum meministi in postremis tuis, jam pridem vidi; alteram quidem de Borysthene equo Hadriani apud Casaubonum et Salmasium (1) in Commentariis ad Spartanum, ubi integrum illud epitaphium ele- gantissimum nescio unde profertur; alteram vero ipse sedulo meis hisce oculis lustravi, cum Segusium transirem in illustrissimi cardinalis Spadæ comitatu. **Arcus** (2) extra oppidum in horto senticeto et ruderibus impeditissimo ex- trat, ita ut proxime accedi tum haud facile posset. Structura elegans est et spectanda propter arctissimas saxonum con- juncturas, quæ vix cultelli aciem admittunt, qualis etiam ille Trajani est in Portu Anconitano. Literæ vel potius literarum vestigia confusa adeo ut mortalium nemo oculis distinguere possit, nec Argus ipse, credo, si accederet, aut Lynceus; neque enim incisæ fuerunt, sed ex ære pro- minulæ, ita ut, præter literarum ductus, ære jam a Bar-

(1) *Casaubonum et Salmasium*: illum p. 37, hunc p. 54, ad Scriptores Hist. Augustæ. De Borysthene inscriptio fuerat ex agro Aptensi effossa et in Peirescii museum illata: cf. Gassend. Vit. Peiresc. p. 141, *Requier*, *Vie de Peiresc*, p. 237, et omnino Burmannus, qui ad Anthol. Latin. IV, 399, eam illustravit.

(2) *Arcus*. De Arcu Segusiano multi scripsere, quos indicat Mil- linus, vir eruditissimus, *Voy. en Italie*, t. I, p. 105; qui et p. 106. inscriptionem retulit, et arcus imagine libri frontem ornavit.

baris ablato , foramina quoque creberrima apparent , quibus literæ ipsæ saxo infixæ hærebant ; et illa quidem disrupta (1) et cum ductibus confusa , ut fieri necessum est , ubi vi et ferreis malleis unci plumbo ferruminati evel-luntur . Quocirca præter duos primos versus nihil describere inde potui ; quod et olio et molimine majori ad eam rem opus esse viderem , quam ego *in næpiō dñi* adhibere poteram . Nam illustrissimus cardinalis , cum eo die summum Alpium jugum superassemus , tempus pomeridianum duntaxat isthic exegit : ego autem pro more meo oberrando serius in illud monumentum incidi ; tum accersendus ex oppido horti dominus ut propius admitterer : ille vero sæpius jam descriptum affirmabat , præsertim ab exteris ; et eo quidem facilius acquievi , quod nequaquam dubitarem quin tota inscriptio edita extaret . Sacrificia ista quæ in tænia longa exprimuntur in suprema arcus parte , sedulo etiam notavi , præsertim Suovetaurilia illa , quorum speciem nuspian-me tam accurate expressam vidiisse memini , et delineavi , prout potui in tabulis pugillaribus , quas mihi anno superiori famulus una cum aliis vestibus furto abstulit : quinimo ob figuræ rudius expressas vix a me impretrare potui , ut crederem opus illud Augustæi sæculi esse . Inde ubi Augustam Taurinorum pervenimus , sedulo inquirere cœpi ex Serenissimi Ducis bibliothecario , Dn. *Bursier* , qui et ipse editam esse affirmabat , licet auctorem indicare nullum posset . Deinde cum ab ipso Serenissimo Principe humanissime colloquio exciperer in bibliotheca , et inter alia sermo quoque de Alpium transitu et via ab

(1) *disrupta* : vide Millinum , l. c. p. 112.

Augusta per provinciam illam strata incidisset, et ostenderem me inscriptionem totam expressam videre non parum cupere, respondit eam totam in Plinio extare, ubi devictas ab Augusto Alpestres gentes commemorat; cumque contra obtendisse Cluverii sententiam, qui Plinii locum (1) illum ad Alpes Maritimas et Trophæa Augosti refert, dicebat ridiculum esse errorem, cum tam clarum et certum extaret documentum. Esset profectio operæ pretium doctum aliquem hominem admotis scalis ex sulcis confusis totam exprimere: ego enim re ipsa expertus sum, isthic non tam oculorum acie quam digitorum contactu opus esse, ut ductus singuli a foraminibus et rupturis dignoscantur.

Tu nunc contra a me accipe, quæ hic eruta in lucem fuere hac ipsa septimana. In hortis illustrissimi cardinalis nostri reperta est pictura antiqua (2) elegans sane et quantivis pretii, licet nihil symbolicum complectatur, ut altera (3) illa Aldobrandinorum. *C'est un paysage grotesque avec un étang, et certaine cascade d'eau, et une fontaine en façon d'une citerne qui butte l'eau dehors en divers endroits, avec une petite maison rustique merveilleusement bien inventée.* Tota pictura longa est pedes iv, alta iii, cujus ectypion nunc ob temporis angustias mittere nequeo: faciam autem ne diutius illa careas, cum totus iste apparatus mirum antiquitatis ingenium ostendat. In-

(1) *Plinii locum*, H. N. III, XXIV, 20. de quo Cluver. Ital. Antiq. p. 65. Cf. Grut. Thes. Inscript. p. 226, 7.

(2) *pictura antiqua*. Nymphaeum hoc commentariolo' illustravit Holstenius, quod reperitur in Thesauro Gronoviano t. IV, et post ipsius notas ad Stephanum Byz.

(3) *altera*: Nuptiæ Aldobrandinæ: cf. p. 118.

terim desiderium solaberis elegantissima inscriptione, quam illustrissimus et reverendissimus Dn. Azolinus (1), Summi Pontificis secretarius, vir omnis antiquitatis peritissimus; tum præsertim rerum geographicarum, eruit. Is cum forte Triviæ Lacum visurus excurrisset, lustravit diligentissime situm oppiduli quod lacui imminet, cui vulgo nomen est *Nemi*; ibi ille in horto qui ad Frangipanos, nobiles Romanos, pertinet, nonnihil extra oppidum, maxiuna vestigia celeberrimi illius templi Dianæ Nemorensis cum parte apsidis deprehendit, et in basi prægrandi hanc inscriptionem (2) :

DIANAE  
NEMORESI VESTAE.  
SACRVM DICT.  
IMP. NERVA TRAIANO AVG.  
GERMANICO III COS. PRAEF.  
EIVS T. VOLTEDIO M. AEMILIANO  
QVAESTORIBVS  
L. CAECILIO VRSO II. M. LVCRETIO  
SABINO II AEDILIB. Q. VIBENNA QUIETO  
ET CLAVDIO MAGNO  
P. CORNELIVS TROPHIMVS PISTOR  
ROMANIENSIS EX REG. XIII. IDEM CVR  
VICI QVADRATI. LANIA ETHIONOE CONIV  
EIVS VOTVM LIBENS SOLVERVNT.

(1) *Azolinus* : « Laurent Azolinus [vulgo *Azzolini*], secrétaire « d'Urbain VIII, évêque de Narni, mort en 1632 ; bon poète, auteur « d'une satire contre la débauche. » FAURIS. Cf. Allatii Apes, p. 245, et Nicii Erythraei Pinacothecam.

(2) *inscriptionem*. Legitur ap. Gruter. p. 41, 7, ubi an. 1554 reperta dicitur. Gruterus habet §. 4. NERVAE. §. 6. MAMILIANO. §. 7;

Dissertatiunculam elegantem proxime mittam, qua illustrissimus Azolinus loci situm et hanc inscriptionem illustrat. Detectum quoque fuit in summo Albani Montis vertice vetustum templum Jovis Latialis ab equite Puteano una cum cisterna maxima et via silicibus strata, quæ inde usque ad Appiam pertingit, nusquam ferme interrupta. Idem quoque Albani, quod oppidum ad Exc. Principem Sabellum spectat, in ædibus et horto cuiusdam Pauli Panizzæ deprehendit vestigia maxima et totam ~~statim~~ castrorum prætorianorum Domitianæ Cæsaris; portam quoque eorumdem, et duas utrimque turres quadratas, militum excubiis destinatas, observavit, et inter rudera hanc inscriptionem:

Imp. Caes. L. Sept. Séver. Pi. Pert. Aug. et Imp. Caes.  
M. Avrel. Ant. Pi. Felic. Avg. Parth. Max. Britann.  
Max. PP. et Ivliae Avg. matr. Avg. N. et senat. et pa-  
triae et Castr. Minerv. Aug. Sac. Dasimivs  
Firmin. Corn. leg. et Avr. Victorin. actar.  
cvm imm. libr. et exactis vot. m. f.

Nolui majusculis scribere ne nimium excrescenter versus.  
Addam duas alias ab eodem repertas. Palazzoli in conventu  
Franciscanorum reformatorum pulcherrimis literis:

**AESOPO CAESARIS**

**AVGVSTI DISP.**

**APSYRTIANO**

... VCLIA C. F. PIRA

CONIVGI CARISSIMO ET

SIBI POSTERISQVE SVIS.

QVAESTORIB. f. 10. TI. CLAUDIO. f. 13. ET LANIA C. F. THYONOE  
CONIVX.

Lanuvii in loco publico, quæ forte edita est (1) :

T. AVRELIO  
 AVG. LIBERTO  
 APHRODISIO  
 PROC. AVG.  
 A RATIONIBVS  
 S. P. Q. L.  
 DEDIC. Q. VARINIO Q. F.  
 MAEC. LAEVIANO. AM.

His te muneribus remunerari volui, donec, lustratis singulis, accuratiora scribere liceat : vereor autem ne sit munus quale Sylla literator miserat Catullo (2); qualiacumque tamen æqui bonique consule. Addo et hoc, Palazzoli in hypogæo repertum sepulchrum elegantissime incisum saxo, cum quatuor fascibus; quod ipsum quoque Dn. Eques (3) delineari curavit. De pictura γαμηλίᾳ expectamus in dies Laurentii Pignorii (4) copiosam declarationem, quam rogatu Dn. Equitis suscepit : eidem quoque cl. Aleander ο μακαρίτης suas observationes submisit, ita ut mihi non libeat falcem in alienam messem mittere, præsertim cum libris ad eam rem necessariis destituar. De vase illustris-

(1) *edita est*, ap. Grut. p. 371, 2. qui habet. f. 2. LIB. f. ult. AED. pro AM.

(2) *Catullo*: non Catullo, sed Calvo. Lapsus est memoriae. Cf. Catullus XIV, 8.

(3) *Dn. Eques*; nempe *del Pozzo* : de quo supra p. 111, ubi varias ejus nominis versiones Latinas notavi. Addo nunc et a Nicio Erythræo, t. I, Epist. 20, 22 ad Tyrrhenum, vocari Puteum, et Epist. 61, Puteolanum.

(4) *Pignorii*. Cf. supra p. 118, not. 4.

simi cardinalis et figuris eidem insculptis proxime scribam, ubi id videro : nunc de re incerta certi quid dicere nequeo.

Vale, perillustris et amplissime domine, et negotium librarium (1) in primis tibi cordi habe; ego invicem omni officiorum genere animi gratitudinem tibi probare conabor. De Dionysio Bysantio (2) iterum tibi aurem vello, qui totum nostrum geographicum institutum impedit. Iterum vale. Romæ, cœlōcxxxix. A. d. xxv maii. Perill. et ampliss. d. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

*Ex Literis Paganini Gaudentii ad L. Holstenium.*

« APPULIT nuper huc Anglus (3), vir insignis, redux ex Græciā, postquam ibi aliquandiu vixit et regionem perlustravit. Magna voluptate fuit perfusus, ubi vidit tuas ad me epistolas : nam ait te sibi fuisse notum olim in Anglia, et voluisse secum proficisci in Græcia. Non pauca defert secum quæ lucem aspicient. De quodam conqueritur, qui emiserit quasdam inscriptions suppresso nomine illius qui eas reperit. Pollicitus fuerat se daturum literas ad te, sed abiit me non salutato. Facile revocaveris tibi in mentem ipsius nomen, et, puto, scribet. De statu rerum tuarum non pauca dixi, quæ illi auditu gratissima fuerunt. »

(1) *negotium librarium* : emptionem Platonicorum codicum.

(2) *Dionysio Byz.* Cf. p. 93.

(3) *Anglus* : cf. p. 129.

*Ex Litteris Patricii Junii, 10 febr. 1627, scriptis ad eumdem.*

« NARRO tibi, quæ exinde accidit, rem tuis auribus  
 « non ingratam. Ante paucos dies, ad com. Arundelium  
 « ( qui solus inter magnates hujus regni rerum hujusmodi  
 « curiosus est ) inscriptiones aliquot non pœnitendæ ex  
 « Græcia huc adductæ sunt, inter quas una est quæ con-  
 « tinet fœdus inter Smyrnæos et Magnesios (1) tempore  
 « Seleuci Callinie sancitum, cui parem, si prolixitatem  
 « et variam quæ inde elici potest eruditionem conside-  
 « raveris, tota antiquitas non habet, etc. Codices etiam  
 « MSS. nonnulli allati sunt, inter quos est Ephræm Syrus,  
 « cuius Homiliæ Græco idiomate loquentes, licet inter-  
 « pretis vitio, teste Photio (2), a Syriaci sermonis elegantia  
 « et auctoris suada flexanima multum discrepant, in syn-  
 « tagmate suo locum vendicare non immerito poterint :  
 « liber est in membranis scriptus, etc. »

Hæc illi : de cæteris nihil particulatum scribunt. Si quid amplius, vel ex Paganino, vel Boswelli (3) liseris, cognovero, faciam te quoque de singulis certiorem. Vale, *decus et præsidium nostrum.*

(1) *Magnesio's* : cf. p. 96.

(2) *teste Photio*, in *Bibliotheca, Codice EXCVI*, p. 515, 25.

(3) *Boswelli* : cf. p. 154.

## XXIII.

\* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLISTRIS ET AMPLISSIME DOMINE,

Adeo ego abunde et prolixie ante octiduum scripsi, ut jam nihil penitus mihi supersit, quod literarum argumentum et materiem suppeditet; ideoque supersedisse omni nino scribendi labore, nisi mihi religio esset certam amittendi (1) occasionem prætermittere. Hymnos ecclesiasticos a Summo Pontifice, vel, ut titulus habet, Pontificis jussu emendatos puto ab illustrissimo cardinale jam mitti: avide hic scire expetunt, quodnam transmontani homines de toto labore judicium sint laturi. De hisce alias prolixius scribam, ne quid rerum Romanarum ignore. Nunc paucis indicabo quid de Triturii (2) nomine in veteri inscriptione apud illustrissimum cardinalem sentiam; quamvis tu omnia tam erudite observaris ut nihil a quoquam addi possit: mihi vero ne Inscriptiones quidem Gruterianas inspicere licuit, ut loca abs te citata expenderem. Dicam itaque

(1) *amittendi*: vox corrupta. Legendum forte *ad te mittendi*.

(2) *Triturii*. Codex alter *Tritunii*, Sed illa lectio verior est; quippe quæ conspirat cum ipsa lectione inscriptionis a Fabretto apposita Inscript. p. 100 F, 228. Holstenius hic agit de nominibus extra inscriptionis corpus nonnunquam extantibus, quorum exempla Fabrettus, ibid. p. 99, plurima e Grutero et aliunde attulit: cf. Oderici Inscript. p. 133.

quid non esse credam , cum quid sit dicere non possim. Mea igitur hæc sententia est , nequaquam loci vel gentis vel tribus vel collegii nomen esse , sed hominis , uti nec *Ægyptii* (1) , nec *Phosphorii* (2) , cæteraque quæ citas ; quamvis non ignorem Portum Byzantium (3) posteriori hoc nomine olim appellatum. Restat ut vel artificis esse dicamus , vel ejus qui posuit , vel cui ponitur. Artificis esse non credo , cum ex plurimis exemplis appareat eos statuæ ipsi nomen adscripsisse , non basi : nam qui laudem ex arte , vel artificio aliquo pulcherrimo , quærebant , norant statuas sæpius transferri et alteri basi imponi ; ita nominis gloriam quam ex opere sperabant facile interitaram videbant. Nec scio an ii qui vel honoris vel affectus causa alteri statuam ponebant , vel quamecumque inscriptionem æquo animo laturi essent , ut artificis vel statuarii nomen ita conspicuum in capite , vel fronte potius , legeretur. Neque eorum nomen esse credo qui aliis hujusmodi monumenta affectus sui ponebant , cum id prolixe in ipsa *ἰσιγραφῇ* exprimatur. Superest ut quomodo ad eum referri possit , cui ponebatur , inveniamus. Hic ego vehementer probo , quod una voce transeuntium commoditati consultum fuisse probas exemplo Stiliconis (4) , et nescio quibus aliis , ubi præcipuum nomen extra reliquam

(1) *Ægyptii*. Forte legendum *Ægypti* : nam hoc nomen extra elogium occurrit ap. Grut. p. 440 , 3; ni ipse Gruterus fuerit emendandus.

(2) *Phosphorii*. Est hoc nomen apud Gruter. p. 570 , 3.

(3) *Portum Byzantium*. Et de hoc portu *Phosphorii* nomen intelligebat Fabrettus l. c. p. 100 H.

(4) *Stiliconis* : apud Gruter. p. 412 , 3.

inscriptionem seorsim proponitur, ut vel fugienti oculo cognosci possit. Sed quomodo hæc ad eas statuarum inscriptiones referri possunt, ubi nomen hoc a reliquis omnibus diversum est? nisi forte dicamus istiusmodi homines alio nomine (1) vulgo notos fuisse; quod nec verisimile mihi videtur, nec quomodo probari queat reperio: ita mihi plane aqua hæret, et aliorum sententias cognoscere malo, quam meam referre. Unum tamen monebo, lectum mihi olim apud rhetorem aliquem Græcum, non satis memini an Dio (2) is sit, an Synesius, an forte Maximus Tyrius, usitatum olim fuisse, cum tantum ubique statuarum antiquarum esset, quoties officii vel affectus monumentum alicui statuere vellent, non integras de novo confecisse statuas, sed antiquæ cujusdam elegantioris caput tantummodo sustulisse, et imposuisse alterum, illius scilicet cui statuam dedicatam volebant. Quid si forte hujusmodi homines ut ostenderent mutatam jam statuam, nomen quoque ejus cui postea dedicarant una voce adscripserint? Hæc ego, amplissime domine, non ita pongo, ut vera esse censem, sed quod aliis, qui plus otii et studii in hujusmodi rebus posuere, aliquam veri rimbandi et exsculpendi ansam præbere possim. Venit ante triduum ad urbem Paganinus Gaudentius, professor Pisanius, cuius præcedentibus meis (3) memini. Is affirmat

(1) *alio nomine*: cf. Fabrettus l. c. p. 100 K.

(2) *Dio*. Dionis Chrysostomi Rhodiaca scripta est in Rhodios qui statuarum veterum inscriptiones delebant, ut nova nomina impunerent. Cf. quæ notat Haverkampius ad Tertull. Apol. p. 127.

(3) *præcedentibus meis*: cf. p. 153.

Anglum illum (1) asseruisse se **xxx** millia coronatorum in iter Orientale impendisse, quinque annorum spatio, quos in Græcia maximam partem exegit; nullum non locum paulo celebriorem lustrasse; nihil non coemisse quod ullo modo ad antiquitatis memoriam faceret; statuas, inscriptiones, codices, numismata, gemmas, aliaque similia infinita asportasse. Ait se invitatum fuisse perhumanter, ut Pisis Liburnum excurreret, et magnam partem inspiceret, quæ nave **Anglicana** una cum ipso vehebantur: sed illi nulla hujusmodi rerum cura nec sensus ullus (2), quarum visendarum gratia libenter aliquot dierum iter subiissem. Hæc tantum habeo quæ nuntiem; cætera ex Britanniis expecto. Vale, et Platonicos (3), quæso, quam primum mihi compara, de quibus etiam Dn. **Bonaire** (4) ad te scribit. Romæ cœlocxxix. kal. junii. P. d. t. ad dictissimus servus **LUCAS HOLSTENIUS**.

Festinanti calamo ignosce.

(1) *Anglum illum*: cf. p. 160.

(2) *nec sensus ullus*: cf. p. 153.

(3) *Platonicos*: cf. p. 123, 130, etc.

(4) *Bonaire*: cf. p. 147.

## XXIV.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Postremis tuis a. d. VI AUGUSTI DATIS, nec affectus, nec  
scriptionis prolixitate respondere hoc tempore possum :  
nam et benevolentia tua erga me tanta est, ut novos  
michi perpetuo pariat beneficiorum fructus; tum vero  
rerum statum apud vos ob grassantem luem (1) adeo  
incertum significas, ut vix videam qua via responsum ad  
vos redire possit. Unica spes est in propitii Numinis mise-  
ricordia, quæ atrocissimi morbi furorem comprimat, et  
a tuo tuorumque capite avertat. Interim, quod præci-  
puum in publicis calamitatibus solatum viro sapienti esse  
debet, τῇ πατρικῇ προσοίᾳ Dei Opt. Max. animum con-  
firmare oportet, et præsenti malo se subducere in seces-  
sum aliquem salubriorem, ubi tranquilliori animo tibi  
Musisque indulgeas; qualis et propter Provinciæ vestræ  
amœnitatem, et commodiorem rerum ac fortunarum tua-  
rum statum, tibi deesse nequit. De manuscriptis Græcis (2)  
seculo animo te esse velim, nec cujusquam vitam periculo  
temere propterea exponi: sunt enim tuto in portu, quan-  
tum video, et expectandum donec tempestas hæc desæviat;

(1) *luem*: pestem, qua tunc Provincia laboravit. Cf. Gassend.  
Vit. Peiresc. p. 142; *Réquier*, p. 240.

(2) *de Msstis. Gr.* Platonicis illis de quibus supra toties.

et ubi metus tanti mali imminet, lente festinandum. Mihi enim promtissima tua voluntas et benevolentia abunde sufficit, etiamsi libris ipsis perpetuo foret carendum. Nam licet munus ipsum maximum sit et plusquam regium, animus tamen longe major multoque mihi acceptior, ex quo tantum donum proficiscitur. Ego de mea curta et paupercula supellectile quod *αὐτιδάρεον* loco referam non habeo; præter Arriani librum de Venatione (1), quem in lucem prodire gestientem sub illustri tuo nomine in publicum a me edi patieris. Neque enim alia de causa id ipsum fiet, quam ut publico testimonio prodam quantopere tibi studia mea devincta sint; tum vero quod Arrianum Gallicæ virtutis testem ac præconem tibi Gallorum clarissimo jure offerendum censem. *Αὐτογραφόν* nostrum ill. Dn. Thuanus secum in Gallias deferet, ut Parisiis quam nitidissime excudatur: sed hæc tanti non sunt, neque mihi propositum est exiguum munus verbis ornare. Quæ de Samuelis *Petit* (2) ingenio ac laboribus nuntias, lubens cognovi. Hominem non vulgarem esse satis appetet ex eo quod arcana et paucissimis trita studia sectetur. Laudo consilium quod Lutetiam eum pertraxeris, hoc est in lucem florentissimi regni et theatrum eruditiorum homi-

(1) *Arr. librum de Venatione*, serius tamen vulgatum, nempe an. 1644, et absque dedicatione Peirescio, qui tunc e vivis abierat. Sarravius Epist. 8o ad Salmasium, Holstenii versionem malam esse scribit: « Hui! versionem doctissimi istius viri tot scatere mendis « quis suspicetur? »

(2) *Petit*, cuius feruntur Observationum libri, legum Atticarum syntagma, et alia. Ipsi valde favebat Peirescius: cf. Gassend. Vit. Peir. p. 143, 144, et *Requier*, p. 241.

num, et rogo ut sedulo allabores ne præclaræ cogitationes in tot auctores diutius lateant. De Syncello, Theophane et continuatoribus (1) proxime scribam accurate; nunc enim inspiciendi nec tempus nec copia est, cum ob negotia quædam mea, tum ob Suaresii nostri morbum, quem longa febris lecto affixum tenet. Obiit ante paucos dies Joa. Bapt. Laurus (2), vir clari nominis ob editos varios libellos, præsertim apud Italos, ut nec vobis trans Alpes plane ignotum credam: fuit is sacro collegio cardinalium a secretis ( vulgo secretarium consistoriale vocant ), et successorem in eo munere habebit communem nostrum amicum Joan. Bapt. Douium (3), cui profecto cum omnibus bonis ex animo tam egregiam conditionem gratulor: mali enim et sublesti invidia rumpuntur. Ejus promotione nunc subrogandus erit qui epistolas Latinas illustrissimi cardinalis nomine scribat. Ambitur id munus strenue a Georgio Conæo (4), nobili Scoto, cuius opuscula aliquot

(1) *De Sync.—continuat.* Cf. p. 98, 99. *De his scriptoribus videndæ Suaresii Diatribæ duæ.*

(2) *Laurus*: de quo fuse Nicero *Mém.*, t. XXXVII: addit Bandin. *Vit. Don.* p. lvij, et Scioppius ap. Bandin. p. xxij.

(3) *Donium*: cf. p. 134, 1 ipse Donius Epist. p. 61: « Ad nos vero quod attinet, scito, post exercitum ad sex fere menses epistolarum Latinarum munus in familia illustriiss. cardinalis Barberini, nuper, in defuncti Jo. B. Lauri locum, Sacri Collegii seeretarium substitutum me fuisse. » Cf. eundem ibid. p. 60, 97, 98.

(4) *Conæo*. Codex alter *Conco*: et uterque mox exhibet *Cunæum*, pro quo reposui *Conæum*. De Georgio Conæo, Scoto, et canonico Lateranensi, vide Allatii *Apes* p. 174. Nic. Erythræi *Pinacothecam*. Non mediocriter laudatur a Scioppius ap. Bandin. *de Vit. Don.* p. xxij. Jæcherus, illum non recte vocat *Gregorium*.

elegisse scio, et a Josepho Maria Suaresio : ausus fuit ego operam meam illustrissimo patrono offerre, si forte sui hac in re esse possit. Deum testor nulla me vana ambitione ad hanc petitionem permotum fuisse, qui admiculis omnibus me destitutum sentio quibus alii nituntur, videlicet amicorum commendationibus, prensationibus et cuniculis aulicis; sed cum mea aliquo cum gustu hactenus ab illustrissimo cardinale lecta vel audita non obscure intellecterim, non huius officio meo tali occasione deesse, neque occasionem per inertiam e manibus dimittere, quia res meæ forsitan stabiliri possint. Nam cum omnes propemodum literæ Latinæ ad Germanos nostros et Belgas ac Polonos scribantur, præcipuum hanc et facillimam viam esse existimo, qua et meam industriam ill. hero probem, et gratiam ac favorem apud nostrates mihi conciliem: tum honestissimo munere apud principem hic fungi licebit, donec res meas in patria rectius componam. Interim suspensis animis hæremus, donec Donius proximis cardinalium comitiis rite ad munus illud, quod ante dixi, eligatur; neque enim antea successor ipsi designabitur. Quod si, medicorum instar, σημειωταριζῆ uti velimus, donec res in apertum prorumpat, puto me quidvis ab illustrissimi cardinalis benevolentia hac in re mihi polliceri posse, quem voluntatem suam humanissimis verbis apud alios testatum scio: dubito tamen utrum satis firma fronte sit ut Conœsum cuniculis agentem et longa merita obtendentem rejicere possit. De Suaresio minus metuo, cuius ingenium illustrissimo principi adeo perspectum, et Latini sermonis facultas, tum vero potissimum judicium, quod in omni scribendi genere præcipuum est, ut fucus fieri nullus possit per

alienam commendationem : nec facile illustrissimus cardinalis ipsum a bibliothecæ cura removebit , quod hactenus tanta cum ostentatione gessit, ut nos cæteri minorum gentium aulici nulli præ ipso fuerimus. Ex Italis nemo est qui munus hoc ambiat : secus enim facile peregrini homines ab omni spe dejiceremur , quamvis hoc munus , præter ipsum nomen , nihil secreti habeat. Sed ridebis scio novum candidatum cum ambitiosa petitione , præsertim quod tanta animi contentionे scribam ac si consulatum ambirem in prisca Quirini republica , vel tua quidquam interesset quis illustrissimo cardinali ab epistolis Latinis sit. Ne tamen gravius fortassis casum meum feras , si petitione excidam , scias mihi spem nec magnam , nec adeo altam esse ut ruina me affligere possit.

Venio ad explicationem annuli (1) nuptialis , quam tu adeo copiose et erudite persequeris , ut quid addere amplius debeam vix perspiciam , nisi id forsitan quod de septentrionalibus linguis scire aves. Lubens enim conjecturam tuam probo , voces illas non Latinas , sed Gothicas esse , vel cujuscumque tandem hyperboreæ dialecti. Et ne a patria , id est (2) , Saxonica discedam , TRAV conjugium seu potius fidem conjugalem , et absolute fidem seu fidelita-

(1) *annuli*. Circa Julium mensem hujus anni « Arelate cum rediret I Peirescius l , reperi⁹ ibi , acquivitque annulum quemdam pronubum , seu arrham geniale , de qua plura per literas cum eruditis disseruit , occasione inscriptionis , TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO : » Gassend. Vit. Peiresc. p. 143. Sed ex sequentibus Nostri verbis patet de alio hic agi annulo , et ex supplemento proximæ Epistolæ duo fuisse a Peirescio missa annulorum ectypa.

(2) *id est*. His vocibus e conjectura scriptis solvi compendium quodam obscurum.

tem nobis designat, unde annulus nuptialis, fidei et amoris pignus, TRAV-RINCK, voce composita, vulgo apud nostrates vocatur ( RINCK enim annulus est ). Vide ergo utrum non solum litera V conjuncta sit, vel innexa potius præcedenti, AV, sed et T prima litera R, hoc scilicet modo R, quod in sigillis medii sæculi non raro occurrit : ita TRAV significabit TRAV, et hactenus quidem non male. Sed quid ΓΕ sibi velit, nec ipse credo Apollo facile explicabit. Quid enim sibi vult Græcus character Γ in Latina vel Gothica scriptura ? Quid lineola super Ē posita ? Tenebræ meræ et plusquam Cimmeriæ. Hic consulendus esset Bonav. Vulcanius, qui Longobardicis et Gothicis scriptoribus specimina quædam literarum et scripturæ subjunxit : mihi ista Romæ videre non licet. Interim si conjecturam pro conjectura reponere licet, scias EE, vel, ut nunc scribimus, EHE, significare conjugium, unde nostris Saxonibus EE-STANT, status conjugalis, EE-BED lectus seu thorus conjugalis, et EE MAN maritus, et EE-FROW uxor, quasi dicas vir conjugalis, et conjugalis mulier. Vide igitur utrum ex EE, extrita prima litera, factum sit ΓE : ita vox TRAV adjective accipienda erit pro fido seu fideli ( eadem enim vox utrumque apud nos significat et fidem et fidum ) ; eritque TRAV EE, fidum conjugium : symbolum nuptiali annulo satis conveniens. Vel si hoc minus placet literam Γ extitam esse, cogita utrum inversam dicere malis, ut Γ pro L posita sit; et integra vox fuerit LEVE, cuius abbreviatio forte lineola supra posita significetur. LEVE autem nostra septentrionali lingua dicitur amor : ita TRAV LEVE, erit fidus amer. Sed hic iterum disqui-

rendum, utrum Gothica lingua easdem voces habuerit cum Saxonica. Certe hæ conjecturæ, licet nec veræ nec verisimiles sint, optime convenient cum illa inscriptione *serva fidem*. Addo et hoc, quod de sepulchralibus vel funebris annulis intelligendum ait illud, **VIVAS IN DEO**, item, **BONAM VITAM**, et alia hujus generis, ejus rei vestigia superesse inter Anglo-Saxones, qui nunc Britanniam incolunt: nam Londini et in cæteris Angliæ civitatibus, ubi aliquis paulo honestior obiit, amicis funus prosecuturis annulus aureus vel argenteus cum symbolo, vel inscriptione aliqua distribuitur: ita ut quanto quis plures cognatos vel amicos extulerit, eo plerumque onustiores habeat digitos hujusmodi annulis. Quod de abbreviatione nominum priorum apud Anglos observasti, id puto a Germanis defluxisse; nam cum pleraque omnes nostræ voces sint monosyllabæ, propria quoque nomina in unam syllabam coarctantur: ita HANS pro JOANNE, quod tu quoque observasti; MATZ pro MATHIA, FRITZ pro FRIDERICO, CORT pro CONRADO, LVR pro LVDERO, WOLF pro WOLFGANGO, CLAS pro NICOLAO: ita seminarum nomina ELS, TRIN, AN, GRET, pro ELIZABETHA, CATHARINA, ANNA, MARGARITHA, et alia longe plurima, de quibus Lutheri, alias pessimi magistri, libellus non malus vulgari lingua apud nos extat, quo de priorum nomine significatione disquirit. Vox Provincialis RAUBO, Ital. ROBBA, Hisp. ROPA, non ab *Arrabone*, vel alia Latina voce descendit, sed a Germanica RAVB, vel ROVB, vel ut Saxones pronunciamus ROF, hoc est spolium; unde spoliare vel prædas agere vel latrocinium exercere RAVBEN,

et nostris ROVEN , et fur vel latro RAVBER , et Saxonice ROVER : et hinc fortasse Itali , quibus ROBBA significat vestem , utuntur voce *spogliare* pro exuere vestes ; unde et poetæ Hetrusci *spoglie* pro vestibus dixerunt , cuius exemplum habes apud Tassum in prologo Amyntæ (1). Sed satis philosophatum vel grammaticatum de hisce minutis , quæ tibi forte risum vel stomachum potius movebunt . Sed cum de sepulturis et inscriptionibus antiquis mentio inciderit , ægre manum de tabula tollo . Igitur ut similibus te conjecturis remunerer , considera , quæso , an non gemma illa a Stephanonio (2) nuper evulgata , cum figura asini palliati qui nescio quid auditoribus suis pede uno porrecto edicere videtur , in probrum et contemnum religionis nostræ a paganis hostibusque sacrorum christianorum effigiata fuerit . Nisi enim me conjectantem animus fallit ; asinus ille palliatus non L. Apuleius , ut editor adscripsit , sed Ononychites christianorum deus erit , cuius scelestæ impietatis Tertullianus (3) semel atque iterum meminit . Nec ignoras quid gentiles somniarint de asini capite a judæis et christianis culto (4) . Sed hæc conjectura

(1) *Amyntæ* ; et primis statim versibus :

*Chi crederia che sotto umane forme  
E sotto queste pastorali spoglie  
Fosse nascosto un Dio ?*

(2) *Stephanonio*. J. Petrus Stephanonius gemmarum , sigillorum , aliarumque rerum elegautioris artificii mercator , et inscriptionum veterum collector non indiligens : vide Donii Inscript. p. 564 , vi ; Bandin. Comm. de V. Donii p. xix ; Gassend. Vit. Peir. p. 17.

(3) *Tertullianus* , quem vide in *Apologia* cap. 16.

(4) *culto*. Locus est Taciti classicus Hist. V , 4. Cf. Chevræum

inter nos pereat : nollem enim in publicum proferri rem  
conjunctam cum irrisione Supremi Numinis et sacratis-  
simæ religionis nostræ. Superest ut pro Pselli opusculo  
tibi gratias quam maximas agam : puto id σχίδιον (1) edi-  
tum esse cum Expositione in Oracula : tanti tamen erat  
curiositatis meæ sitim restinguere. Mittam proxime literas  
luculentas quas R. P. Jo. Morinus , theologus Parisiensis ,  
amico cuidam in Urbé degenti scripsit de Parisensi edi-  
tione Bibliorum τετραγλώττων , quam non sine fructu et  
voluptate legi. Vale , ill. domine , et valetudinem diligenter  
cura. Romæ , iii kal. octobris ccccxxix. Ill. d. v. addi-  
ctissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

## XXV.

## \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

PERILLISTRIS DOMINE ,

Nescio quo meo fato accidat, ut cum ingenii propen-  
sione certoque animi consilio id studiorum genus elegerim ,  
quod otii ac tranquillitatis plurimum requirit, desul-  
toriam semper vitam , studiis inimicissimam , vivere cogar ,

*Gouv. Mel.*, t. I, p. 37, et in Chevrœanis, t. I, p. 46; addito J. T. in Anglorum Classica Ephemeride t. IV, p. 48.

(1) σχίδιον : nempe "Εκθεσιν κεφαλαιάδη καὶ σύντομον τῶν παρὰ χαλδαῖος δογμάτων , ab Opiborio an. 1599 editam cum Expositione in Oracula.

dum fortuna me pro pila habet et hoc illuc per orbem terrarum circumagit. Nam ecce tibi , dum profundum studiis meis otium spero et portum me tenere existimo , Roma in ultimam usque Sarmatiam ad Serenissimi Poloniæ Regis aulam proficisciendi necessitas imponitur ab iis quorum voluntati repugnare scelus esset. Placuit enim Summo Pontifici et illustrissimo cardinali ut pileum rubrum , cardinalitiae dignitatis insignia , ad illustrissimum cardinalem Santa-Crucium deferrem ; cum quod nemo esset in hac aula , qui tam longinquas regiones adverso anni tempore obire possit ; tum vero quod ipse hactenus sollicite occasionem quæsierim adeundi Cæsaream Majestatem , ut coram me atque studia mea ipsi commendarem , operamque offerrem , dum de reformatione (1) ecclesiarum Saxoniarum serio agitur ; quod quidem hoc itinere *in partibus* optime fieri poterit : quæ præcipua mihi causa fuit , cur hoc munus non solum non repudiaverim , sed etiam ultro ambierim. Quo et illa accessit , quod , tam honorifica conditione in Germaniam missus , principibus viris me sistere , homines eruditione celebres adire , lustrare bibliothecas , et illustrissimi cardinalis nostri nomine egregiam aliquam supellectilem librariam colligere possim : quod quidem sedulo a me fiet Florentiæ , Bononiæ , Venetiis , Augustæ , Monachii et Viennæ , ubi publicæ bibliothecæ habentur ; atque hoc unicum erit tot difficultatum condimentum , quas in longinquo et periculoso itinere mihi propositas video , dum Italia et Germania militibus undique referta , aditus omnes occlusi , viæ latrociniis infestæ , et universa

(1). *reformatione* : cf. p. 107 , 121.]

ferme Polonia peste infecta. Sed assuetus molestiis animus tolerantia et optima in Deum spe adversus pericula omnia sese obarmat : vix enim ullum malorum genus excogitari potest quod non imminere mihi viderim , et capiti jam impendens effugerim. Multa alia adderem de toto itineris instituto, nisi temporis angustiae scribendi copiam negarent. Interim dum ab Urbe et amicis abero , res meas tibi, ut hactenus fecisti, commendatas habe , et , ubi occasio sese dederit, illustrissimo cardinali nostro diligenter commenda, in cuius spem gratiae tam arduum laborem lubens subii. Tu crebras a me expecta ex hypocaustis Germanicis , ubi longiores noctes erunt exigendae. Vale , illustrissime domine, et diurno silentio ignosce , eum Aquis Sextiis te abfuisse scierim (1), nunc ubi locorum degas nesciam. Romæ 5 decembr. 1629. Per illustris dn. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

Extat apud Dn. equitem Gualdum (2) vitrum auro aliisque coloribus pictum ( ego poculi aut patellæ fundum (3) esse existimo ), in quo duæ imagines a me , quantum potui per festinationem, expressæ visuntur cum inscriptione ,

(1) *abfuisse scierim*, ob pestem tunc in Provinciam grassantem : cf. p. 166.

(2) *Gualdum*, vulgo *Gualdo*, virum operum antiquæ artis perlitissimum. Gemmas veteres, quas magna copia possidebat, supremis tabulis Regi Christianissimo legavisse, didici ex Epistola N. Heinsii in Syll. Ulhii-l. XI, p. 291. Nominatur in Tomasini libro de Tesser. p. 120, et non semel in Peirescii dissertatione de Tripode antiquo, inserta t. X, Memoriarum R. Patris *Desnolets*.

(3) *poculi aut patellæ fundum*. Conjectura verosimillima : cf. Barthelemii Iter Italicum , p. 123.

quæ æque obscura nominum ænigmata (1) continet atque annuli illi tui quorum εξεργάστα postremis literis ad me misisti. Id saltem hinc perspicitur hoc genus inscriptionum christiani ritus esse, et appreicationes illas nuptiales potius fuisse quam funebres, de quo tum ambigere videbaris: nihil tamen affirmare (2) ausim. Vale et festinantis brevitatem boni consule.

Quidquid manuscriptorum habeo apud R. P. *Du Puy* (3) depositi, ut si quid humanius mihi in itinere contingat, Lutetiam ad amicos mittantur, quorum opera lucem aspicere aliquando possint; nam Romæ nihil præter perpetuum carcerem sperare licet. Sed hæc cave quisquam re-

(1) *ænigmata*. Hic loci in apographorum uno extat duarum harum imaginum quas Christus coronat, et inscriptionis sat rudis delineatio, quam ipse exhibere nolui, quod lector eam stylo peritiore factam inspicere potest in opere, cui titulus: *Sculture e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma*, etc., t. III, tab. 198, 3. Inscrip-  
tio autem quæ imagines in orbem ambit, hæc est: **LUCIFER. VIVAS.  
CVM. TVIS. FELICITER. ZESES. SCIRTA.** *Obscura* hæc nominum *ænigmata*, procul dubio sunt *ZESES* et *SCIRTA*. Nullus fere dubito quin *SCIRTA* sit Luciferi hujus uxoris nomen barbaræ barbarum. *ZESES* est versio Græca vocis Latinæ *VIVAS*, ζήσεις nempe. Formulæ hujus, quæ temporum est recentiorum, exempla dabit Ficoroni Gumm. p. 56, 104, 124. Bartholemius, in Itinere Italico, p. 123, vitrum simile Bononiæ vidit, cum hac inscriptione, *PIE ZESES*.

(2) *affirmare*. Affirmant hodie rei antiquariæ periti viri: cf. Ficoroni, l. c. p. 104.

(3) *R. P. Du Puy*: Christophorum Puteanum, monachum Carthusiensem, de quo jam notavi nonnihil p. 30. Adde Gassendum Vit. Peiresc. p. 130; Colomes. Opp. p. 332, 351; in primis Vignoli, *Mélang.*, t. I, p. 249.

sciat, ne mihi fraudi sit apud eos qui aliorum laboribus inhiant.

## XXVI.

V. CL. JO. BAPT. DONIO (1).

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

QUUM nunquam mihi obscurum fuerit quantum abs te amarer, maxime tamen tuam erga me voluntatem perspexi, quum discedentem ex Urbe (2) pleno humanitatis affectu nuper prosequereris; ideoque quum paria amando facere semper studuerim, tibi amicorum optimo de secundis auspiciis suscepti itineris scribendum existimavi, quod et voluptatem aliquam ex eo te percepturum sperem, tum ut certi quid de profectione mea percunctantibus amicis referre possis. Florentiam idibus decembris, quinto die postquam a vobis discessi, perveni; nec quemquam amicorum conyenire licuit reliqua ejus diei parte, quam illustrissimo Nuntio Apostolico et archiepiscopo Senensi salutandis impendi. Heri Sereniss. Principes (3) salutatum adii in Ambrosiano secessu ad XII lapidem via Pisana. Inde reversus, beneficio optimi et humanissimi Dni. Bonarroti (4), Lau-

(1) Ex Bandini Commercio litter. Doniano p. 63. — De Donio cf. p. 134.

(2) *disced. ex Urbe*, cum in ultimam usque Sarmatiam proficeretur; quae sunt ejus verba p. 175.

(3) *Ser. Principes*: Mediceos nempe.

(4) *Bonarroti*. « Is est Michael Angelus Bonarrotius Junior, de quo vide Vitam divini M. A. Bonarrotii a me editam, et Fastos

rentianam bibliothecam inspexi, verius quam perlustravi. Multo enim illa locupletior est, quam ut paucis horis et fugienti oculo quis perscrutari singula possit; tum vero hæc quoque bibliotheca commune illud cum aliis habet, quod in eorum cura sit, qui nec nomina auctorum satis recte intelligunt, et meri sunt librorum custodes: unde fit ut præstantissima *κειμηλία* vel prorsus ignota, vel sub falsis titulis latitent: nam indices pluteis præfixi nihil continent, præter nomen opusculi quod prima fronte spectantium oculis sese offert; cætera, quæ recessus interior recondit, nesciunt. Singula excutiendi copiam custodum humanitas fecit, sed negavit temporis angustia; nam quatridui, ut minimum, labor esset. Spero tamen me in reditu, amicorum benevolentia majore cum fructu usurum. Dnum. Guadagnum (1) et canonicum Bottigarum obiter tantum salutavi. Fratrem tuum, et Dnum. Galilæum in prædio suburbano rusticantem ne videre quidem licuit: literas ad eosdem curabuimus Dnus. Bonarotus et Bottigarus, qui et salutationis officio fungentur meo nomine: eras enim discessurus sum Booniam, quo et illustriss. archiepiscopus Senensis una cum fratre suo Octavio proficisciatur. Dempsferianæ bibliothecæ reliquias extare aiunt penes D. Su-marium Pisis (2) nunc degentem. Dnus. Bottigarus haud

« Consulares Academiæ Florentinæ editos a Cl. Salvino Salvini. »  
BANDINI.

(1) *Guadagnum*: forte Petrum Antonium G., Florentinarum Antiquitatum indagatorem solertissimum: cf. Bandini comment. de Vita Donii p. xv.

(2) *Pisis*. In hac urbe Thom. Dempsferus literas humaniores do-

magni momenti libros esse affirmat; rogavi tamen ut, data occasione, inspiciat accuratius, et si quid manuscriptorum supersit, certiore te faciat. Vale, vir amicissime, et amicos omnes officiosissime a me saluta. Dno. Bonarroti et pro commendatitiis gratias diligenter age: nepos enim ipsius, patruo sane quam simillimus, omnem operam et humanitatis officia promptissime et abunde mihi præstitit. Vale. Florentiae ad diem xv dec. MDCXXIX.

Ignosce quod aliena manu in literarum officio utar: hasce enim sub multam noctem famulo meo in lecto dictabam; interdiu enim ab aliis rebus tantum ocii non fuit. In Laurentiana observavi inter alia Descriptionem insulae Cretæ incerti auctoris (1), eccc circiter annorum, satis accuratam, licet stylus omnia ejus, sæculi vitia referat. Cycladum Descriptio nescio cujus Christoph. Ensenii (2) ad Jordanum cardinalem recentior est nec admodum magni pretii. Inter Græcos codices notavi Τοπογραφίαν χριστιανικήν incerti auctoris (3), quæ loca præcipua, ædificiæ, eastræ, templa, aliaque Veteris et Novi Testamenti loca aliquot libris describit: nox ingruens accuratius excutere prohibuit. Quantum ex leviter pervolvendo conjicere potui, αρχιτεκτονικήν potius illustraret quam geographiam. Græco-

cuerat, ibique libros de Etruria Regali composuit, qui posthumus cura Magni Etruriæ Ducis prodierunt.

(1) *inc. auctoris*: cf. Holstenii notitia optimorum et ineditorum librorum Mediceæ bibliothecæ, inserta Selectis histor. et literar. Lilienthalii, p. 98.

(2) *Ensenii*: cf. Holstenius *ibid.*

(3) *inc. auctoris*: Cosmæ nempe Indofleustæ. Cf. Holstenius *ibid.* p. 94, et Bandinius Catal. Mstori. Græcor. Bibl. Medio. t. I, p. 437.

rum Lexicorum magna copia est , antiqua ferme omnia , sed pleraque sine certo auctoris nomine : in iis potissimum observavi Eudemus (1) Rhetoris Lexicon quo Suidas etiam usus fuit , et alterum Sancti Maximi (2) , quod Glossarium Sanctæ Scripturæ esse puto . Sed de his alias . Vale : nam itineri me accingere cogor . Ad diem xvi dec .

## XXVII.

PERILLUSTRI ET AMPLISSIMO

DN. D. TENGNAGELIO

S. C. M. BIBLIOTHECARIO (3).

PERILLUSTRIS DOMINE ,

Dum ob negotiorum multitudinem et temporis angustias  
ad te visere non licet , ut studia et obsequia verbis offe-  
ram , haud ægre pro singulari tua humanitate feres me

(1) *Eudemus* : cf. Holstenius ibid. p. 105 ; Fabricius Bibl. Gr. , t. VI , p. 419 , 632 .

(2) Cf. Holsten. I. c. p. 91 ; Fabricius , I. c. p. 633 .

(3) Hæc est inscriptio epistolæ externa . Epistolam descripsi e Kollarii Anal. Vindobon. , t. I , p. 1091 . — Sebastianus Tengnagelius Cesareæ Bibliothecæ Vindobonensis tunc temporis praefectus erat . Nonnullas ad Tengnagelium virorum doctorum epistolas legere est in Kollarii Anal. Vindobon. , t. I , p. 1041 sqq. , inter quas Sirmondi una p. 1082 , quam edidit et Colomes . Opp. p. 519 , sed minus integrum ; Scheilderi alia p. 1063 , cuius fragmentum et Colomesius ad-  
tulit ibid. p. 517 . De illo Noster infra p. 186 , 187 , etc .

literas voluntatis meæ animique addictissimi interpretes ad te mittere. Cum Warsoviæ essem, monuit me illustriss. card. Barberinus, Musagetes noster, ut in reditu ad hanc civitatem in Serenissimi Imperatoris bibliotheca inspicere rem diligentius codicem perantiquum, quo Pontificum Romanorum res gestæ et insignia gentilitia plurima continentur; quem codicem olim penes Maximilianum Cæsarem fuisse, et nunc penes Augustissimos ejus successores asservari Ciacconius ille testatur qui de Pontificum vitis prolixè scripsit. Quocirca vehementer te rogo ut codicis inspiciendi copiam mihi facere non graveris, ut illustrissimo studiorum meorum patrono diligentius perquirenti satisfacere possim. Si quid vicissim Romæ curatum volueris, eam adhibebo curam fidemque, ut devinçissimum me tua humanitate agnoscas. Salve a tui amantissimo atque observantissimo LUCA HOLSTENIO.

Viennæ, ex ædibus illustrissimi card. Pallotti, d. vii maii a. 1630.

## XXVIII.

### \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

PERILLUSTRIS ET AMPLISSIME DOMINE,

Postquam salvis et incolumis a. d. kal. junii ad Urbem redii, confecto Sarmatico itinere ex animi sententia, id mihi haud jucundum cognitum fuit literarum commercium cum Provincia vestra atque omni reliqua Gallia impeditum ac ferme sublatum esse. Cum enim vehementissime cupe-

rem ad intermissum hactenus scribendi officiam ex inter-  
vallo redire, et pristinum tibi probare affectum et devin-  
ctissimi animi obsequium, omnis mora cupienti gravis  
accidit. Sed exoptatissimæ tuæ literæ mox quidquid hoc  
molestiarum fuerat penitus mihi ademere, illud quam clari-  
ssime testantes, te constanter servasse mémoriam lon-  
gius profecti amici, nec de semel concepto amore quid-  
quam remisisse; quod quidem illæ non verbis solum hu-  
manitate plenis, sed re ipsa mihi abunde persuadent.  
Tripodæ Delphicum (1) in manus tuas incidisse gaudeo,  
nec melius cuiquam obvenire potuit tam luculentum ~~impudicior~~,  
quam tibi omnis antiquitatis promocondo et reconditionis  
doctrinæ oraculo. Nam quæ (2) hac super re ad R. P.  
Puteanum (3) bene longa ~~eriguntur~~ scripsisti, ea frustra  
expectaveris vel a me, vel abs quovis alio antiquitatis stu-  
diose; ita tu omnium diligentiam curamque prævertisti:  
atque eo iniquius fero tuas ad me literas vel periisse in  
via, vel obhæsisse ubi minime oportebat. Sane ~~irritans~~  
~~angustans~~ quod misisti, non sine admiratione et voluptate  
spectarunt Puteanus et Gualdus (4) equites, hujus modi

(1) *Tripodæ Delphicum*. Tripus haud multum pedali procerior, ad Julii Fœtum eratus et in Peirescii museum illatus (cf. Gas-send., V. Peir., p. 152; *Reqvier*, p. 259), variarum præbuit disquisitio-  
num viro erudito materiam, ipseque Dissertationem de illo scripsit:  
vide p. 176, not. 2, et Michaltium, *Mélang.*, t. II, p. 309. Tripodis  
hujus imaginem inspice in Sponii Miscell. Sect. 3, extr.

(2) *nam quæ—prævertisti*. Hæc verba adulit Gassendius, l. c.

(3) *R. P. Putean*. Cf. p. 177.

(4) *Puteanus et Gualdus equites*. De Puteano equite, quem Donius  
inscript., p. 564, viii, xvi, vocat Cassianum Puteum, Noster infra

rérum curiosissimi pervestigatores , tum Donius , *Ménestrier*, aliique communes amici. Neque ægre feres, ut spero , quod nihil nunc respondeam ut cupis , et meam sententiam explicem : opus enim est διασκέψει longiore in re adeo obscura totque ænigmatum involucris obumbrata , ut nec ipse ille Apollo facile omnia evolvat primo pedatu ,

‘Ος (1) θεοπιαδᾶς τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου.

Tum vero alias tripodum effigies , quæ passim per Urbem cernuntur in statuis antiquis , diligenter inspiciam : ita certius quid affirmare licebit singularum comparatione instituta. Sed de his commodius videbimus per otium. Nunc , quod in primis te scire velle existimo , pauca de meo itinere scribam , ut longos viarum tractus quos non exiguo cum labore nec absque multis periculis obii , ipse forte cum aliqua voluptate relegas , aut saltem cum exigua legendi molestia. Et principio quidem , Roma Venetias aditurus , Florentiam , Bononiam , Ferrariamque transiit. Isthic Mediceam bibliothecam avidissimo inspxi oculo , sed ut canis e Nilo fugiens (2) tantum libavi quo sitim accenderem potius quam sedarem. Duos tamen maxime ἔπιστροφους codices notavi ; alterum quidem Latinum , quo Cretæ Descriptio (3) continetur , additis etiam locorum singulorum topographicis delineationibus , auctoris sane

Epist. ad Licetum data d. 25 aug. 1635, equitem de Puteo , vide notata p. 111, 159; et de Gualdo , p. 176. Et Gualdus tripodem possidebat , cuius figura extat apud Sponium l. c.

(1) ‘Ος. Aristoph. Plut. 9.

(2) *canis e N. fug.* Cf. Phædrus I, 25

(3) *Cretæ descriptio* : cf. pag. 180.

non indiligentis quem ante quingentos hosce annos scripsisse existimo; alterum vero Græcum, scriptum ut minimum ante dc vel dcc annos, cui titulus *Xριστινης Τοπογραφια* (1). Auctoris institutum hoc est, ut structuram Templi aliarumque ædium sacrarum, instrumentorum, atque omnem apparatum sacrum describat; tum etiam loca et civitates quasdam quarum in Sacris Literis fit mentio: quæ etiam additis figuris illustrare conatur, sed pro gentis ac sæculi captu satis rudi Minerva. A Serenissimis Principibus literas commendatitias facile obtinui ad Cæsarem et Poloniæ Regem, ut hisce parariis facilius me insinuarem. Bononiæ S. Salvatoris bibliothecam diligenter excussi, dum Nemesiani (2) librum *de Aucupio* quærem, sed irrito labore. Dexippi (3) Historia, et nesoio quæ alia quæ Gesnerus isthic extare refert, falso titulo spem meam eluserunt: erat enim commentariolus philosophi illius in Categories Aristotelis. Cardinales Legati, Antonius Barberinus et Spada (4), summam mihi exhibuerunt benevolentiam, uti etiam Ferrariae cardinalis Sacchetus (5). Venetias incommodissimo tempore appuli, scilicet quarta dominica Adventus, quam proxime sequebatur vigilia Nativitatis Dominicæ: ita dies ἀπάρτου;

(1) *Xριστ. Τοπογρ.* Cf. pag. 180.

(2) *Nemesiani*: codd. *Nemesii*; male. Cf. supra p. 110.

(3) *Dexippi*: cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 536.

(4) *Anton. Barberinus et Spada*. Ille Francisci cardinalis frater erat. De hoc cf. supra p. 50, 85, Naudœana p. 52, Erythræi Epist. ad Tyrrhen. t. II, p. 58.

(5) *Sacchetus*: cf. Erythræus Epist. ad Tyrrhen. t. I, p. 194.

qualuor consumpsi; cum interea nec publicam nec privatam bibliothecam ullam inspicere liceret, neque Molinum (1) salutandi facultatem habui, ut pote publicus Summi Pontificis minister. Itaque, quantum potui, librariorum officinas perreptavi ferrae omnes; sed hic quoque nūdīs vītīs. Manuscriptorum nihil reperi, præter vastum Zonaræ (2) Commentarium in hymnos ecclesiæ Græcæ, quos ἕχετε appellant, et Michaelis Glyca (3) librum Quæstionum et Responsionum, in Galliis quoque mihi visum; quos tamen nullo æquo pretio ab iniquissimo librario impetrare potui. Venetiis tertia feria Nativitatis per Alpes Tridentinas Cenipontem contendī, itinere ac coeli tempestate tam commodis ut nihil supra. Inde porro secundo Ceno et Danubio Viennam descendī, quo cum pervenissem a. d. XIII januarii, triduo post ad Cæsaris Hungariæ regis, et Serenissimi Archiducis Gulielmi Leopoldi audientiam admissus fui. Cæsare nihil mitius, benignus, ac clementius natura unquam effinxit; duas ferme integras horas me de publicis privatisque rebus loquenter audivit, et favorem ac gratiam suam promissimam addixit in promovendis negotiis studiisque meis, quam libenter deinde præstítit. Viennensem Bibliothecam, Dn. Tengnagelii (4), viri humanissimi et eruditissimi beneficio, pro libitu tractavi. Referta est optimis codicibus;

(1) *Molinum*: cf. supra p. 24, et Tomasinus de Tesser., p. 214.

(2) *Zonaræ*: cf. Fabric. Bibl. Gr. t. XI, p. 225.

(3) *Glyca*: cf. Fabric. ib. t. XI, p. 201.

(4) *Tengnagelii*. Codd. *Tegnagelii*, quod mendum et infra corrixi. Vide de eo p. 181.

sed omnia ferme vulgata , præter SS. Patrum quedam , et philosophorum Commentaria. Amicitiam quoque iniū cum R. P. Corderio (1) Belga , S. J. theologo , viro humanissimo , et Græcarum literarum peritissimo. Ille et Ducæi (2) et Gretseri (3) industriam in SS. Patrum scriptis publicandis superabit : jam enim aliquot volumina commentariorum in S. Scripturam conversa penes se habet ; et Philoponi doctissimus commentarius *περὶ οὐρανοῦ οἰκουμένης* ad principium Geneseos prælo jam excuditur (4). Tengnagelius versatissimus est in linguis Orientalibus , quarum exactissima cognitione puto ipsum omnes supereare quotquot hoc tempore inter christianos Europæos illud scientiæ genus profitentur , et lautissima instructus est librorum copia , quos magno sumptu a legatis Cæsareis Byzantii sibi coemi curavit. Omnes codices legit , expendit et notavit diligentissime ; sed ob senectutem ingruentem , et vertiginis morbum quo affligitur , nihil ipse publico parare potest. Id sedulo allaborat , ut Schickardum (5) , professorem Tubingensem , ad Cæsaris aulam pertrahat , cuius librum de Jure Regni apud Hebræos , et Genealogiam Regum Persiæ te vidisse non

(1) *Corderio*. Balth. Corderius , Antuerpianus , de quo Sax. Onom. t. IV , p. 375. Cf. infra p. 194 , 207.

(2) *Ducæi* , Frontonis : cf. p. 37.

(3) *Gretseri* : cf. Sax. Onom. t. IV , p. 89; Michaltus , *Mélang.* , t. I , p. 174.

(4) *excuditur*. Editus est Vindobonæ , hoc ipso anno.

(5) *Schickardum* : de quo cf. Sax. l. c. p. 591 ; Gassendius V. Peir. p. 158; Noster infra Epist. ad Peirescium data d. 6 Sept. 1636 , et nota 2 supra p. 80.

dubito. Plurima habet historica de rebus Persicis, Saracenis et Turcicis, longe, ut affirmabat ipse, præstantiora iis commentariis quos Leunclavius et Erpenius publicarunt. Dignus ille in primis est quicum amicitia tibi intercedat, et me *πρόξενον* ac conciliatorem offero. Poterit ille plurima tibi respondere de Bibliis Samaritanis, quorum et ipse exemplar in Cæsaris bibliotheca habet. Sed iter tibi describere proposueram, eujus pars prima et me peregrinantem et te legentem oblectare potest. Cætera hinc in Sarmatiā mihi nec memoratu grata. Nam postquam Moraviam excessi, et Silesiæ partem superiorem ingressus sum, ubi Troppaviensis et Ratiboriensis ducatus sunt, extra cultum humanitatis mihi excessisse videbar. Omnia enim hic nova et insueta mihi sese obtulere, sed ex Sarmatico more foeda, spurca, barbara; *κονικὴ χαρτονία*; hypocasta fumo et fætore plena; commune hominibus bestiisque receptaculum; victus sordidus; cerevisia pessima; aspera et inhumana tractandi ratio; lingua sibilis et consonantium complosione exterorum auribus ingrata; vultus et omnis corporis habitus ad Scythicam *θραύσην* compositus, viæ publicæ lacunis et salebris inviæ; pontes super aquas, hiberno præsertim tempore periculosissimas, vel nulli, vel adeo male compacti ut sine horrore transiri nequeant; sylvæ crebræ et densissimæ, latrociniis opportunitissimæ; regionis aspectus ob porrectam in infinitum planitiem inamoenus, hyeme potissimum, ubi omnia altissima nive teguntur: nam in immenso æquore mihi fluctuare videhar. Quid de ædium structura in oppidis pagisque dicam? Quid de platearum immundicie? Id sane perspexi, non absque causa Polonos soleas ferreas

pedibus suppactas gestare : nam absque iis foret , facile in profundissimo luto obhaerescerent. Quid de Cosacorum Heidonusque protervia in obvios quosque , præsertim ubi animus sua natura ferox vino cremato , ut vocant , incaluit ? Sed nolo plura recensere , ne forte ita me exceptum habitumque male in Polonia existimes , ut odio gentis haec exaggerem. Id mihi credas velim , poetam vestratrem *Des Portes* haud male Poloniæ suo illo propemptico carmine descriptsisse (1). De libris et literatis quod scribam non habeo : nihil enim egregium mihi videre licuit præter paucissimos. Rex ipse et Regina et Serenissimus Princeps Wladislaus nullum benevolentiae genus erga me prætermiserunt. Regem omnium , quotquot unquam adspexi , principum oris adspectusque majestate augustissimum vidi. Serenissimo Principi aliquoties adfui , qui , ut ipse variam rerum cognitionem usu sibi acquisivit , ita me lubentissime loquentem audivit. A proceribus regni in Warsoviensi aula humanissime exceptus , et conviviis symposiisque magnificis adhibitus fui. Sed nimium excrescit epistola , dum singula commemorare studeo. In reditu

(1) *Des Portes—descriptsisse* : his nempe verbis :

*Adieu , Poloigne , adieu , plaines désertes ,  
Tousiours de neige ou de glace couvertes ;  
Adieu , pays d'un éternel adieu ; ....  
Adieu , maisons d'admirable structure ;  
Poisles , adieu , qui dans postre clôture  
Mille animaux pesle-mesle entassez ,  
Filles , garçons , peaux et bœufs tout ensemble ;  
Un tel mestnage à l'edge d'or ressemble ,  
Tant regretté par les siècles passés .*

Poloniā Majorem cum fame miserrime collectantem vidi, et homines catervatim in plateis morientes. Inde per Silesiam et Bohemiam iter tenens, utriusque metropolim Wratislaviam et Pragam, civitates splendidas, aliquot diebus perlustravi; rursusque per Moraviam Vienam redii. Multa mihi in confiniis harum provinciarum pericula fuere objecta: iuncti enim aliquoties in latrocinantes equitum catervas; evasi tamen salvus ipsorum manus maximo Dei beneficio. Vienna Posonium descendī, ubi Cæsar regni Hungarici comitia agebat, atque isthic secundo ipsum allocutus sum, parem erga me denuo benevolentiam expertus. Vienna, dispositis equis, vigilia Pentecostes discessi, et per Stiriam, Carinthiam, Carnos et Istriam, Tergeste, intra septimum diem, perveni. Hinc, consensa navi, redditum ad Venetos tentavi, ut quas antea non potueram, nunc in redditu bibliothecas lustrarem, et viros eruditos salutarem. Sed omnem mihi accessum ad civitatem denegarunt, nisi in hospitale compingi vellem, xl dierum mora ingratissima lstrandus. Itaque Adriatici Maris oram legens, Ariminum attigi, unde, iterum dispositis equis, Romam properans, xiv dierum spatio totum iter Vienna Romam confeci. Reducem eminentissimus dn. cardinalis tanta complexus est benevolentia, ut humanissimus ipsius aspectus et benignissimum colloquium facile omnem mihi lassitudinem et molesti itineris tedium, atque memoriam ipsam tot periculorum ex animo exemerit. Id scias me peracti itineris non pœnitere. Cardinalis Santacrucius (1) operam sibi

(1) *Santacrucius*: cf. p. 175.

præstitam honoris centissimo præmio compensavit, quem, ut spero, ita mihi devinxí, ut ejus auctoritas mihi apud patronum nostrum, si opus foret, præsidio et adjumento esse possit: nec minus mihi cardinalē Pallotum conciliavi, cui fortunæ meæ incrementa magnam partem debeo. Habis itineris adumbrationem, quo me defunctum gaudeo: malo enim cum Platone cæterisque humanissimis philosophis versari, quam cum Sarmatis; et cum Scylace, Dicæarcho, cæterisque meis Geographis orbem terrarum potius obibo, quam ut curru vel equo per æqua et iniqua viarum jactiter. Tu, ut facis, studia nostra juvare perge, et me tui amantissimum observantissimumque redama. Vale. Romæ a. d. xxii junii 1630. Per ill. d. t. addictissimus servus L. HOLSTENIUS.

*P. S.* Pro libris manuscriptis (1) quos iterum promittis, quosque salvos ad te perlatos gaudeo, gratias ago pro eo ac debeo maximas. Utinam mihi eorum copia esset ad pertexendum reliquam partem observationum in Vitam Pythagoræ! Sane magno mihi usui esse posset ille thesaurus divinioris sapientiæ. Erit, ut spero, optima mittendi commoditas, ubi eminentissimus dn. cardinalis *Bagni* (2) isthac transierit huc ad Urbem redditurus: poterunt enim

(1) *libris Msstis.* Platonorum philosophorum de quibus cf. p. 123.

(2) *Bagni*, Latine plerumque vocatus a *Balneo*, qui, anno inse-  
quenti, Romam rediit, post peractam Legationem; et per Provin-  
ciam iter debebat instituere, ut re vera instituit. Peirescius  
libros Holstenio transmittendos illius sarcinis addidit, quod huma-  
nissima Eminentia pro suo in literas et literatos amore lubentissime  
permisit: cf. Gass. Vit. Peir. p. 153.

sarcinis illius adjungi quæ , ni fallor , Massiliæ navibus imponentur. Iterum vale, et desiderio nimis importuno ignosce.

## XXIX.

NOBILISS. ET AMPLISS. D. TENG NAGELIO I. C. (1)

## LUCAS HOLSTENIUS

*χαλψίν καὶ εῦ πράττειν.*

TANTUM me insigni tua humanitate devinxisti , cum nuper Vienna transirem , ut et benevolentiae memoria perpetuo animo obversetur , nec de gratia referenda cogitationem unquam deponam ; nec minori facilitate spero hoc observantiæ meæ testimonium admittes , quam tum præsentem in amicitiam recepisti. Mitto syllabum librorum Syriaca et Arabica lingua hic editorum , quem tu haud obscure tum requirere videbaris , ut , si quid eorum pro tua vel Cæsarea bibliotheca emptum cupias , mîhi quam primum significes. Dabo enim operam ne fidem et diligentiam meam hac in re desiderare possis. Pretio non usque adeo magno vaneunt ; ideoque præcipuis duntaxat adscripsi , et qui soli sunt ἀπάξιοι καὶ ἀπιτάλαντοι cæterorum omnium. Prodierunt etiam nescio quæ Æthiopica ex typographia Congregationis Propagandæ Fidei ,

(1) Ex Analectis Vindobon. Kollarii t. I, p. 1092. Inscriptio harum literarum externa : « Nobilissimo et amplissimo viro Dn. D. Tengnagelio, S. Cæs. Majestatis consiliario et bibliothecario, Domino meo plurimum colendo. Viennæ. »

quæ et haberi haud magna cum difficultate et reliquis adjungi poterunt, si id tibi volenti fore intelligam. Nunc vicissim id summopere abs te contendo, vir amplissime, ne mei causa graveris inspicere duos codices Mstos. Cæsareæ bibliothecæ, quos ipse quidem in indice notaram, sed ob discessum celeriorem perquirere et exquirere non potui. Alter eorum inter historicos est *xxxiiii<sup>ius</sup>*, continens inter alia *Perdiccae* (1) Protonotarii Ephesini Descriptionem Locorum Sanctorum in Jerusalem, versibus; alter vero *lxviii<sup>us</sup>* est inter philosophicos, cuius titulus promittit Arriani (2) Excerpta de Ponto Euxino. De priori id scire velim, sitne eadem (3) illa "Ἐκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσόλυμοις Κυριακῶν θεμάτων, quam sine certi auctoris nomine Fed. Morellus Parisiis edidit ante paucos hosce annos. Constat totum opusculum *cclx* versibus politicis, quos vocant, sive rhythmicis, quorum primus est,

Ἐπικερ πολυέραστον, οἵδα, τυγχάνει πᾶσι  
Τὴν τῆς Σιών διήγησιν, etc.,

postremus vero,

Δευτέραν τὴν ἀναψυχὴν εὑραμεν τῶν λεχθέντων.

Sin idem sit auctor, quod puto, titulum Græcum, ut in Msto. legitur mihi enotari velim, ut opus ἀδεσποτον suo sibi parenti restituatur in secunda editione. Si diversi sit

(1) *Perdiccae*, editi in Allatii Συμμίκτοις. Cf. Anal. Vindobon. p. 1097.

(2) *Arriani*: cf. Anal. Vindobon. p. 1101.

(3) *sitne eadem*. Eadem est.

auctoris, obnixe rogo ut, tua cum gratia, fideliter mihi transcribatur. De Arriani Excerptis itidem scire pervelim, quis titulus, quot foliorum, quod principium, quis finis. Inde enim facile erit dispectu, sintne eadem cum illis quæ ex Regia Parisiensi et Vaticana bibliotheca jam pridem habui (1). R. P. Corderius (2) operam suam in pvestigando et describendo, ut spero, non negabit. Nolle enim meam importunitatem tibi quidquam molestiarum facessere. Resscribe, quæso, quantocius, et quid de exoticis illis libris fieri velis, significa. Vale. Romæ cœcxxx  
prid. kal. septemb.

Parisiis Regia Biblia Plantini multo augustius ac splendidius recuduntur. Puteani fratres opus jam ad finem propemodum perductum scribunt. Unius privati (3) hominis sumptu editio procuratur, qui seorsim uno volumine integra Biblia Arabica addet, et Pentateuchum Samaritano charactere, hactenus ferme Europæis incognito. Illum jam elegantissimum cusum fusumque iidem nunciant. Nicephorus Callistus vester (4) jam absolutus est duobus magnis voluminibus. Nunc Theodoreti Opera Græco-Latina excuduntur studio et cura P. Sirmondi, viri et doctrina et judicio maximi. Hæc, quod ad studia tua pertinere videbantur, volebam nescius ne esses. Ampl. d. t. obsequentissimus LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *habui* : cf. p. 65.

(2) *Corderius* : cf. p. 187.

(3) *Unius privati*, Michaelis *Le Jay*.

(4) *Niceph. Callistus vester*. Editus Parisiis an. 1630 e codice Cæsareo Vindobonensi : cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 438.

*Nota librorum editorum Romæ lingua Arabica et Syriaca.*

SYRIACA LINGUA.

Officium pro defunctis Chald. — Missale Chaldaicum.  
 — Breviarium Chaldaicum pro Maronitis , opus ingens  
 fol. 10. o. — Grammatica Georgii Ahmir Chald. Latin.  
 — Compendium Grammaticæ Chald. 12<sup>mo</sup>. — Nomenclator  
 Chaldaico-Arab.-Latin. sed imperfectus , 4<sup>o</sup>. — Alpha-  
 betum Chald. cum aliquot Psalmis et Orationibus.

LINGUA ARABICA.

Avicenna Arab. fol. 6. o. — Euclides Arab. fol. 2. o.  
 — Quatuor Evangelia cum interpretatione Lat. 4<sup>o</sup>. 1<sup>½</sup>. —  
 Psalterium cum interpretatione Lat. 4<sup>o</sup>. 1. — Cate-  
 chismus sive Doctrina Christiana Bellarmini cum in-  
 terpret. Lat. — Geographia Nubiensis Arab. 4<sup>o</sup>. — Liber  
 dictus Agiromia Arab. 4<sup>o</sup>. — Doctrina Christiana major  
 Bellarm. Arab. tantum. 8<sup>o</sup>. — Institutiones Linguæ Ara-  
 bicæ Petr. Metoscitæ. 8<sup>o</sup>. — Logica Arabica cum vers.  
 Thomæ Novariens. 4<sup>o</sup>. — Liber dictus Caphie. Arab. 4<sup>o</sup>.  
 — Duo Alphabeta Arabic. Latin. — Officium B. Virginis  
 Arab. sed charactere Chald. — Professio fidei pro Ori-  
 entalibus Lingua Arabica , charactere Chald. — Calenda-  
 riū Romanum Arab. charactere Chald. — Dictionarium  
 Armeno-Latinum fol. Mediol. 2. o.

## XXX.

## \* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Literæ tuæ, quas per dn. *de Bonaire* ad me misisti, tam largam cogitandi materiem animo meo suggesserunt, ut profecto quid potissimum velit nolite certo statuere neendum potuerit. Nam inexpectata itineris Orientalis commoditas mihi nec opinanti objecta, ita mentem mihi permovit, et, ut rem fatear, transversam abripuit, ut parum absuerit, quin omnes fortunæ meæ constituendæ cogitationes, imo et ipsius patriæ memoriam prorsus deponebantur. Sed postquam deinde animus redire ad sese, et, discusso vehementissimæ cupiditatis affectu, veluti utramque rei faciem inspicere coepit, et rationum momentis singula expendere, obtulerunt sese hæud levia, quæ retrahere mentem atque in adversam quodammodo partem deflectere et propellere videbantur. Paucis enim diebus ante, domo mihi nuntiarunt Præposituræ Hamburgensis eam nunc esse conditionem, ut si advigilem sedulo, et, ubi opus est, consilio succurram, admitti tandem ad possessionem, volente et probante tota civitate, possim: quem in finem Cæsarî subinde imploranda erit auctoritas, ut literis et edictis rem urgeat ac promoveat. Nimis longum foret minutias omnes persequi, tibique exponere velle; id tantum dicam, negotium eo in statu esse, ut, si ipse præsens per duos vel tres menses advigilem, tum

confici omnino possit; quod absque meo consilio non solum hærebit impeditum, sed etiam in pejus relabetur: cum tamen unum illud beneficium tanti sit, ut non solum sumtus honestissimos vitæ sustentandæ subministret, sed etiam principem ac præcipuum in amplissima et florentissima Germania civitate locum mihi conciliet. Neque minus considerandum, quod cum Cæsar mihi in Bremensi archiepiscopatu locum promiserit, nunc Reformationis principium fore videatur; dum archiepiscopalis dignitas in Cæsaris filium translata, sæcularis autem administrationis onus comiti Tillio (1) demandatum jam, vel quamprimum demandandum erit. Cumque hoc cogitationum Euripo animus huc illuc jactaretur, eminentissimi cardinalis nostri consilium et voluntatem experiri volui; qui eodem modo atque ego proficisciendi commoditatem opportunissimam vehementer approbavit, nec repudiandam temere censuit; modo Præpositoræ negotium vel confectum omnino, vel eo saltē productum esset, ut, me absente, amicorum diligentia et sedulitate ad finem perduci possit; cumque benignissime promitteret sese operam atque auctoritatem apud Cæsarem cæterosque, ubi opus foret, interpositurum, rationes proposui, quibus negotium brevissimi temporis spatio eo reducere licebit, usq; quid de successu sperandum sit perspici omnino et certo cognosci possit. Nam Nuntius Apostolicus qui jam Ratisponam pervenisse creditur, rem universam Cæsari proponet, atque ejus sententiam ac voluntatem experietur. Vides, ut puto, causam cur nihil adhuc certi liceat promittere. Si tamen

(1) *Tillio*: vulgo *de Tilly*.

quid sperem scire aveas aut quid cōjiciendo præsumam ,  
 puto res meas ita componi posse , ut mihi oblata condicione commodissima et excellentissimi dn. oratoris (1)  
 erga me voluntate uti liceat. Itaque nunc res ac studia  
 mea ita tractare incipio , quasi ad præstitutum tempus  
 vobis isthic adfuturus ; nisi enim illutriſſimus dn. Bichius  
 Nuntius ad Christianiſſimum Regem destinatus discessum  
 nimis properaverit , ita ut mihi de rebus meis certi aliquid  
 rescire antea liceat , tum ego pontificiarum trirementum  
 commoditate utar , et una cum illustriſſimo dn. Nuntio  
 iſthuc ad vos accedam. Si vero ea occasio foret præter-  
 mittenda , Panormi vel in Melita iñſula adventus excellen-  
 tiſſimi dn. oratoris mihi expectandus esſet. Discuperem ,  
 perill. domine , potius ad vos accedere , ut conspectu et  
 colloquio tuo nonnihil mihi perfrui liceret , consiliumque  
 ex te capere tam longi et laboriosi itineris majori cum  
 fructu instituendi ; tum vero in primis , ut tandem ali-  
 quando coram te complecti possem , quem ego jam dudum  
 omni animi affectu et amo et veneror , atque ut gratias  
 tibi agerem pro maximis illis tuis in me beneficiis (2). Hæc

(1) *oratoris*. H. Gornæus Marchevillæ comes , vulgo *Gournay de Marcheville* , tunc discessum apparabat , profecturus Byzantium orator nomine regis Franciæ : cf. Gass. Vit. Peiresc. p. 144 , et *Requier* , p. 243. De hoc oratore satis inclementer , nescio quam vere , P. Strasburgius in Relatione Byzantini itineris p. 213 : « Galliæ & regis orator tunc in Porta erat H. Gorne comes de Marcheville , & vir externi splendoris aulicæque comitatis ultra modum studiosus , & in agendis rebus et negotiis parum versatus » , etc.

(2) *beneficiis* : munere recenti codicum Platonicorum. Vide p. 167 , 123.

ego nunc paucis scribo, cæteris meis rebus expedientis occupatissimus. Proximo cursore pralixius tibi apertiusque, ut spero, eminentissimi cardinalis mentem indicabo, et meum quoque consilium certius pleniusque exponam: interea enim temporis cogitare licebit accuratius. Τὰ πλευρικὰ κειμῆλα, quæ profusa quadam humanitate mihi Musisque meis ornandis addicere voluisti, vel in adventum meum servabis, vel, si isthuc accedere non licebit, excellentissimi dn. oratoris sarcinis librariis adjungere poteris: si vero, quod neutiquam spero, itineris spes penitus decollaret, commodissime Pontificis triremibus huic ad me mitti possent. Sed mihi aqua hæret, et animus in dubio fluctuat. Interim dum certiora constituere licebit, cogita, quæso, et mone de libris rebusque necessariis, et ex vasto atque immenso observationum et relationum numero ὑπομνήματα quædam mihi confice, præsertim de bibliothecis alisque monumentis perquirendis. Non dubito quin excellentissimus dn. orator in comitatu habeat pingendi ac delineandi peritum; eo enim in primis isthic opus erit. Meus juvenis (1) Græcam linguam mediocriter callebat, et in transcribendis exemplaribus Græcis bene versatus est; tum etiam linguis Gallicam, Anglicam et Belgicam callebat. Geographica mea omnia eo deferam; spero enim expoliri ac perfici posse τὴν περισσικὴν αὐτοψίαν. Utinam vero Dionysium Byzantium (2) Bospori descriptorem excitare ab inferis et alicunde in lucem protrahere licet! Nullum ego auctorem æque desidero. Vale, Ill. domine, et excellen-

(1) *Meus juvenis*: ille forte de quo p. 148.

(2) *Dion. Byzantium*: cf. p. 93.

tissimo dn. Oratori studia mea et addictissimæ voluntatis obsequia officiosissime denuntia. Romæ ciuiosxxx a. d. vii septembr. Per ill. d. t. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

## XXXI.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

**PERILLUSTRIS DOMINE,**

Vereor plurimum ne fides mea apud te laboret ob dilatum scribendi officium: verum id non tam culpa mea factum est, quam eorum a quibus rei gerenda auspicia capienda sunt. Scripsi nuper (1) quid eminentissimus cardinalis noster responderit, quemque præ se tulerit animum; cum oblatam itineris Orientalis occasionem proponerem; videlicet, probari eam sibi summopere, modo res meas antea compónerem, ac de Præpositura Hamburgensi certior essem. Neque mihi hactenus quidquam aliud responsi obtinere licuit, quamvis non semel ostenderim voluntatem ac desiderium meum, quippe qui, relictis rebus omnibus, profectiouem illam suscipere enixe cupiam: mihi vero nefas est urgere gravius, ne importunitate extorquere velle videar. Itaque nunc responsum Ratispona ab Apostolico Nuntio expectamus, cui negotii mei promovendi curam cardinalis noster dedit; cuius adeo intra diem decimum quintum nos compotes fore spero. Interim non desino exstimulare patroni nostri animum opportunis aliorum

(1) *nuper*: p. 197.

sermonibus, qui fructum hujusmodi itineris sæpius inculcant. Ego vero, ut rem sine sipario dicam, aliam puto subesse causam cur responsum atque assensum suspenso animo protrahat. Cum serio hoc tempore agatur de pace per Italiam restituenda, atque ea in re Summus Pontifex sedulo nunc laboret, non obscure id consilium agitari videtur, nunquid, legato ex Urbe misso, cum Cæsare in hisce Germaniæ comitiis tractandum sit de Nivernensi duce (1) reconciliando, et sopiendo gravissimo hoc bello quo res christiana colliditur. Nec solum prudentiores in hac aula unicum hoc vel sane præcipuum præsentium calamitatum remedium agnoscunt, sed et vulgus publico sermone id postulare videtur. Atque hic quidem, ut in re incerta solet, varia sunt sententiarum et opinionum divortia: alii enim cardinalem Antonium Barberinum eam ob causam ad Urbem rediisse existimant, ut, collato hic cum Summo Pontifice consilio, legationem illam ad Cæsarem quam primum obeat; alii Pallotum idcirco Viennæ hærere credunt, ut in propinquο sit qui legatus a Pontifice comitia illa adeat, si legati Pontificii auctoritate ad negotia hæc conficienda opus fuerit; alii neminem huic muneri aptum censem præter nostrum patronum, quem et amari plurimum a Cæsare, et reliquis Germaniæ Principibus gratissimum esse sciunt, ob candorem, modestiam aliasque virtutes, quas Germani nostri præcipue æstiment:

(1) *Nivernensi duce.* Car. Gonzaga, Nivernensis dux, Mantuanum ducatum hæreditario jure tenebat. Ipsi adversabatur Cæsar; Ludovicus XIII ipsum armis protegebat. Hinc aspernum savissimumque bellum, quo tunc temporis septentrionales Italiæ regiones vastabantur.

Verum ut nostri cardinalis animum ab ista legatione abhorrire scio, ita priores illæ opiniones non prouersus fundamento carent. Sed quidquid sit, cum res ad *αξμην* omnium judicio pervenerit, et malis Italiæ suprema *κρίσις* immineat, puto futurum ut eis dies non ita multos de Pontificis consilio publice constet. Eam sane unicam causam esse puto, cur cardinalis noster incertus adhuc me quoque suspensum teneat, quod operam mæam legato, si quis mittendus foret, utili in primis futuram judicet, vel potius necessariam; cum Germanum alium non habeant quem adjungere possint tam magno comitatui itineris ducem et interpretem apud *έπιφανεις*. Meis vero rebus ex animi voto stabiendi nulla accidere posset optatior occasio, et sane operæ pretium esset hujusmodi ob causam iter Constantinopolitanum ad aliquot meuses a me differri, paratis interea majoribus subsidiis. Verum ut dixi, pactis nuperrime induciis, ad pacem eo accuratius stabiendi necessum est intra paucos dies de rerum summa constitui, præsertim cum comitia ad finem spectare videantur, et difficilior postea cum solo Cæsare et ministris Φιλιππίζουσι futura sit tractatio. Hæc eo prolixius scripsi, ut habeas qui me apud excellentissimum dn. oratorem protua benevolentia excuses, cuius ego insignem erga me voluntatem gratissimo animo amplector, et cui comitem me atque ὑπουργὸν in scrutandis Graeciæ antiquitatibus adjungere nimium quam velim. Tu, quæso, diligenter me ac studia mea illi commendare perge, et certiora a me consilia expecta per dominum Thuanum (1), qui intra

(1) *Thuanum*: de quo cf. p. 31. Hujus itineris meminit Gassendius Vit. Peir. p. 154.

quatriduum cum illustrissimo Nuntio Bichio (1) ad vos discedet. Doleo profecto ex animo tam commodam mihi ad vos proficisciendi occasionem præripi : nam si postea eminentissimus cardinalis abeundi in Græciam copiam fecerit, vel Melitam recte adire cogar, vel terrestri itinere cum Veneto cursore Ragusio Constantinopolis erit petenda. Vale, per illust. domine. Romæ cœlœxxx a. d. xxvii septembr. P. d. t. omni obsequio addictissimus L. HOLSTENIUS.

## XXXII.

## PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Scripsi nupero cursore quam incerta mihi sint omnia de itinere Byzantino ob eminentiss. nostri cardinalis cunctationem, et causam tum prolixius exposui, cur consilium et responsum mihi differre videatur; itaque religio mihi est instare vehementius et urgere ipsius animum, cum non semel me ad responsum Nuntii Apostolici rejecerit, ut sciamus quid de negotio Præposituræ Hamburgensis sperare liceat. Vereor enim ne, cum ipse sibi res meas summopere cordi esse ostendat, ego negligentius ea curare videar vel potius negligere, intermissa tractatione quam hactenus magno conatu aliquatenus promovi, quamque ipse interposita auctoritate sua conficiendam suscepit. Quid de legatione (2) sperandum sit brevi videbimus: res enim

(1) *Nuntio Bichio*: cf. p. 198.(2) *de legatione*: cf. p. 201.

eo perducta est ut moram longiorem neutiquam patiatur; nec facile Pontifex per legatum de pace aget, cum jam bis sua spe frustratus fuerit, et principes christiani studiose admodum id operam dare videantur, ut Summi Pontificis arbitrium in litibus bellisque componendis subterfugiant. Neque parum nunc ea adiuta est suspicio, quod nuper in conditionibus induciarum Pontificis intercessio in speciem et dicis causa commemoretur; cum Nuntii ejus ad subscribendum et confirmandum nequam fuerint admissi, qui tamen hactenus omnium maxime in pace resarcienda laborarunt. Itaque deposita ferme legationis spe, nihil jam sententiam principis moratur, nisi ut de negotii mei successu constet ex dn. Nuntii literis, quas intra hoc octiduum specto. Interim vehementer rogo ut me quantocius certiorem facias, quo tempore excellen-tissimus dn. orator ad Melitam insulam se perventurum speret, ut maturato itinere, si fieri possit, eum præveniam. Maluisse recta ad vos proficisci commodissima hac occasione, ut tuis monitis ac consiliis instructior iter majori cum fructu ingredi licuisset: scio enim nulli plura et animadversione digniora de iis regionibus esse obser-vata quam tibi; tum vero unice exopto coram te complecti tot mihi beneficiorum auctorem. Quod cum fieri jam non possit, rogo ut excellentissimum dn. oratorem accurate moneas de libris et tabulis ceterisque rebus ad Græciæ et Orientis cognitionem necessariis; tum vero in primis ut juvenem aliquem τῆς γραφικῆς et delineandi artis bene peritum secum ducat: nisi enim hujusmodi comitem habeat, multum de itinerni fructu peribit. Ego geogra-phyam supellectilem satis copiosam isthuc deferam, si

patronus abeundi copiam mihi , quod spero , fecerit ; de quo ubi certus fuerim , te quoque certiorem faciam . Tu mihi interea temporis eminentissimi dn. legati favorem et benevolentiam commendatione tua conserva . Dn. Thuanus meo nomine excellentissimum dn. oratorem salutabit , et coram exponet , quam ego effictim cupiam servitia et obsequia mea S. Excellentiae in hoc itinere conficiendo præstare . Vale . Romæ ccccxxx . Prid . kal . octobr . Perill . d . t . ad obsequia paratissimus et addictissimus servus L. HOLSTENIUS .

## XXXIII.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO DN.

SEBASTIANO TENG NAGELIO (1)

J. V. D. S. CÆS. MAJ. CONSIGLIARIO ET BIBLIOTHECARIO ,

LUCAS HOLSTENIUS

χαιρειν καὶ εὖ πάρτειν .

Si tardius humanissimis tuis respondeam , facilem mihi veniam , ut spero , abs te impetrabunt literæ , quas ipsa mora ubiores fecit . Nam cum diffiderem me desiderio tuo satisfacere posse quo de Orientalium hic in Urbe literis librisque cognoscere aves , amicorum operam advocavi in iis quæ de meo præstare non poteram . Atque hic quidem Victorius Accorensis (2) , vetus , ut ait , amicus tuus , lu-

(1) Ex Kollarii Anal. Vindobonensibus , t. I , p. 1105.

(2) *Vict. Accor. Abbas Victorius Scialach , in Romano Sapientia*

bens occasionem arripuit, ut et meæ voluntati morem gereret, et pristinæ amicitiæ memoriam apud te renovaret. Ille, ut promisit, et privatim de suis et de publicis Maronitarum studiis copiose exponet. Quamvis homo πολυπράγμων et περιεργότερος ea studia, ex quibus res literaria commodum maximum, ipse autem famam insignem consequi potuisse, cum tricis—(1), hoc est, præsentissima bonorum ingeniorum peste, penitus commutare videatur. Quod indicandum tibi existimavi, non ut doctrinam vel officium ejus viri apud te elevarem, sed ut ingenium ipsius te non lateat, si quid forte ἀμουρος literis admixtum videris. Damascenus Archiepiscopus (2) jam annum integrum pedem domo non extulit; ita senio morboque confectus, lecto affixus hæret, ut nihil in hoc studiorum genere amplius ab ipso expectari possit. Reinardi mathematici bibliothecam Arabicam Vaticana absorpsit, ut ex Victorio Maronita intellexi, nec facile lucem hanc aspicient tot præclara volumina, tanto cum labore ac sumptu collecta. Sed ecce tibi alium thesaurum multo locupletissimum in Europam

gymnasio Chaldaæ et Arabicæ linguae lector, qui edidit Romæ an. 1622 Introductionem ad gramm. Arabicam, et an. 1624 Alphabetum Arabicum: cf. Schnurreri Bibl. Arab. p. 35, 36. Sociata cum Gabr. Sionita opera ex Italico idiomate in Arabicum vertit Bellarmini Doctrinam christianam, excusam Romæ an. 1613: cf. Schn. I. c. p. 241. Scriptit et Institutiones Chaldaæ seu Æthiopicæ linguae, Romæ editas an. 1630. Cf. *Notices des Man.*, t. I, p. xx.

(1) *tricis.* Post *tricis* lacunulam fecit primus editor.

(2) *Damascenus Archiep.*: Sergius Risi, qui Psalmos Syriace et Arabicæ in Libano an. 1610 editos excudi curavit. De illo vide Schnurrer. I. c. p. 353.

nostram allatum a Golio (1) mathematico Leidensi. Catalogum tibi mitto diligenter transcriptum ex edito exemplari, cuius copiam mihi amicus ad paucas horas fecerat. Nihil enim suavius tibi dulciusve offerri posse existimavi, postquam semel novi palatum tuum. Est sane quod orbi christiano gratulemur de tam pretioso ἡμέρᾳ Turcarum manibus erepto; id vero potissimum, incidisse in illorum manus qui nihil publico invident et qui ex isto thesauro evulgando laudis materiam quærunt. Tu, nisi grave fuerit, iis legendum offeres, quos hujusmodi cupediis delectari non ignoras, Sgambato (2), Corderio (3) et similibus, et similia a me expectes velim, ubi nanciscendi copia fuerit. Nunc summopere te oro, et per humanitatem tuam obtestor, ut ex Samaritano tuo Pentateucho (4) duos tresve priores et

(1) *Golio*. Egregius ille Arabicæ linguae et Mathematicum professor Leidensis ex itinere Orientali magnam librorum copiam Academiæ patriæ comparaverat. Qua simulatione, viso hujus thesauri indice, arserit Peirescius, ut similibus libris Galliam ditaret, vide ap. Gassend. p. 155. Cf. Noster, p. 219.

(2) *Sgambato*: Scipioni, ut videtur, Sgambato, Jesuitæ, de quo vide Allatii Apes.

(3) *Corderio*: cf. p. 187.

(4) *Pentateucho*. « Quod porro attinet ad Tengnagelii Pentateuchum Samaritanum, anxie quidem illum et quam potui maxima diligentia in Augustissima Bibliotheca Cœsarea quæsivi, sed frustra; ideoque vereor ne pro Samaritano sit intelligendus alias, qui etiam nunc inter libros Tengnagelianos extat, rarissimæ notæ Pentateuchus, nempe Hebraicus, qui præter Onkelosi Chaldaicam paraphrasin et Commentarium R. Salomonis Jarchi, versionem quoque continent Arabicam R. Saadie Gaou, et Persicam R. Jacobi Tavath. Excusus is est Constantinopoli in folio, anno mundi secundum vul-

postiores versus iisdem literis ac characteribus, quantum fieri poterit, descriptos ad me mittas. Id enim unice a me petuit vir doctrinæ ac dignitatis præcipuæ in Galliis, qui catalogum isthinc ad nos misit librorum Leidensium, et cui studia ac fortunæ meæ plus quam ulli mortalium debent. Ego quibus potero officiis pro eo beneficio gratiam referre studebo; et doctrinæ atque humanitatis tuæ opinio ex meis literis concepta plurimum confirmabitur apud virum Musis adjuvandis natum, et qui tui causa velit ac præstet omnia: is est dominus *de Peiresc* (1) senator Aqui-sextiensis et regius consiliarius, vir et mea prædicatione et humana fide major. De Perdicca (2) gratias ago et publice beneficium prædicabo, ubi id opusculum sub vero auctoris nomine in lucem prodibit. Vale, vir amplissime, et me ama tui observantissimum. Romæ. ccccxxxix d. xi januarii.

garem Judeorum suppurationem 5306, cuius initium respondet autumno anni æræ Christianæ 1545. In frontispicio hujus Pentateuchi manu Tengnagelii hæc leguntur scripta: *Codex rarus, pretiosus, et paucis Judæorum Occidentalium visus: emptus tredecim du-catis sive quadraginta florenis cum dimidio.* » LAMBECIUS in Anal. Vindob. t. I, p. 1112.

(1) *de Peiresc*, qui summo opere studioque Jo. Morinum Pentateuchi Samaritani editorem juvabat, illiusque in usum libros ex ipsis Orientis regionibus magno sumptu comparaverat: cf. Gassend. Vit. Peir. p. 139, 161, et in Antiqu. Eccles. Orientalis Vitam Morini, p. 27.

(2) *Perdicca—prodibit*: cf. pag. 193.

## LIBRORUM AB HOLSTENIO EDENDORUM CATALOGI DUO.

*Homiliae (1) SS. Patrum quas Lucas Holstenius edere constituit.*

Hippolyti Episcopi in S. Theophania ; contra hæresin Noeti ; de Incarnatione fragmenta quædam. — Methodii in occursum Christi et Simeonis ; in ramos palmarum ; de libero arbitrio ; Convivium decem Virginum. — Titi Bostrensis in ramos palmarum ; de parabola judicis iniqui. — Antipatri Bostrensis in S. Theophania ; in Annunciationem B. Virginis ; in natalem S. Joannis Baptistæ. — Eulogii Alexandrini in ramos palmarum. — Amphilochii Iconiensis in natalem Christi ; in Lazarum quatriduanum ; in Mulierem ungentem Dominum ; in S. Sabbatum. — Amphilochii Iconiensis cohortatio ad virtutes ; de lacrymis et regno Dei ; in arbores infrugiferas. — Asterii Amaseni in Cæcum nativitate ; in SS. martyres ; in Phocam martyrem ; in Danielem et Susannam. — Nectarii Patriarchæ Constantinop. — Severiani Gabalensis de creatione mundi Homiliæ VI ; in nativitatem Christi ; in Parasceven. — Procli patriarchæ Constantinop. in nativitatem Christi Homiliæ II ; in S. Theophania ; in transfigurationem Chisti ; in resuscitationem Lazari ; in ramos palmarum ; in Pascha Homiliæ IV ; in S. Andream apostolum ; in S. Stephanum Protomartyrem. — Diadochi

(1) *Homiliae.* Jam vidimus supra p. 39, 105, Holstenium sacra id genus opuscula multa è variis bibliothecis sibi collegisse, quæ erat editurus, et non edidit.

Photicæ in assumptionem Christi. — Georgii Antiocheni in illud, *hic est filius meus dilectus*; de Mulieribus unguentum ferentibus ad sepulchrum Christi; in Spiritum Sanctum. — Hesychii Hierosolymitani de resurrectione Christi; in S. Andream. — Sophronii patriarchæ Hierosolymitani in natalem Christi; in occursum Christi et Simeonis; in SS. Angelos; in S. Joannem Baptistam; in SS. apostolos Petrum et Paulum. — Leontii Cyprii in medium Pentecosten; contra Hebræos. — Leontii presbyteri Constantinop. in Ramos et Lazarum; in S. Pascha; in resurrectionem Domini; in medium Pentecosten; in assumptionem Domini; in S. Joannem Baptistam. — Pantaleonis Diaconi in transfigurationem Domini; in S. Michaelis Archangelum. — Leontii Constantinop. de eo qui incidit in latrones; de Muliere Samaritana. — Eusebii Alexandrini in passionem Christi; in secundum adventum Christi; dominica post dimissam concionem; de memoria Sanctorum. — Joannis Thessalonicensis de consensu Evangelistarum circa resurrectionem Domini. — Eusebii Pamphili in illud, *mane unius Sabbatorum*; de Angelis ad sepulchrum. — Theodori Monachi in annunciationem B. Virginis; in obdormitionem B. M. Virginis Homiliæ III; in circumcisionem Domini; in transfigurationem Domini; in Lazarum quatriduanum; in festum palmarum; in vitam humanam; in decollationem S. Joannis Baptistæ; in Titum apostolum; in S. Nicolaum; in S. Georgium martyrem. — Nicephori Blemmidæ in S. Joannem Theologum. — Arsenii Corcyraei in S. Andream. — Joannis Eubœensis in conceptionem B. Virginis.

*Syntagma (1) Geographorum Græcorum edendorum ab Holstenio.*

Pselli de terræ situ, figura et magnitudine opusculum: — Anonymus de terra describenda in globo. — Isaacus Argyrus de terra describenda in plano. — Agathemeri Orthonis hypotyposis geographiæ. — Incerti autoris compendium geographiæ. — Marciani Heracleotæ de ambitu orbis terrarum libri II. — Artemidori Ephesii Epitomes fragmentum. — Hannonis circumnavigatio Africæ. — Scylacis Caryandeni descriptio Maris Interni. — Scymni Chii de situ orbis poema. — Dicæarchi descriptio Græciæ. — Dionysii Byzantini descriptio Bosphori Thracii. — Petri Gyllii Commentariorum de Bosphoro libri III ad Dionys. Byzant. — Arriani descriptio Ponti Euxini. — Anonymi descriptio Ponti collecta ex Symno, Arriano et Marciano. — Arriani, vel potius Incerti, circumnavigatio maris Erythræi. — Isidori Characeni mansiones Parthicæ. — Palladius de Indis et Brachmanis. — Strabonis epitome. — Gemisti Plethonis emendatio aliquot errorum Strabonis; descriptio Græciæ excerpta ex Strabone; descriptio Peloponnesi. — Varia excerpta geographica collecta ex variis manuscriptis.

*Alter pars Syntagmatis Geographici de Urbe atque Imperio Constantinopolitano.*

Hesychii V. Ill. Origines Constantinopolitanae. — Codini Origines et Antiquitates Constantinopolitanae. — Anonymi

(1) *Syntagma*. Hic catalogus fere conspirat cum illo quem jam miserat Peirescio: vide Epist. X, et notam p. 52.

excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis. — Pauli Silentarii descriptio templi S. Sophiae; descriptio ambitus ejusdem templi. — Petri Gyllii descriptio Urbis Constantinopolitanae. — De regionibus Urbis Constantinopolitanae libellus. — Emanuelis Chrysolorae comparatio Veteris et Novae Romae. — Constantini Porphyrogeneti Thematum imperii Constantinop. libri II. — Hieroclis Grammatici Notitia Provinciarum imperii Orientalis. — Notitia Episcopatum sedis Constantinopolitanae et provinciarum imperii CPni. per Orientem et Occidentem, facta sub Leone Imp. et Photio Patriarcha CPno. — Notitia episcopatum sedis Antiochenae et Hierosolymitanae.

*Appendix.*

Philonis Sophistae de septem miraculis mundi. — Solutionis excerpta de miraculis aquarum. — Pauli Silentarii carmen de miraculis aquarum. — Anonymus de incremento Nili.

*Seorsim edendi.*

Stephanus de Urbibus. — Dionysius de situ orbis. — Geographia Sacra Eusebii, Hieronymi, Eucherii, et aliorum.

## XXXIV.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Cum heri sub noctem prolixus mihi sermo fuerit cum eminentissimo nostro cardinale, cum de studiis rebusque meis, tum vero potissimum de itinere per Græciam, existimavi hasce literas prioribus adjungendas, ut quo loco res esset clarius perspiceres. Nam ubi de tuis literis librisque per Buchiardum (1) allatis ageremus, dixi, quod

(1) *Buchiardum*, quem Epist. sequenti *Buchardum*, alibi aliter Noster vocabit, vulgo *J. J. Bouchard*, Parisinum hominem, Naudæ Epist. p. 802, in catalogo Humoristarum illustrium, *Buciardum* dictum. « Quo posset (Gassendius ait Vit. Peir. « p. 145), melius excolendis Musis bonisque auctoribus qua Græce & qua Latine versandis ævum terere, constituerat solum patrium « cum Romano commutare. » Peirescius, quem sibi sautorem conciliaverat, ipsum Marchevillæ voluerat in comitatum dare : sed res caruit exitu : cf. Gass. p. 155. Romæ an. 1637 parentavi Peirescio laudatione funebri, quæ Vitæ Gassendianæ addita legi potest : cf. Vignolii Miscellan. t. II, p. 362, et Chevanæana §. 10, p. 350. Scripsit et Lasenæ Vitam memorali supra p. 152, quo utebatur amico, teste Erythræo in Pinacotheca. Chevanæus l. c. ejus mortis causam narrat, sed inaccuratius : illam aperuit ipse Buccardus in Epistola quam Bandinius Commercio Doniano inseruit p. 149. Cf. Bandinium de Vita Don. p. xcvi, lix ; et Balzaciū qui ad illum elegantissimam scripsit epistolam, ubi et nonnulla non injucunda lectu de Holstenii tarditate. Hæc epistola quæ inscripta est à M. l'abbé Bouchard invenitur inter Selectas, t. III. 14.

res erat, te adhuc serio instare et aurem mihi vellere de profectione ista; et meam voluntatem, vel cupiditatem potius, visendæ Græciæ, tum fructum qui ex eo itinere ad studia mea redire possit, prolixe ostendi, et quam gloriosum ipsi futurum esset suis auspiciis id perscioi. Ibi mihi diserte affirmavit tantum abesse ut animus suus unquam ab hujusmodi instituto meo abhorruerit, ut nullo non sumtu suo id peractum unice cupiat; et meam promtitudinem atque alacritatem sibi satis perspectam; sed vereri et religione quadam prohiberi quominus caput meum tot periculis et difficultatibus objiceret, atque, ut ipse aiebat, in præsentem mortem ablegaret. Sed cum hunc quoque scrupulum metumque accommodato verborum remedio eximere studuisse, acquiescere visus est consilio ac voluntati meæ, et se pro viribus propositum meum adjuturum ac promotorum promisit sumtibus impensisque necessariis, tum etiam literis et commendationibus accuratissimis. Id tantum impedire consilium nostrum ostendit, quod de illustrissimi dn. Marchevillii (1) profectione nihil adhuc certi constaret, sed omnia in dubio hærerent, quando et quo ex loco esset discessurus, tum etiam quanam habiturus esset iter, cum alii ipsum mari, alii terra profecturum affirment, neque id quidem una via; esse enim qui Venetiis Ragusium, inde terrestri itinere Byzantium aditum dicant, alios hac transiturum asserere. Accessit etiam sollicitudo de rebus meis in patria recte stabiendis ante discessum, et expectandum videri quem effectum iteratæ Cæsaris literæ ad Capitulum Hamburgense essent bahiluræ, nec descren-

(1) *Marchevillii*: cf. p. 198.

dum temere vel abjiciendum negotium tot laboribus sermone  
 jam ad finem perductum. Itaque id suggestit, si illustrissimum oratorem ob præmaturum discessum comitari non  
 liceret, proximum id fore et maxime consultum, ut cum  
 Ragusino Legato terra deinde proficiscerer; atque illam  
 itineris rationem non unam ob causam maritimo præferre  
 videbatur. Subjunxit alia multa de locis Græciæ lustrandis,  
 tum de tempore toti itineri impendendo, quod quidem  
 ipse octo vel novem mensibus circumscribere videbatur:  
 sed mihi singulatim omnia præscribendi otium non sup-  
 petit. Id majorem in modum te rogo ut, si re nostra id  
 futurum existimaveris, quam primum de profectione illa  
 consilium tuum eminentissimo cardinali perscrivas, et  
 tua quoque autoritate eum cohorteris, qua sane maxima  
 apud illum polles, et, pro benevolentia erga me tua,  
 dispicias, quomodo promoveri hoc nostrum consilium  
 queat; quod te facturum quam celerrime nou dubito. Tum  
 vero et illud rursus abs te peto, ut, prima quoque occasione  
 codices illos Græcos (1) ad me mittas, et desiderium quo  
 animum mihi torqueri sentio alleves. Vides quam mihi  
 confidentiam, ne quid durius dicam, humanitas tua tri-  
 buat, qui tam inverecunde abs te flagitare audeo, quod  
 nullo mihi nomine vendicare possum, nisi mero benigni-  
 tatis tue affectu. Vale, perillustris domine, et tui obser-  
 vantissimum redama. Romæ, postr. id. febr. -cio:cccxxi.  
 Per ill. d. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *cod. illos Græcos*: Platonicos nempe quos ipsi dono dederat  
 Peirescius: cf. p. 167, 123, 217.

## XXXV.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Dum prolixum tibi responsum molior ad omnes eas literas quibus de tripodis (1) tui fabrica consuluisti hactenus (2) ad me scriptis judicium et sententiam meam exquiris, non unam scribendi occasionem prætermisi, quod officii neglectum largiori usura brevi me compensaturum sperarem. Nunc ad totum illud apparatum nihil mihi defuit præter Burgesiani tripodis designationem, quam cum aliis nonnullis ad te mittere cupiebam. Neque id negligentia mea, sed temporum difficultate factum est; cum pedem urbe efferre non liceat, sine publico sanitatis testimonio. Absque eo fuisset, haberet nunc a me verbosam epistolam cum aliquot tripodum figuris hinc inde collectis. Vix enim commodiorem occasionem sperare ausim. Nam qui hasce exhibit Avenionensis est, tui observantissimus, et mihi in hac aula aliquando inserviit. Quocirca cum

(1) *tripodis*: cf. p. 183.

(2) *consuluisti*, *hactenus*. Locus corruptus. In altero codice inter *fabrica* et *hactenus* lacunula est, quam manus secunda supplevit vocibus *me interrogas et*, nescio unde sumtis, et quibus syntaxis non multum juvatur. Post *fabrica* fuit, puto, adjективum a nomine *fabrica* pendens, Græcum forte, aut lectu difficilius, quod cum omisisset librarius, lacuna male suppleta fuit inserto verbo *consuluisti*, aut vocibus illis *me interrogas et*. Certe *fabrica Σενταγότάτη*, vel aliud quid epithetum locum melius sarcire valet.

aliud non licet, studia saltem atque officia mea apud te testabitur, qui usu ac consuetudine familiari summam erga te observantiam meam cognitam perspectamque habet. Tuum in me affectum, præter literas benevolentiae indices, summopere mihi prædicavit Buchardus (1), insigni eruditione juvenis, et Parisiis mihi paulo ante discessum Rigaltii commendatione notus. Ego lubens hospiti carissimo præstiti, quod amicitiae pristinæ, quod virtuti et doctrinæ, quod tuis aliorumque efficacissimis commendationibus negare non poteram. Neque profecto ullum apud me potentius est [ φιλτρον ], vel amicitiae, ut ille ait (2), coagulum tenacius optimorum studiorum similitudine. Eminentissimus noster cardinalis summopere ejus congressu fuit delectatus, et coram me liberrimum et suæ et Vaticanæ bibliothecæ usum obtulit, qui et ipse apud Summum Pontificem pararium agere voluit et conciliatorem. Spelmanni glossarium (3) illi longe gratissimum fuit. Quam vellem ut ex manuscriptis philosophis (4) unum et alterum tam commoda occasione mihi misisses! Nam, ut rem tibi fatear, impotenti desiderio flagro, et illorum usum ad exiguum tempus magno pretio redimerem. Ignosce minus verecunde petenti, cui pudorem prodiga et profusa

(1) *Buchardus* : cf. p. 213.

(2) *ut ille ait*. Non satis memini quem innuat; forte P. Syrum qui dixit,

*Amicitiae coagulum unicum est fides.*

(3) *Spelmanni Gloss.* Sic correxi vitiosam scripturam *Spismanni*. Cf. supra p. 29.

(4) *man. philos.* Platonicis illis libris, de quibus jam supra non semel : cf. p. 215.

tua benevolentia omnino excusso, et me tanto munere quamprimum bea. Nam Buchardi sermones desiderium meum multo magis auxerunt; quo nemo rectius de istiusmodi thesauris judicat. Non deerit mittendi occasio, redeunte ad urbem cardinalem Bagno (1), quam ne prætermittas ita rogo, ut magis ex animo quidquam abs te contendere non possim. Ptolomæi regis inscriptionem (2) a Leone Allatio editam Suaresius haud dubie ad te mittit. Mihi nullum adhuc exemplar videre licuit, qui præcipitandæ editioni ansam inscius præbui. Nam oum superioribus hisce diebus inter alios Vaticanos codices unum longe vetustissimum excuterem auctoris christiani incerti (3), qui de mundi structura, situ et partibus disserit, de quo Photii P. CP. judicium extat in [μυριοβιβλῳ] Codice, ni fallor, 36, offendi libro 11<sup>o</sup> dicti operis prolixam dissertationem de situ partibusque orbis terrarum \* \* novis quidem et plane [παραδοξοτάταις] opinionibus refertam, dignissimam nihilominus, meo quidem judicio, quæ in syntagmate nostro geographicō locum publice haberet. Auctor enim, Alexandrinus olim mercator, ut suo sibi judicio prodit, multa de Rubri Maris accolis, de

(1) *Bagno*, vulgo *Bagni*: cf. p. 191.

(2) *Ptolomæi r. inscriptionem*: Monumentum Adulitanum Ptolomæi Evergetæ Gr. et Lat. editum Romæ an. 1631. Quo de monumento Harlesius agens, Bibl. Gr. t. IV, p. 251, ait ab Allatio fuisse editum e Vaticano, *ut videtur*, codice. Epistola hac Nostri dubium omniuo tollitur: et Vaticanum illum codicem memorat Holstenius in Lilienthalii Sel. Histor. p. 95.

(3) *auct. christ. incerti*, quem vocant vulgo *Cosmam indopleusten*: cf. Bibl. Gr. I, c. et supra p. 185.

Indicis navigationibus \* \* apud Adulitas et Axomitas, oculata fide et experientia refert, ut \* \* suas plane [commentitias observationes] fulciat et pro veris venditet. Atque ibi inter alia apponit inscriptionem statuæ \* Ptolomæi regis, qua nationes barbaræ extrema Arabici Sinus et Nili partes superiores accolentes commemorantur. Huic dissertationi satis prolixæ describendæ cum me accinctum videret Leo Allatius, veritus ne sibi laureola periret quam in hoc mustaceo quærebat, repentina consilio inscriptio nem Ptolemaïcam protrudit, quæ gemmæ aut purpuræ instar in eo libro prominebat. Sed palma publica est, neque minus, ut spero, gratus erit totus ille veteris auctoris locus, ubi in publicum proferetur. Indicem librorum Arabicorum Golii (1) a reverendissimo dn. Puteano (2) habui, et cardinali nostro exhibui legendum. Ille non sine invidia Batavis hujusmodi thesaurum obtigisse accepit. Gratulabatur tamen rei literariæ in illorum manus incidisse, qui nihil publico invident. Misi exemplar Viennam ad Tengnagelium (3) Cæsaris bibliothecarium, a quo specimen Samaritani Pentateuchi (4) in dies expecto. De Constantino-politana profectione omnia mihi incerta. Cardinalis noster dubio responso me suspensum tenet; præsertim cum de illustrissimi dni. oratoris discessu nihil certi constet (5).

(1) *Indicem—Golii* : cf. p. 207.

(2) *R. d. Puteano* : ob epithetum illud *reverendissimo* credo agi, non de equite Cassiano a Puteo, de quo vide p. 111, 159, sed de Puteano, Cartusiano monacho, de quo, præter notata p. 177, vide Menagium *Anti-Baillet*, §. 80.

(3) *Misi—ad Tengnag.* Cf. p. 207.

(4) *Samar. Pentat.* Cf. p. 207.

(5) *constet* : cf. p. 214.

De meis rebus quid futurum sit ignoro; spero sane optima, postquam Cæsar severissimis literis denuo autoritatem suam apud Senatum et Capitulum patriæ meæ interposuit. Sed de his tempus et fortuna viderint. Vale, ill. domine, et me tui observantissimum ama. Romæ, cœloœxxxix idib. febr. Perill. d. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

## XXXVI.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Qui literas hasce tradit, *juvenis* (1) est eruditus, et \* civis meus, cuius ingenio et doctrina plurimum, si recle animum tuum novi, delectaberis. Ac proinde lubentissime meis literis aditum illi ad amicitiam tuam aperire volui. Neque enim prolixiore commendatione eget, quem virtus animique dotes abunde commendant. Et est ex illorum numero qui summam tuam humanitatem et eruditionem suspiciunt et admirantur; et, ut cætera omnia abessent, vel illo nomine gratissimus, ni fallor, ad te veniet, quod de Romanis rebus studiisque nostris multa referre possit quæ literis commode præscribi non possunt. Parens ejus Reipublicæ nostræ senatus est, vir prudens et ingenii moderati, mihiique addictissimus. Eminentissimus cardinalis *Bagni* (2) nudius tertius appulit, post menstruam lustra-

(1) *juvenis* : Hurtzvigi : cf. Epist. seq.

(2) *Bagni* : cf. p. 218.

tionem Urbem denique ingressurus. Spero me literas librosque nonnullos recens editos hac occasione accepturum; sæculum enim integrum mihi videtur, ex quo Gallico commercio caremus. Manuscriptos Platonicos utrum miseris dubito, vix enim literas meas eo perlatas existimo, ante cardinalis discessum. Buchardum eminentissimo cardinali nostro non semel commendavi, nec patiar ut eruditissimus et optimus juvenis operam atque obsequium meum ulla in re desideret. Terentianum codicem (1) nuper evolvimus, dum characteres tuo rogatu ordine exscriberet. Ego ante M annos codicem scriptum haud dubitaverim affirmare; quo equidem nullum vidi vetustiorem, si Virgilianum (2) exemplar excipias, quod in Vaticana assertatur. Mihi nunc scribendi otium non suppetit de studijs meis. Scribam proxime de vetustissimo codice Græco antiquissimi auctoris (3) christiani, cuius Photius meminit Cod. 36. Ejus librum II<sup>dum</sup>. ferme totum descripsi, ubi de figura, situque orbis terrarum non tantum [stulte], sed etiam plane [absurde] disputat; quem cum aliis geographicis publici juris faciam, ob egregiam narrationem de Axumitica regione, et navigatione Rubri Maris; de quibus, ni fallor, postremis quoque nonnulla ad te perscripsi. Vale, literarum decus, nostrumque præsidium, et, ne

(1) *Terent. codicem*: de quo, præter alios, vide Bergerum de Personis p. 64, et Schoellum, virum doctissimum, *Historia Literaturæ Romanæ*, t. I, p. 135.

(2) *Virgilianum exemplar*: illud de quo agit Burmannus in præfatione ad *Virgilium patrui* p. \*\*\*2.

(3) *auctoris*: cf. p. 218.

quid Musæ tuæ calamitatis patientur, ob Provinciæ vestræ tumultus (1), sedulo cura. Romæ, 1631, postr. kal. april.  
Perill. d. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

Ignosce festinanti calamo.

## XXXVII.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS ET AMPLISSIME DOMINE,

Sæpius tibi amicos isthuc commigrantes commendō; quod humanitatem tuam nulli non cupiam esse notissimam. Juvenis hic Parisiensis eminentissimi cardinalis nostri jussu Romam venit, ut artificium texendi tapetes hic exerceret. Non successit negotium ex voto, ob malas artes illorum quibus curandum commissum fuit. Multa ex ipso rescire poteris de aula Romana, et præsertim de familia eminentissimi cardinalis nostri; tum etiam de meis rebus referre poterit, quippe qui in iisdem ædibus mecum vixit. Ille tuam benevolentiam Parisiis prædicabit; et si quid ei impenderis, id ego, ubi postulaveris, libenter refundam. Civem meum Hurtzvigum (2) jam tibi adfuisse puto. Plura discessuri festinatio me scribere prohibit. Romæ, 11 april. 1631. P. et ampl. dn. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *Provinciæ v. tum.* Cf. Gassendii Vita Peiresc. p. 143, 153.

(2) *Hurtzvig.* : cf. Epist. præced. p. 220.

## XXXVIII.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Manuscriptos Platonicos (1) cæterosque libros illis adjunctos salvos et incolumes ad me pervenisse jam dudum scripsi , et gratias agere conatus sum verbis , quæ et munieris et beneficii magnitudo , et gratissima animi mei voluntas tum dictabat. Verum is qui deferendas literas recepit , sacerdos Belga , incertus erat quod iter Genua porro arriperet , utrum per Provinciam vestram , aut per Insubres et Helvetios. Atque adeo dubito utrum illi isthac transeundi facultas fuerit , ut et literas meas traderet , et devinctissimi animi studia apud te verbis testaretur. Neque enim mihi quidquam de ejus itinere rescire hactenus licuit. Sed quidquid de illo factum fuerit , placuit nunc , certiore occasione oblata , iterare officium , atque illud sine verborum fuco ex animo testari , a nullo mortalium hactenus mihi majus et acceptius beneficium præstitum fuisse , neque ulli tantum studia mea debere atque tibi , qui tam insigni tua beneficentia et prodiga humanitate illorum mihi auctorum copiam fecisti , quos omnium maxime hactenus , nulli sumptui ac labore parcens , conquisivi , ut iis privatim evolvendis et in publicam lucem proferendis operam omnem vitamque impenderem. Nam ex quo tempore

(1) *Man. Platonicos* : cf. p. 221, 215.

Maximi Tyrii, Chalcidii et Hieroclis lectione admodum adhuc adolescens Platonicæ Philosophiæ gustum aliquem haurire cœpi, sensi ingens desiderium in animo meo enasci, primum cognoscendi uberius, mox etiam promovendi et illustrandi pro viribus tam divinam philosophandi rationem. Atque eam cogitationem ac voluntatem summopere confirmavit utilitas maxima, quam statim ex pervestigatione illa percepi. Cum enim a Bessarione, Steucho<sup>(1)</sup> aliisque Platonis doctrinam SS. Patrum scriptis confirmari viderem, totum me Latinis Græcisque operibus legendis dedi, quibus illi contemplativam et mysticam quoque theologiam pertractant, qua in Deum animus excitatur. Atque ita factum est, ut SS. Patrum divinam ac solidam philosophandi rationem toto animo admirarer, et mox inscius ferme in catholicæ ecclesiæ<sup>(2)</sup> gremio me constitutum cernerem: quod sibi quoque usu venisse D. Augustinus in Confessionibus<sup>(3)</sup> testatur. Meum sane animum divinæ illæ contemplationes adeo ad veritatis cognitionem erexit, et confirmarunt, ut nequaquam circa tricas et quæstiunculas, quales de Fidei negotio novatores movere solent, post modum langueret. Verum id potius operam dabo, ut

(1) *Steucho*, cognomine Eugubino, theologo et philosopho, de quo, præter alias, Saxius Onom. t. III, p. 176.

(2) *cathol. ecclesiæ*. Hinc patet quam leviter de Holstenii ad catholicæ sacra conversione pronunciarit b. Bredowius: vide notata p. 32.

(3) *August. in Confess. VII*, c. 20. « Sed tunc lectis Platonicis corum illis libris, postequam inde admonitus quærerem incorpoream veritatem, invisibilia tua per ea quæ facta sunt intellecta conspexi. »

recto tanti munēris usu et fructu omnem tibi posteritatē devinciam. Quidquid enim horum a me in lucem profere-tur, id cum publica beneficii tui professione et illustrissimi tui nominis deprædicatione prodibit. Et ne abusus fuisse videar tam prompta benignitate, remittam lubens partem aliquam, et quidem majorem, istorum codicum ad bibliothecam tuam, ut, præter alia antiquitatis monumenta, hisce quoque ornamenti sit illustrior. Sex duntaxat aut septem, quouiam tu ita vis, studiorum meorū usui ser-vabo; idque perpetuum apud me extabit benevolentiae tuæ monimentum. Quin ego lubentissime remitterem, si quid hic vel scriptum, vel editum extaret, quo te remunerari possem; vel, si id abs te contendere licet, pretium quod-cunque statueris refundam: hoc enim animo partem istius [κτιμηλιον] principio abs te petii; atque ejus rei, si placet, arbitros capiemus du. *Bonaire* aut *Buchart* (1): nihilominus tamen me perpetuum habebis tanti beneficii debito-rem. Nunc paucis ad singula literarum tuarum capita respondebo, et de codicibus nonnullis quæ scire cupis explicabo, quantum mihi pvestigare hactenus licuit. Julius Pollux (2) Physicæ illius Historiæ auctor librario-rum sive imperitia, sive impostura vocatur. Sunt enim excerpta ex Eustathio in [Ἐξανθεπον], qui nuper (3) Lugduni opera Leonis Allatii prodiit, atque eadem illa

(1) *Bonaire—Buchart*. De illo cf. p. 147; de hoc p. 213.

(2) *J. Pollux*. Hujus Historia Physica erat inter libros Nostros datos a Peirescio: vide Catalogum supra p. 131, n<sup>o</sup>. 19. De illo auctore quem Ignat. Hardtius edidit an. 1792, cf. Bibl. Gr. Fa-bricii t. VII, p. 471; Colomesii Bibl. p. 147.

(3) *nuper*, anno nempe 1629.

Cedrenus, et Michael Glycas quoque, sæculi illius barbare more, in suas Historias transcripsere: ita hic vere carbo pro thesauro est. Puto in eodem codice antiquo, unde [Χρονικα] ista transcripta fuere, Julii Pollucis Vocabularium extitisse, et librarios titulum nomenque ejus auctoris ad cætera quoque transtulisse; quod haud inusitatum est, præsertim cum librarii rectius lacrum faciant, si opus incerti vel obscuri auctoris alteri alicui celebriori supponant. Ita nunc elegantissimum Scymni Chii poema de Situ orbis sub Marciani nomine circumfertur<sup>(1)</sup>, ut alibi ostendam. Mihi Eustathium<sup>(2)</sup> integre editum necdum videre licuit: illius copiam ubi habuero, tum singula diligenter in manuscripto tuo codice annotabo, quem cum aliis remittam. Exemplar primarium, unde Darmarius<sup>(3)</sup> et Irc et alia, transcripsit, habetur in Veneeta bibliotheca. Sed de hoc codice alias prolixius et distinctius scribam. Heronis Geometrica<sup>(4)</sup> malo et nimis festinante calamo scripta sunt; [σχηματα] pessime delineata. Extant eadem apud ill. archiepiscopum Tholosatem<sup>(5)</sup> descripta Græce et Latine manu Josephi Auriæ<sup>(6)</sup>, insignis mathematici, qui editionem hujus quoque opusculi meditabatur. Tractandi modus \*\* videtur. Breve enim et succinctum est opuscolum, ut alia multa ejusdem auctoris. Sed usum insignem

(1) *Scymni—circumfertur*: cf. supra p. 56.

(2) *Eustathium* in Εξάνθετος, de quo modo meminit.

(3) *Darmarius*, Andreas Epidaurius, de quo p. 148.

(4) *Heronis Geom.* in Catalogo p. 131, n°. 6. Cf. p. 245.

(5) *Arch. Tholos.* Carolum *de Montchal*, de cuius codicibus Græcis vide p. 150.

(6) *J. Auriæ*: cf. p. 150.

habet, non solum geometricum, quod nullius veteris scriptoris similis tractatio supersit, sed et philosophicum, cum ubique Pythagoræ et Platonis mentem de figurarum vi ac potestate explicet. Tum vero apud nullum auctorem tot ac tam varia [ μύτης ] nomina ac descriptiones extant. Didymi opusculum de lignis tenuissimum est; sunt enim [ fragmenta ] majoris operis: non contemnenda sunt tamen quæ de Romano et Ptolemaico pede, de cubito Regio, aliisque mensuris; earumque inter se comparatione habentur. Anatolii fragmentum de mathematicis scientiis haud inelegans est: quod commodo loco a me proferetur. [ Δαριανοῦ Λαρισσαῖον ] Capita Optica eadē prorsus sunt quæ sub Heliодori Larissæi (1) nomine Græce et Latine publicavit olim Egnatius Dantes, Magni Hetruriæ Ducis mathematicus; quæque Lindebrogius (2) noster, suppresso Egnatii nomine, Hamburgi tanquam inedita rursum protulit. Extant eadem Italice conversa ab Egnatio illo, et suis sibi demonstrationibus et commentariis illustrata, una cum Euclidis Opticis et Catoptricis, ejusdem editoris, quod opus te vidisse existimo Florentiæ editum in 4°. Mihi gratum fuit eorum auctoris nomen et patriam ex hoc

(1) *Hel. Larissæi*, de quo Fabric. Bibl. Gr. t. VIII, p. 128. Ante verbum *Capita*, lacunam supplendam censui inserendis vocibus Δαριανοῦ Λαρισσαῖον. Fabricius l. c. supplementi hujus rationes exhibebit, Nosterque videndum ad calcem Epist. XXXIX, p. 248; ubi plura notabo.

(2) *Lindebrogius*, Franciscus. Supra p. 3 Francisci hujus, non Henrici, ut tunc mihi visum est, injecta fuit mentio. Cæterum Lindebrogius non tanquam ineditum Heliодorum protulerat, sed ad *Hetrusi codicis fidem Gr. et Lat.*, nempe ad exemplar Dantis Florentinum.

codice tuo cognovisse. Codini (1) exemplar multo interius est edito, et non solum Gretseriana supplementa habet, sed et alia longe plurima quæ ex Vaticano codice describere statueram: hujus codicis usu mihi laboris fit compendium. Ubi amanensis meus singula descripserit, hunc quoque codicem remittam, ut et Polyæni (2) utrumque exemplar, ubi cum edito contulero; hactenus enim obiter tantum inspexi: codex major bonæ notæ videtur. Procli [Στοιχεῖων] Theologicam (3) cum edito in patria mea exemplari contuli, et ejus beneficio lacunas omnes explevi: multum sane mihi profuit. Ipsam quoque Theologiam, vel saltem tres priores libros quam primum conferam, et remittam utrumque. Herennii (4) Metaphysica tota legi. Est sane libellus magni pretii, et insigne compendium Platonicae theologiae, ut ex Synopsi novem capitum perspicies, quam inter legendum confeci et proxime ad te mittam. Errant qui auctorem Herennium Philonem satis antiquum philosophum credunt; nam hic noster post Proclum et Damascium scripsit: quinimo omnia sua ad verbum, quod postea cognovi, ex prolixo Damascii opere [περὶ Ἀρχῶν] transcripsit; ita ut Herennii libellus [ἀπόγραφον] loco esse possit. Codex non admodum diligenter scriptus est, ut ferme solent, qui a famelicis librariis victui comparando exarantur. Multa passim omissa et

(1) *Codini*, qui exiat in Catal., p. 131, n°. 23.

(2) *Polyæni*: in Catal. n°. 17.

(3) *Procli—Theolog.* in Catalogo p. 130, n°. 4. Cf. et p. 125, 253.

(4) *Herennii*: in Catalogo p. 131, n°. 5. Cf. Fabric: Bibl. Gr., t. III, p. 258, et Noster infra p. 236.

truncata observavi. Plurima inter legendum ex conjectura correxi. Ubi diligentius cum ipso Damascio et Vaticanis manuscriptis contulero, serio de ejus editione cogitare incipiam. Damascii (1) opus pessimo charactere scriptum est, adeo quidem ut difficultas illa haçtenus me a continua perlectione deterruerit. Proclum in Cratylum (2) totum legi: sunt [ικλογαι] majorum commentariorum satış diligenter, et bono cum judicio confectæ. Plurima sunt philologica in eo opere quae ad antiquarum fabularum explicationem pertinent. Olympiodorum quoque in Phædonem propemodum jam absolvı; nequę id opus integrum, sed ex prolixioribus commentariis excerptum; nec puto unius auctoris, sive eclogarii ita multa bis, terve eisdem verbis repetita, alia transposita, alia mutila, et imperfecta. Plurima ex hoc opere ad Porphyrii [Αφορμαι] illustrandas excerpti, in quibus mihi auctor hic Delius fuit natator. Extat inter cætera tractatus prolixus de Virtutum generibus ex Platonicorum mente, quo Marini Vita (3) secundum Virtutum gradus descripta, tum Porphyrii [Αφορμαι], cap. 34 divinum in modum explicatur. Est thesaurus melioris philosophiae. Sequentur Hermias in Phædrum et

(1) *Damascii*: in Cat. p. 131, n°. 22, et p. 235.

(2) *Proclum in Crat.* in Catal. n°. 15. Cf. p. 234. Has ικλογαι descripsi ipse olim, et Weigelius, quod patet e mea ad Marinum præstatione, edendas in se recepit. Sed dum promissam differt editionem, b. Werferus jam vulgavit excerpta ex illo Commentario Orphica fragmenta, et Creuzer us vir eruditissimus nonnullas inde selectas observationes scriptis inseruit suis; adeo ut si moræ fiant longiores, Weigelio flos omnis opusculi peribit, et opusculum forte ipsum integrum.

(3) *Marini Vita*, i. e. Procli Vita Marino auctore.

Proclus in Parmenidem (1), quorum ego utrumque jam leviter degustavi, illum quidem in Oxonieus bibliotheca, hunc in Urbe apud Augustinianos, et Jesuitas in bibliotheca M. A. Mureti. Procli in Alcibiadem (2) tria nunc exemplaria habeo, alterum ex Vaticana transcriptum, alterum redemptum a Græco quodam: horum ego alterum ad te remittam, uti etiam maximam partem Olympiodori in Gorgiam, quam Dormalius (3) milsi ex Vaticano descriptis. [Metochitæ Capita] obiter semel evolvi cum Bucharto nostro, qui tum forte aderat: sunt aliquot capita (4) optimæ frugis, in plerisque declamatorem agit, vel potius concionatorem. Sæculi vitium alicubi redolet quod tum barbarum erat; eminet nihilominus eximum ubique judicium. Rectius et nominis æternitati, et posteritatis commodo consuluisset, si ex bonis auctoribus antiquis contexere maluisset potius satyram \* quam ex proprio ingenio. Sed de hoc peculiari epistola prolixius scribam, ubi pressiori cura singula excusserim. Ex cæteris unicum mihi retinere velim Pselli (5) opusculum de compositione animæ, quod olim in Anglia ex cl. P. Junii

(1) *Hermias—Proclus in Parm.* in Catalogo n° 9 et n° 11. Cf. p. 234.

(2) *Procli in Alc.* in Catal. n° 16. Cf. p. 234.

(3) *Dormalius*, quem jam Noster sèpius nominavit, et de quo notavi ad p. 98; ubi quod dicebam, me nullum hujus hominis opus cognoscere, hodie non dixerim. Nam incidi nuper in Urbani VIII Poemata Romæ an. 1643 edita, quæ *Dormalius explicabat*, aut verius onerabat verbosissimo et inficitissimo commentario.

(4) *capita*. Titulos capitum cxx Græco sermone edidit Fabric, Bibl. Gr. t. X, p. 417.

(5) *Pselli*, in Catal. n° 13. Cf. p. 236.

exemplari transcripsi : nam et hoc ad studia mea in primis pertinet : cætera omnia ad te remittam. Anglicanum opus (1) cum stupore vidi , et jam bonam partem legi. Nihil ab omni ævo majus aut illustrius in hoc genere prodiit. Multa de illo opere locutus sum cum eminentissimo nostro cardinale , quem ita accendi , ut versionem latinam Anglicani collegii alumnis injungere cupiat : verum id dissuasi ; neque enim singula transferri merentur. Ego syllabum consicere cœpi relationum singularum , ut inde perspiciat operis formam , et gustum aliquem percipiat. Proposui aliam operis formam : scilicet , uno volumine omnes antiquorum terra marique peregrinationes ederentur , quæ sane ingens volumen conficeret; deinde ex Ramusio , Purchasio , aliisque recentiorum navigationes et itinera aliquot tomis subjungerentur. Mittam alias delineatam operis formam , quod nullibi rectius conflari et excudi posset quam Lutetiæ. Pro Bertii (2). Tabulis gratias ago , et laudo judicium tuum de tabulis ad auctorum mentem conficiendis : [ nam ] qui singula in unum congerunt , monstra et chimeras conflant. Cum enim ipsi auctores plerumque diversum sentiant , quomodo una eademque tabula explicari et illustrari possunt? Strabonis tabulas meditabatur

(1) *Anglicanum opus*; Purchasii, ut videtur, collectionem , de qua supra p. 101.

(2) *Bertii tabulis*. Forte , « Variis orbis universi Tabulis geographicis ex antiquis geographis et historicis confessis per P. Bertium » , et an. 1602 vulgatis. Cæterum Bertii egregius sautor Peirescius fuerat , teste Gassendio p. 105 , et *Requier* , p. 176 , qui ipsum vernaculae vocat *Berti*. Sed vulgare nomen fuisse *Berts* disce . e Paquotii Memorijis.

Cluverius : iis enim, tanquam anima et spiritu, summus auctor hactenus destituitur. Sed majoris id otii, neque inter curiae et aulae occupationes temere suscipiendum. Geographis meis singulis Græcis suas adjungam tabulas (1), Marciano, Scylaci, Hannoni, Arriano, Dionysio, et aliis; quarum ego jam nonnullas confectas habeo. Sed ut ad Bertium redeam, memini mihi visam olim in ipsius museo tabulam Geographiæ Nubiensi (2) secundum climata accommodatam, quam in lucem protrahi publice interesse existimo. Sed nimium excessit epistola, et D. Donii frater, qui hasce perferet, abitionem urget. De Tripode (3) in dies differo, cum Gualdus eques expressam complicabilis sui tripodis (4) figuram se missurum promittat. Hieronymi de Grandis librum de Tripode vidi una cum Claudio Menestrier. Sed mera illa sunt collectanea ex Rhodigino, et aliorum commentariis; nihil ille tangit eorum quæ de tripode cupis: neque enim Græcas literas intelligit. Nuper pulcherrimus repertus est lapis in quo Delphici templi a Gallis excisi historia cernitur, ubi inter alia tripodis figura tuæ simillima. Sed de his amicorum hic concilium cogam, ut tandem omnes de tripode fidem tibi liberemus. Hieronymus de Grandis sua offert; et curabo transcribi, si ita velis, nec ille verba fidemque retrahat. Menestrierus, nimirum allor, horologii antiqui delineationem mittet, quod nuper

(1) *anima et spiritu—adjungam tabulas*: cf. p. 81.

(2) *tab. Geogr. Nub.* Ad similem tabulam condendam Cluverium olim invitaverat Peirescius: cf. Gassend. p. 105.

(3) *Tripode*: cf. p. 216.

(4) *complicabilis sui tripodis*: cf. supra p. 184, et Peirescium in Memoriis Desmoletsii t. X, p. 250, 270.

eminentissimi cardinalis nostri museo (1) illatum est. Ego simul ac vidi, veterum scaphium, sive [σκάφη, agnovi,] quod Mart. Capella principio lib. vi describit, et Vitruvius lib. ix, cap. 9; et meminit ejusdem Cleomedes lib. ii, cap. 10. Sed manus tollenda de tabula, Vale, et festinanti calamo ignosce. Romæ, 1631, 9 julii. P. d. v. addictissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

*Index (2) Auctorum Sphæricorum, quos ex manuscripto exemplari Josephi Auriae transcribi curavit ill. dn. Peirescii.*

Autolycus de Sphæra quæ movetur.

Idem de ortu et occasu Stellarum.

Theodosii Tripolitæ de Habitationibus liber,

— de diebus et noctibus libri duo.

Euclidis Phænomena.

*Index Platonicorum Philosophorum quos manuscriptos penes me habeo.*

1. Procli Theologia Platonica manu Darmarii. fol. Codex recens quidem, sed ex quo Hamburgensem editionem multis locis emendavi : ab ill. dn. Peirescio.
2. Ejusdem [Στοιχεῖα τε θεολογική] fol. manu ejusdem Darmarii, ex quo Porti editionem totam emendavi. Habui ab eodem dno. Peirescio.

(1) horologii—cardinalis nostri museo : cf. Gassend. Vit. Peiresc. p. 200 ; Requier, p. 333.

(2) Index. Indices illi nescio an recte suoque loco sint positi. Hic inventos hic reliqui. Auctores Sphæricorum e bibliotheca Tolosani præsulis de Montchal transcripti fuerant : cf. p. 150.

3. Nicolai (1) episcopi Methonensis commentarius Græcus, ad Procli [Στοιχεῖαν] quo theologica Platonico-rum axiomata examinat, ne quis eorum probabilitate a catholicæ fidei veritate abducatur, in fol. Curavi ex Vaticano codice mihi transcribendum, pretio 14 aureorum.
4. G. Morbeccæ Fr. ord. Prædic. versio Latina Elementorum theologicorum Procli, cum aliis, nescio an. Morbeccæ, an alterius, demonstrationibus. Versio hæc facta Viterbii anno 1268. Curavi transcribi ex Vaticano cod. pretio 9 scut. Multum mihi profuit ad Porti editionem corrigendam.
5. Procli (2) commentarius in Alcibiadem priorem. Habeo duo penes me exemplaria; alterum ex cod. Vatic. transcriptum pretio 6 scut., alterum ab ill. dno. de Peiresc, in 4°. Darmarii manu scriptum: quæ inter se contuli.
6. Procli commentarius in Parmenidem in 4°. manu Darmarii: habui a dno. Peirescio.
7. Procli excerpta in Cratylum. 4°. manu Darmarii: habui a dno. Peirescio. Alterum exemplar in 8°: oblongo, scripturæ recentioris, sed etiam accuratæ.
8. Olympiodorus in Phædonem et Gorgiam. fol. manu Darmarii: habui a duo. Peirescio.

(1) *Nicolai*. Holstenianus hic codex servatur hodie in Hamburgensi bibliotheca Johannea, cum duobus præcedentibus et sequenti, Fabricio teste Bibl. Gr., t. IX, p. 409. Cf. Epist. XLIII.

(2) *Procli*. Et hic liber est in Johannea, teste Fabricio l. c. et t. III, p. 83.

9. Olympiodori, excerpta in Philebum. fol. Curavi ex Vaticano cod. transcribi pretio 5 scut.
10. Olympiodorus (1) in priorem Alcibiadem, quem Dormalius sua manu ex Vaticano codice mihi descriptis.
11. Hermias (2) in Phædrum Platonis in fol. Duo penes me sunt exemplaria, alterum a dno, Peirescio, alterum amici Germani beneficio accepi: sed necdum conferre inter se licuit.
12. Damascius (3) [περὶ Ἀρχῶν] sive de Principiis 4°., manu Darmarii; codex non satis probus. Habui ab ill. dno. *de Peiresc.*
13. Iamblichus de Theologia Ægyptiorum (4) \* in 4°. manu accurata et erudita, quem ab amico Germano habui.
14. Iamblichi de Vita seu secta Pythagorica, libri duo posteriores (5), hactenus non editi, ex Vat. Cod. transcripti, quorum priorem contuli cum Ms. bibl. S. Augustini in Urbe. Liber quartus continet commentarium in Arithmeticam Nicomachi, cuius nullum aliud exemplar videre licuit.
15. Iamblichi de Ægyptiorum theologia exemplar alterum,

(1) *Olymp.* Est in Johannea, Fabricio teste, t. III, p. 83.

(2) *Hermias*: Harlesius ap. Fabricium l. c. monet Hermiam esse in Hamburgensi bibliotheca.

(3) *Damascius*. Hic codex est in Johannea e legato Holstenii: cf. Fabric. t. X, p. 730.

(4) *Iambl. de Theol. Ægypt.* vulgo inscriptus *de Mysteriis Ægyptiorum*. Cf. Bibl. Gr. t. V, p. 762.

(5) *Iambl.—posteriores*: cf. p. 87.

quod ex priori transcribi curavi, ut versioni et editioni inserviat.

16. Nicomachi Geraseni Arithmeticā Pythagorica, quam ex Vaticano codice transcribi curavi integrā, cum ita ab edita (1) [discrepet] ut margo diversis lectionibus non sufficeret. Subjungitur Joannis Philoponi Commentariūs (2) luculentus in dictum Nicomachi librum ex ead. bibl. Vatic.
17. Psellus \* in Timaeum Platonis : exemplaria duo ; alterum mea manu transcriptum in Britannia, alterum a dno. Peirescio (3).
18. Herennii Metaphysica. fol. manu Darmarii; exemplar non admodum probum, quod tamen collatione Damascii emendavi, utcumque potest, cum ex opere de Principiis Herennius sua fere ad verbum transcripserit. Habui a dno. Peirescio.
19. Iamblichī de Vita et secta Pythagorica versio (4) incerti auctoris ineptissima quam ex Vaticano cod. transcribendam curavi.
20. Alia ejusdem operis versio æque inepta, et barbara.

(1) Nicomachi—edita : edita nempe ap. Chr. Wechelum an. 1538 : cf. Fabric. Bibl. Gr. t. V, p. 632.

(2) Philoponi Comm. Hic ipse Holstenii liber est in Johannea, Hamburgensi, ex ipsius legato : cf. B. Gr. ibid. p. 635.

(3) Psellus—Peirescio. De cod. in Britannia transcripto, cf. p. 20, 28, 230 ; de Peiresciano, catal. p. 130, n°. 13. Adde Bibl. Gr., t. X, p. 66.

(4) Iamblichī—versio. Hæc vel sequens versio est in Johannea beneficio Holstenii : cf. Bibl. Gr. t. V, p. 765.

21. Theon de locis mathematicis Platonis Latine , ex versione (1) inepta et barbara nescio cuius auctoris , quam ex Vaticano cod. transcribendam curavi.

## XXXIX.

\* ILL. V. DNO. N. PEIRESCIO

LUCAS HOLSTENIUS

SAL. P. D.

Jam pridem est, illustris domine, ex quo nihil ad te literarum dedi, non tam culpa mea, quam quod occasiones scribendi vel nullas se offerrent, vel oblatæ inopinanti nimis cito elaberentur; hoc præsertim tempore, dum Summi Pontificis jussu Vaticano ambulacro (2) instaurando laborem molestum sane et ærumnosum impendere cogor. Atque ea quidem cura toto propemodum hoc anno non solum ab aula, sed ab omni reliqua conversatione urbana, tum etiam a melioribus studiis ita me sejunctum tenuit, ut mihi Romæ vix vivere videar. Atque ea re factum fuit, ut Menestrerus sine meis literis ad vos abiret. Quod quo minus ægre feram naufragium (3) fecit, quo

(1) *Theon—versione* : cf. p. 151. Est quoque hic liber in Johannea, teste Fabric. l. c. t. IV, p. 36.

(2) *Vaticano ambulacro*, quod vulgo vocant *la Galeria geografica*, et cujus parietes tabulis Italiæ geographicis in udo tectorio affabre pictis orriantur. Hoc me edocuit E. Q. Viscontius, vir præstantissimus. Vide p. 242, et initium Epistolæ XLIV.

(3) *naufragium*. Cl. Menestrerus, vulgo *Ménestrier*, de quo

meæ etiam literæ haud dubio periissent. De meis rebus nihil scribere necessum est, quandoquidem multo rectius ac prolixius ex ipso dn. Larena de iis cognoscere poteris. Nam is ob moram longiorem, quam in Urbe casus sinner objecit, penitissimè rerum mearum statum perspectum habet, et qua spe nunc vivam. Tum aulæ nostræ mores \* [ et ] ingenium usu, et forte suo cum tædio exploravit. Tibi pro tua prudentia facile erit conjicere quid de studiis ac fortunis meis mihi promittam. Sed hæc temporum calamitati mihi imputo, et fato iniquiori, quod omnia principum nostrorum consilia præter vota evenire facit. Sane, ut ingenuæ animi mei consilia in sinum tuum effundam, ita in hoc mari navigo, ut ad omnem benignioris fortunæ auram excipiendam vela obvertere velim, si quo portum tranquillum ostenderet, quo me et Musas meas ex tam longa jactatione subducerem. Nam si illum porro cursum teneam quem institui, id futurum prospicio, ut numquam mei temporis dominus, ad alienæ voluntatis arbitrium et ad quadram alienam inter cætera aulica mancipia conserescam; in quibus pessima illorum conditio est, qui nullam artem præter literas profiteri nolunt. Nunc adhuc spes exigua superest de rerum mutatione in Germania nostra, cum qua mea quoque fortuna conjuncta est. Si et illa decollet, tum vero serio cogitandum erit quid porro incepsem, aut quem vitæ cursum insistam, ut quam proxime me in portum aliquem recipiam, unde alios cum

supra p. 159, in Galliam rediens eademque vectus triremi pontificia qua Nuntius Ceva, naufragium fecit : cf. Gassend. Vit. Peir. p. 159.

splendida paupertate et ambitiosa spe collectantes tuto  
videre liceat. Sane inter Suevum et Cæsarem de summa  
rerum pugnabitur, de mea quoque decernetur fortuna.  
Interim emin. mei patroni solita benignitate fruor, cuius  
quod nullum fructum percipiam, id temporum calamitati,  
ut dixi, acceptum fero; tum vero quod rerum omnium  
administratio penes illos est qui, cum ipsi literas plane  
ignorent, serio id agunt, ne qui norunt facile ad princi-  
pum aures animumque accessum habeant. Fuit nuper  
nescio quis qui Satira huic malo remedium afferri posse  
existimavit, cuius exemplar ill. eques Puteanus, ni fallor,  
ad te mittit; nam mihi hactenus videre non licuit, quod  
summo conatu eam suppressant ipsi, ut credo, auctores:  
nec sine periculo inquirere licet, nisi sponte alicunde of-  
feratur. Sed haec inter nos pereant \* \* Sed ut ad literas  
tuas respondeam, quarum [bene] multis responsum dehebo,  
id mirari numquam satis potui, quis de simultate (1) inter  
me et Suaresium tibi persuadere, atque hoc abs te impe-  
trare potuerit, ut tam seriis et prolixis literis conciliato-  
rem te interponeres. Næ ille fluctus in simpulo movere  
voluit, quisquis tandem fuerit; neque sane hominem cor-  
datum fuisse existimo, vel qui ingenium meum novisset.  
Mihi sane maximum hoc et clarissimum amoris et bene-  
volentiae tuæ fecit testimonium, quod candide et sincere  
omnia illa mihi suggerere volueris, quæ rebus meis ullo  
modo officere posse existimasti. Et cum sciam communes  
nostros amicos prolixius hac de re jam pridem ad te scri-  
psisse, qui et mores atque ingenium utriusque norunt, et

(1) *simultate*: cf. p. 126.

vitæ nostræ quotidiani testes esse possunt, præter rem facerem, si prolixiores apud te orationem retexere vellem, ut vel me purgarem, vel incusarem alios. Id de me tibi persuasissimum esse velim, nihil me amicitia in vita humana antiquius duocere vel sanctius, cuius leges quam religiosissime semper servare studui, neque jucundius mihi cum quoquam certamen quam humanitatis et officiorum; et cum in cæteris omnibus cedam lübentissime, neque ulli me præponam, affectu et obsequio nulli concesserim. Sed quid illis faciam, qui cum amicitiae nomen ac leges ignorent, ad propriæ ambitionis lubidinem amicorum obsequia abjicere volunt, ut iis vilissimorum mancipiorum instar insultent, et per depresso sibi ad inanem fastum gradum [ faciant ]. Possem tibi luculentum [ τικτομεν ] illorum vivis coloribus depingere, qui tam graviter de mea [ feritate ] conqueruntur, si homunciones illos tanti facerem. Sed dn. Larena putidum fastum et puerilem levitatem, tum odiosas ineptias et petulantiam plane meretriciam illius multo rectius et liberius tibi exponere poterit. Id Deum testor me nec verbo quidem unquam læsisse, cur jure de me conqueri possit; officia multa præstisti, quibus mihi conciliare ejus affectum studui: sed omnia mihi præter opinionem et spem cesserunt. Nam ille eo natus est ingenio, ut si beneficium cuiquam se debere existimet, illi injuriæ vel neglecti officii levissimam, vel inanem culpam affingat, ut vana querela præstisti beneficij memoriam interim oblitteret. Id postquam semel iterumque reipsa expertus sum, satius duxi, ut quoad fieri posset a nimia ejus familiaritate abstinerem, quæ nullo meo cum honore conjuncta esse poterat. Neque tu consilium meum improbabis,

ubi dn. Larenam de illius ingenio loquentem audieris. Sane argumento haud levi tibi esse poterit, quod ille Hieronymum Aleandrum (1) dum viveret, numquam accesserit, virum tantæ humanitatis, ut qui ab illius conversatione abhorret, ab ipsa humanitate abhorrente videri possit. Neque nunc illi cum quoquam Italorum, qui literas hic profidentur, vel minima intercedit familiaritas, in quibus vel præcipui sunt Querengus (2), Mascardus (3), Pollinus (4), et Coneus (5) noster, quos ille non ut scopulos quosdam fugit, sed et occulte mordet. Sed hæc tanti non sunt ut operosa defensione me tibi purgem. Id velim credas nihil a me commissum iri quod jure bonus quisquam reprehendat. Ipsum S. ita tractabo, ut ea solemus animalia

(1) *Hier. Aleandrum*, de quo p. 52 et sæpiissime alias : cf. in primis p. 140. Librarius scripsit *Alexandrum*, hic et alibi, male. Simili modo peccatum est in Vita Morini, Antiquitatibus Eccles. Orient. præfixa p. 18, 19, ubi *Aleander* legendum, non *Alexander*. Vide et abbatem *de Saint-Léger* in Chardonii Miscellaneis, t. II, p. 187.

(2) *Querengus*, de quo p. 107. Adde Tomasinum in Livio p. 31, 85, 87, qui eum alterum Maronem, alterumque Livium nuncupat, et Nostrum Ep. XL, p. 250.

(3) *Mascardus*. August. *Mascardi*, Naudæo in Naudæanis, p. 11, Italiæ Balzaciū dictus : cf. ibid. p. 146, et Vit. Peir. Gassendiana p. 196, etc.

(4) *Pollinus* : Alexander *Pollini* quem Spanhemio inter viros insignes Romæ conveniendos indicat N. Heinsius epistola inserta t. III. Syloges Burmannianæ p. 820, et male repetita, quasi inedita, in Syloge Uhliana l. XI, p. 288 : in quo non semel Uhlius peccavit. Vide et Spanhemii responsum in Burm. Syll. p. 826, et N. Heinsium in Uhl. p. 203, 304. Inter Donianas una est ad A. Pollinium epistola.

(5) *Coneus*, de quo p. 168. Codex *Coreus*, male profecto.

quæ ingenitam feritatem vel longo obsequio, vel rectorum metu deposuisse videntur, quæ suspensa manu demulcemus, rictus interim et unguis cavemus: neque ille humanitatem et obsequia unquam in me desiderabit; interim id quoque cavebo ne simplicitas mea mihi sit malo. Quocirca rogo ut si quam hac de re molestiam conceperis, eam plave deponas et excutias animo, neque facile ejus querelam admittas, a qua, si quid judico, in posternum abstinebit, præsertim si eam abs te negligi animadvertis. Sed tu de Vaticano ambulacro (1) et de mea opera haud dubie ex Menestrero cognovisti; si quid tamen amplius rescire velis, dns. Larena qui coram inspexit, de hac quoque exponet. Sed opus adeo negligenter procedit, ut me quidem cœpti pœnitentia: neque enim tota hac æstate præter duas tabulas, alteram Italæ novæ, alteram antiquæ quidquam expedire potui. In nova Italia designanda minus mihi fuit negotii, quam in delineanda antiqua. Nam cum Claverii descriptionem ad examen revocare cœpi, comprehendendi quam plurima quæ minus accurate (2) ab ipso observata fuerunt. Tum vero præstantissimam et celeberrimam Italæ partem, Apuliam, Lucaniam, et [Calabriam], morte præventus, ad finem perducere non potuit. Quin etiam dissertationes de provinciis et regionibus Italæ, et de viis publicis per Italiæ, omnino desiderantur. Quarum ego maximam partem supplere ita conatus sum, ut propositum meum haud infeliciter mihi cesserit. Sane Itineræ

(1) *Vat. ambulacro*: p. 237.

(2) *m̄nus accurate*. Holstenii Annotationes ad Cluveri Ital. Antiq. posthumo partu lucem viderunt Romæ an. 1666.

ferme omnia Antonini et Tabulæ Peutingerianæ exactissime restitui. Qua in re mihi in primis adjumento fuere tabulæ regni Neapolitani MSS. quas emin. noster cardinalis mihi suppeditavit. Tum vero ingentem copiam tabularum et descriptionum qua editarum, qua ineditarum conquisi-  
sivi, et sedulo de singulorum locorum situ perquiro ex iis qui inde oriundi sunt, tum etiam ex episcopis eorumque ministris, qui ad Urbem et Apostolorum limina accedunt. Multa etiam a doctis viris ultro suggeruntur, dum quisque patriam suam illustratam cupit. Sane Summo Pontifici et emin. card. nostro designatio illa veteris Italiæ ita placuit, ut ad edendum me cohortarentur. Constatbat autem tota illa tabula quinquaginta quatuor foliis chartæ amplissimæ quam Papalem hic vocant: unde tibi conjectu facile erit quantum laboris impenderim. Sequentur deinde ordine reliquæ Italiæ provinciæ fere omnes. Spero redibit inde aliqua utilitas ad rem geographicam. Et jam [Elzeviriis] scripsi ne Cluverii opus, me non præmonito, recudant: accepi enim multorum relatione moliri eos novam Germaniæ et Italiæ editionem. Possem tibi specimen aliquod laboris mei exhibere in Aurelia Via (1) quæ hinc ad vos ducebatur, et in ora maritima Etruriæ et Liguriæ, de [Cetariis] Domitianis ad stagnum Orbitellense, et de portu ad Cetarias (2), qui nunc vulgo D. Stephani sub Argentario

(1) *Aur. Via.* Nonnullos in hac Via Cluverii lapsus correxit Holstenius in Annotationibus modo laudatis.

(2) *portu ad Cet.* Addidi ad. In nominibus locorum sequentibus paucula emendatio librarii οφάλματα, v. c. *Altinganum*, *Cemerellio*, etc.

monte, de Fossis Papirianis, de Lunæ situ et portu antiquo minori, tum de tota illa Viæ Aureliæ parte quæ est inter Albingauum et Varum flumen, præsertim de Cemennello, seu Gemella, paulo supra Nicæam, quæ una fuit ex antiquis Galliæ civitatibus; sed in primis in tota illa Via quæ a Capua ad fretum Siculum dicit, quam docti viri Aquiliam vocant, ego a M. Marcello munitam fuisse hactenus existimavi. In hac Via explicanda, præter Antoninum et Tabulam (1), insignem mihi operam præstitit vetus inscriptio quam Cluverius in fine operis affert p. 1296, tum Ortelius V. Muranum, et Gualtherius in antiquis tabulis Siciliæ; quam Cluverius ineptissimam vocat, sane injuria (2), cum sensum ejus mentemque nunquam perspexerit. Quin et Flaminiaæ Viæ partem aliquam hactenus incognitam restitui, eam scilicet quæ Fulginio per Mevaniam et Carsulas Narniam ducebat: nam quæ nunc per Spoletum et Interamniam dicit, olim diverticulum fuit, et, ni fallor, una ex Viis Trajanis. Quin et Sardiniaæ tabulam multis locis correctiorem exhibui, cum ex optimis tabulis Nauticis, tum ex viva voce et relatione nautarum Sardorum, et doctorum hominum qui hic in Urbe degunt. Sed de his prolixius aliis literis agemus. Nunc superest ut summas tibi gratias agam, quod editionem Geographorum Græcorum tam obnixe promovere studeas; nihil enim a te prætermissum video qui Dionysii (3) Byzantii [avæ-

(1) *Tabulam*, Peutingerianam scilicet.

(2) *injuria*. Hujus inscriptionis auctoritatem tueratur Holstenius Annot. ad Cluv. p. 502.

(3) *Dionysii*: vide p. 93 et alias.

τάχεις] per vestiges. Atque omnino ea me spes tenet, fore ut tandem præda tanto petita ambitu in manus nostras incidat. Neque necessum est, ut porro te rogem vel cohorter, cum negotium hoc summo studio abs te urgeri videam. Id certo credas nihil mihi gratius, nihil publico utilius accidere posse. [De vulgandis mathematicis] scriptoribus ill. archiepiscopi Tholosatis (1) gaudeo, et publico literarum bono prodituros censeo, neque aliam ob causam ipse petii, quam ut publica luce tandem fruerentur; sed brevior certiorque via, si Petavii opera id fiat. Erat inter alios Heronis introductio [τὰς γεωμετρουμένας], nescio utrum auctior illa quam tu olim ad me misisti (2). Nam [excerpta] tantum esse, non continuum et integrum opus legendo expertus sum. Saitem correctius erit exemplar Darmariano (3) nostro, quod, ut reliqui fere codices ejus manu descripti, vitiis et mendis est obsitum. Mitto capita illa quæ de mensuris et ponderibus agunt, in quibus mihi passim aqua hæret ob vitias et confusas numerorum notas. Sed facile ab Archiep. Tholosate impetrabis, ut ex correctiore Auriæ (4) exemplari tibi describantur. Adjunxi etiam Eusebii Pamphili Excerpta (5), deprompta ex vetustissimis membranis card. \* bibl. Vaticanae, scriptis ante octingentos hosce annos. Quod s.

(1) *arch. Tholos.*, Caroli de Montchal, de quo p. 150.

(2) *misisti*: cf. p. 226.

(3) *Darmariano*: cf. p. 148.

(4) *Auriæ*: cf. p. 150.

(5) *Eus.—Excerpta, nempe de Mensuris ac Ponderibus.*: cf. Fabric. B. Gr. t. VII, p. 407.

nihil illæ contineant indictum aliis, saltem confirmant quæ alii prodidere, Epiphanius (1), inquam, et Nicandri Scholiastes. Mihi aliis negotiis impeditissimo hactenus ea expendere et cum aliis contendere non licuit. Neque sane umquam peculiari studio in veterum mensuras et pondera inquisivi. Tu rectius judicabis in hisce versatissimus (2), et sententiam tuam aperies, si quid diligentius a me pervestigari posse existimaveris. [ De symbibis tuis argenteis (3) ] nihil habeo quod scribam, cum [ εκτυπα ] quæ ad equitem Puteanum misisti nondum viderim. De poculis illis commissitiis id tibi affirmare possum, frequentem illorum usum esse in Germania nostra, ubi sex, vel plura ita committuntur, ut exterior interiore totum ferme recipiat, sola corona superiore extante, quam inaurare solent: et ipse duo hujusmodi Warsoviæ in regis aula emi ab Augustano aurifabro, quibus in itinere uterer. Sed de his prolixius quid sentiam alias scribam. Mitto Philonis Byzantii opusculum de Spectaculis mundi, cujus versionem (4) Latinam diligenter abs te legi atque expendi in

(1) *Epiphanius*, cuius extat liber de Mens. et Ponderibus : cf. B. Gr. t. VIII, p. 267.

(2) *versatissimus*. Quanto opere doctrinæ mensurarum et ponderum studuerit Peirescius testatur non uno loco Gassendii de ejus Vita narratio. Cf. Sponii Miscellan. § 9.

(3) *argenteis*. Ad supplementum lacunulæ duxit Gassendii narratio (Vit. Peir. p. 159, coll. *Réquier*, p. 272) de poculis argenteis duobus, quorum unum intra alterum apposite continebatur, et quæ tunc forte reperta Peirescius sibi comparaverat. Statim Holstenius solœcissat imprudens.

(4) *Philonis—versionem*. Hujus versionis, quæ inedita est, unum caput, nempe sextum quod est de Dianæ Ephesiæ templo, inseruit

primis cupio. Utitur enim vocibus [difficilioribus], præsertim ubi de structura et fusoria arte loquitur, quas utrum recte assecutus sim tu rectius judicabis. Idecirco obnixe rogo, ut, qua polles judicis acrimonia, singula sub censuram revoces, et libere me moncas. Missem et Arriani [librum (1) de Venatione]; sed amanuensem jam nullum habeo, qui scribendi labore me sublevet. Sardianum nummum obiter inspiceram, et [hujus επιγραφήν] ad Stephanum (2) meum notaram, sed de postrema illa voce [ΕΛΛΑΔΟC] subdubitabam: neque enim video cur Sardis Græciæ metropolim vocemus; nisi id velit, eam urbem non solum Asiaticarum, sed et Græcarum civitatum omnium principatum obtinuisse. De [tripode tuo] fuse ad te scribam in tractatu meo de Tripode (3), quem absolvere ante discessum dñi. Larena, non potui; interim figuræ aliquas tripodum accipies, donec cæteros depingi curem. Extat enim tripus maximus in \* \* juxta statuam Apollinis, tum in marc. Justiniani hortis extra portam Flaminiam in destructione illa templi Delphici (4). Placebit tibi haud dubie Sanesianus ille,

Cl. Ménestrier, *Symbolicæ Dianæ Ephesiæ statuæ*, extr. Cf. Fabric. Bibl. G. t. IV, p. 232.

(1) *Arr. librum*: cf. p. 167.

(2) *Stephanum*: cf. Holstenius ad Stephan. Byz. p. 283.

(3) *de Tripode*. Hic liber nunquam fuit editus. De Peiresciano tripode cf. p. 232.

(4) *in m. Just.—Delphici*. Innuit procul dubio lapidem illum de quo p. 232. Sed, ni male suspicor, erravit in explicando. *Galeria Justiniana*, qua res forsitan posset ad liquidum perduci, nunc non est ad manum.

tum Herculis tum Apollinis certamen de Delphico tripode ex lapide \*. Alterum illum ad S. Antonium nondum inspicere licuit; sed et illum quam accuratissime designari curabo si quid observarim quo hæc materies illustrari possit. Mitto Heliodori, seu potius Damiani (1) Optica collata cum tuo manuscripto et duobus tribusve locis egregie persanata: misissem Eustathium (2) in [Έξαρτησις] et de Engastrimytho contra Origenem, sed non fuit mihi spatium adeundi. Magistrum S. P., ut licentiam ab eo impetrarem: mittam proxime. Tu, si placet, Genuæ certum mihi hominem assignato, ad quem subinde tuto aliquid mittere possim. Vale. Romæ, 1632, 4 octobr.

(1) *Hel—Damiani*: cf. p. 227. Habui e bibliotheca Regia, beneficio Van Praetii, viri humanissimi, exemplar pessimæ et rarissimæ Heliodori Opticorum editionis quam Matanius Pistorii vulgavit an. 1758. Versionem §. 5 optime ad marginem refinxit vir doctus, cuius manum non novi, hoc scilicet modo: « Ad hæc, « si visus quam maximam potest objecti visibilis partem percipere « debet, in illud projicietur in figura circuli; namque circuli super- « ficiem alias omnes æqualis perimetri amplitudine superare demon- « stratum est. » Et ita emendavit locum in §. 7: « At vero cylin- « dricam (figuram) non habet, quoniam statim non posset projici « in corpora quæ magnitudine superant pupillam; quin et objecta, « quæ simul videri possunt, æqualis magnitudinis apparerent, ubi « conspiciuntur. » In §. 10, ad extrema illa, « Si nos vero in cir- « culi perimetro collocati videremus eodem tempore omnem semi- « circulum, id nunquam contingere posset, nisi visus nostri conus « rectangulus foret, » addit idem vir doctus: « La raison en est « que tout angle inscrit à la circonference, appuyé sur le diamètre, « est droit. En général, il faut peu se fier à cette traduction. »

(2) *Eustathium*: cf. p. 225.

## XL.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS ET AMPLISSIME DOMINE,

Cum sollicite ad te scribendi occasionem hactenus expectarim, percommode sane hæc optimi et amicissimi viri profectio se obtulit, qui mei erga te affectus atque observantiae testis atque interpres ad te accedet; tum de rebus meis omnia ita exponet ut prolixæ instar epistolæ esse possit. Mitto nunc literas, et libellos (1) quos per dominum Larenam aliosque destinaram; quas tu ita leges ut affectui meo alicubi ignoscas. Nam difficile est animum cohibere quominus in quereelas subinde se effundat, ubi doloris sensu pertentatur. In primis illis forte acerbius conquestus sum de Suaresio, sed profecto molestissime fero illorum levitatem qui nescio quid de nostra simultate ad te retulerunt, atque adeo hoc effecerunt ut tuam in tantilla re auctoritatem interponendam existimaris: quod quidem tu nequaquam tam serio fecisses neque toties repetiisses, nisi rem magni momenti judicasses. Quapropter nunc iterum te rogo, et rogabit meo nomine Bodierius (2) noster, ut omnem istam sollicitudinem ex animo tuo excutias,

(1) *libellos*: Satiram de qua p. 239, et forte tractatum de Triponde de quo p. 247.

(2) *Bodierius*: forte *de la Boderie*, ex gente Antonii illius *de la Boderie*, legationibus variis egregie functi, et cuius in itinere Anglicico comes fuerat Peirescius: cf. Gass. V. Peir. p. 51.

atque hoc tibi persuasum habeas, nihil a me omissum iri  
 quod ad amicitiae fomentum mea ex parte proficisci poterit : neque tu pro tua humanitate a me exiges ut aliorum quoque partem præstem. Sane ex quo inter exteris vivere cœpi, id mihi præcipue putavi studendum, ut aliorum ingenio moribusque obsequendo omnium affectum mihi conciliarem. Neque id mihi hactenus vel præter institutum, vel præter spem meam evenit. Ne quid enim de Britannia et Gallia vestra dicam, sane quotquot Romæ nunc sunt homines eruditi, nemo est quem non obsequio et cultu ita mihi devinxerim, ut certatim mihi omnia benevolentiae officia offerant, atque ubi opus est præstent. Atque hinc prima non dicam aversi, sed frigidi erga me animi semina : quod ita me in omnium animos hic insinuarem, ut lubentissime una mecum essent, et ad quosvis congressus non solum admitterent, sed etiam ultro invitarent. Quod ego nequaquam eo fine seribo, ut me tibi hac re jacitem : sed ut videas me neutiquam ab amicitiae legibus et humanitatis consortio abhorrere. Id sane tibi exemplo esse poterit : Antonius Querengus (1), vir haud dubie quotquot jam non Romæ solum, sed in universa Italia degunt, longe eruditissimus, vera et [γνῶστος] imago Platonici Socratis, octogenario major, ab omnibus qui literas et humanitatem eplunt, parentis instar colitur; ita ut domus ipsius Pythagoricum [σμαρτοῖς] esse videatur. Hunc severissimi et plane censorii judicii senem, non in literis solum sed in omni conversatione, ita mihi conciliavi, ut nemo quisquam Italorum in ejus amicitiam adeo se penetraverit :

(1) *Querengus* : cf. p. 241.

quod et emin. noster cardinalis et multi præstantes viri, quibus Querengus tantum non oraculi instar est, summo pere mirantur. Aleander noster, cuius viri ineffabilem humanitatem, ac suavitatem morum nemo te rectius perspexit, ita me amavit ut quotidie ad se invitaret, et ægre a se divelli pateretur; et subinde emin. noster patronus, quoties Aleandri mentio incidit, « mirum » inquit « quanto affectu te prosequeretur. » Taceo Mascardum, Pollinum, Villanum (1), Donium, aliasque viros non minus humanos quam solide doctos, quos noster ille tanquam seopoulos fugit, et invido oculo tuetur. Nam de Coneo nostro longa foret historia, si narrare vellem, quam parum clementer subinde tractavit, cum tamen multa illi debeat, neque quisquam sit qui cautius ac majori cum prudentia in aula nostra verisetur. Tu, quæso, ignosce, si difficulter unguem ab ulcere abstraham. Nam nulli mortalium sequere me purgatum cupio ac tibi, cui plus quam cæteris omnibus studia mea debent. De Dionysio Byzantio numquam te rogare desistam, donec diligentia ac sollicitudine tua in lycem retrahas optimum scriptorem, nullo sane suo merita et magno cum damno publico tenebris damnatum. Infelix hic Theseus te Herculem suum, hoc est, indicem ac liberatorem, expectat, cuius ope superas ad luminis oras redeat. Sane nihil aliud Geographici Systematis editionem moratur. Tu, quæso, quod facis, sedulo in hanc curiam ineumbe, ut quacumque via ac conditione inquis

(1) *Masc. Poll. Villanum.* De Mascardo et Pollino, supra p. 241. De Villano vide Apes Allianas, et Bailleti Judicia t. IV; p. 208. Et de Coneo statim nominando supra p. 241.

dominis illum eripias. Multa alia penes me habeo jam plane absoluta, quorum nonnulla ad vos in Galliam mississe ut typis excuderentur, nisi emin. cardinalis noster jam totus esset in typographia Græca instituenda. Cum enim nuper adeo Marianus Valguarnera, nobilis Siculus, ex Hispania redux hac transiret, et subinde de Græcis literis, quas ipse apprime callebat, cum emin. nostro cardinale colloqueretur, ostendit nullam spem esse restituendæ illius linguae, nisi ipse doctos homines ad sacros et profanos auctores edendos suæ auctoritatis patrocinio induceret; quod quidem multo magis fecit, postquam vidit me non pauca in hoc studiorum genere parata habere. Itaque cardinalis noster tum ostendit se id ipsum serio operam daturum et de typographio instituendo consilium cepit. Nec dubito quin felicem sperare possemus effectum, nisi illi, quorum opera et ministerio in hujus modi rebus perficiendis utitur, animo plane averso essent ab omni liberali doctrina: adeo ut existimant male prodigi quidquid in hujus modi studia impenditur. Atque utinam vel Valguarneræ vel tua cohortatione patronus noster in hoc proposito confirmaretur! Sane nulla ex re majorem laudem et solidiorem gloriam sibi unquam parabit. Tu, si visum fuerit, primis literis hoc eonsilium tibi a me significatum scribe, et quantum poteris collauda. Ita calcar admovebis, cum tuam auctoritatem maximi faciat. Sane dolendum est optima studia ita penitus extincta jacere in ea regione, ubi animam et vitam primum accepere. Non desunt hic eruditii aliquot homines, qui multa præstare possent, si hisce studiis suum honorem pretiumque esse viderent. Sed hic omnia alia nunc probantur, neque fa-

etile hæc studia caput attollent in tanta imperitorum censorum erga bonas literas coniuratione. Non ita pridem cardinalium quidam præcipius, et qui haud vulgariter sapere sibi aliisque multis videtur, cum in Congregatione Expurgandorum Librorum, ut vocant, de Gesueri Bibliotheca expurganda tractaretur, offensus ille tot scriptorum nominibus, me aliisque præsentibus fatebatur, si res libraria in sua esset potestate, se maximam librorum partem igne abolitum, et præcipue quidem ad unum omnes qui de literis humanioribus et liberali eruditione agunt, neque relictum nisi paucos Theologos et Juriconsultos. Quid putas animi mihi fuisse? Concoxi tamen Spartano stomacho, neque ausus fui literarum patrocinium adversus iniquissimum præjudicium profiteri. Id saltem feci: cum viderem illos recta grassari in perniciem honorum librorum, ex eo die in Congregatione ista numquam comparui. Puto te vidisse proscripta nuper a Catholicorum bibliothecis Scaligeri, Heinsii, Rivii (1), Glocerii erudita scripta. Sane pro Heinsii Aristarcho serio intercessi jam dudum apud emin. cardinalem nostrum, cuius jussu eruditissimum opus diligenter legi, et quæ catholicorum aures animosque offendere possent enotavi; quæ tam adeo levia et pauca visa fuerunt, et tot [egregiis observationibus] redempta, ut emin. meus patronus expresse tum interdiceret monachis, ne isti libro manum virgamque censoriam admoverent. Idem de Justiniani Apologia (2) jam pridem persuaserat Aléander. Sed hoc tibi in

(1) *Rivii*, Thomæ, de quo Saxius On. t. IV, p. 597.

(2) *Justiniani Apologia*: quo opere Th. Rivius Justiniani famam

aurem dicta sint; nam de his nec conqueriri tutum est. Vidi Gualterii (1) *Observationes ad Lansbergii* (2) [ *Urano-metriam* ], et quantum potui eminentissimo cardinali nostro commendavi. Ibi tum utilissima se obtulit occasio , ut de ejusdem Lansbergii libro de Motu terræ agerem. Sed hæc quoque causa vehementi præjudicio jam damnata est , præsertim cum divinum illud Galilæi opus eodem tempore in lucem prodiret. Auctor Florentia evocatus media hieme ad Urbem venit, ut S. Inquisitionis Officio se sisteret , ubi nunc in vinculis detinetur. Longum foret causam concepti aduersus optinut senem odii commemorare. Id profecto nemo sine indignatione vidit, deputatos fuisse qui de libro Galilæi , et de tota hac Pythagorea sive Copernicana sententia cognoseerent , homines plane [ *ανωντος*; cum ] tamen præcipue de Ecclesiæ auctoritate hic agatur , quæ minus recto judicio vehementer labefactabitur. Ego sedulo illos moneo , ut cogitent primos auctores summos fuisse mathematicos , et qui excellenti præ cæteris studio in veritatis disquisitionem incubuerunt, tum qui nostro sæculo eam doctrinam in lucem revocarunt , eruditio[n]is laude quam proxime ad veteres accessisse. Nam Galilæum livor

contra Procopium et Alemannum adseruit : cf. Fabric. Bibl. Gr., t. VII, p. 560.

(1) *Gualterii* : « Josephi Gaultier , prioris et domini Valletæ , viri totius quidem matheseos , sed astronomicæ præsertim peri- « tissimi », teste Gassend. V. Peir. p. 76 , quem vide et p. 160 ; coll. *Réquier* , p. 274.

(2) *Lansbergii* : Philippi Van Lansberghe , astronomi Coperniciani : cf. *Baillet* , t. VII , p. 166 , Gassend. V. P. p. 158 , et Paquotii *Memoriæ*.

et invidia opprimit eorum qui solum illum sibi obstare existimant, quominus summi mathematici habeantur. Nam omnis hæc tempestas ex odio particulari unius monachi (1) orta creditur, quem Galileus pro mathematicorum principi agnoscere noluit. Is nunc est Sancti Officii commissarius. Sed mirum quo me scribendi impetus abripiat. De ponderibus et mensuris cœpi perquirere (2) in Vaticana bibliotheca una cum Bucharto (3) nostro, qui se hac de re diligenter scripturum promisit. Quidquid hactenus vidi mus sacrorum auctorum fuit, Bedæ, ni fallor, aut ejus sæculi. Ubi Bucharto commodum fuerit, diligentius omnia excutiemus. Extat inter alia magnum volumen collectaneorum de ponderibus et mensuris nescio cujus Collotii (4), qui plurimos et gravissimos Budæi, Agricolæ, Glareani,

\* aliorumque errores se correcturum speravit, ut ex quibusdam epistolis eidem operi [ annexis ] deprehendimus. Sed totum volumen est *rudis indigestaque moles*, ex quo difficulter aliquid erui poterit, quo tua studia juventur. Sin ipse coram adesses, facilius dispiceres quod ad rem tuam faceret. Nunc de meis rebus consilium tuum atque opem exquiram. Cum res Germanicæ adeo afflictae et con-

(1) *monachi*. R. P. *Lancio*, cujus nomen ipse Galileus servavit in quadam epistola nuper adlata a Bioto V. Cl. in *præclara de Galileo narratione* qua Biographiam Universalem ornavit. Ex hac Epistola Nicero Memor. t. XXXV, p. 328 nonnulla protulit ad Galileum spectantia, quæ sibi descriperat ex apographio Buheriano.

(2) *perquirere*, ut Peirescio talia anxia cura colligenti faceret satis: cf. Gass. Vit. Peir. p. 183.

(3) *Bucharto*, de quo p. 213.

(4) *Collotii*, Angeli, vulgo *Colocci*: cf. Gassend. l. c.; Meneta Menagium *Anti-Baill.* p. 18; etc.

clamatæ sint, ut nullam in posterum catholicæ fidei libertatem sperare liceat, neque ullus adhuc malorum finis prospiciatur, quin potius ad novas calamitatum procellas res spectet, ego quidem omnem de reditu in patriam spem abjeci, atque serio mecum cogitare coepi de sede aliqua, et, ut ille ait (1), *stabili stabulo* Musis ac fortunis meis constituendo. Itaque nunc totus sum in eo, ut, si fieri possit, hac in urbe locum aliquem mihi parem, ubi quod reliquum est vitæ traducam. Quod quidem consilium necdum eminentissimo cardinali nostro aperui. Curabo tamen indicari quamprimum per R. P. Generalem S. J., qui patroni mei animum pertentabit, cum ante non semel testatus fuerit, si spem de redeundo in Germaniam abjeccissem, tum se daturum operam ut hic in Urbe mihi prospiceretur unde honeste viverem. Neque, ut spero, apud solum cardinalem hoc consilium proderit, sed etiam studia mea multum juvabit; cum certo sciam difficultatem illam, quam in bibliothecæ Vaticanæ usu expertus sum, inde potissimum nasci, quod arcanos istos thesauros nolint penitus ab externo homine inspici, qui postea ad suos reversus secretiora quædam propalare posset: eo metu sublato, mitius, ut spero, mecum agetur. Itaque nunc totus in eo sum, ut, resignatis Cameracensi et Coloniensi canonicatu (2), redditum aliquem annum Romæ mihi comparem. Atque hoc quidem consilium meum eo gratius cardinali futurum spero, quod, ut ante dixi, de Græcorum auctorum editione nunc serio cogitet. Qua in

(1) *ille ait*: Plant. Aul. II, 2, 56.

(2) *Colon. canon.* Cf. p. 107.

re mea opera ipsi haud dubie necessaria et grata foret. Atque hæc forte via ad honestum aliquod officium in hac aula me perducere posset, præsentim cum eminentissimus noster card. Vaticanæ bibliothecæ præfектus sit, cuius curam bibliothecario, seu custodi committit: quamvis nolle hic quemquam rescire me de tali loco obtinendo (1) vel cogitationem suspicere. Non deerunt tamen qui opportuno tempore et loco ejus rei mentionem apud cardinalem injiciant, et animum ejus pertentent. Nam qui nunc bibliothecæ præst Horatius Justinianus (2) omnia alia intelligit potius et curat quam veteres libros. Et puto ipsum jam officii ac loci sui tædere, quem eo tautum fine suscepérat, ut hisce veluti gradibus ad purpuram, quam occulte quidem, sed vehementer ambire creditur, contenderet: et prudentiores quique ita judicant, ubi proxima promotione ea spes decollavit, tum eum haud invitum officium illud cum episcopatu aliquo permutaturum. Vides quam ego libere spes, cogitationes et consilia mea in sinum tuum effundam. Deum testor nulla me vana ambitione exstimumari ut hæc desiderem, sed quod existimem nullo in loco me rectius de studiis meis mereri posse, quam si ejusmodi officio fungerer. Et scis illud Platonis, qui philosophum suum eam potissimum ob causam ad reipublicæ tractatio-

(1) *tali loco obtinendo*; quem obtinuit. Etenim ab Innocentio X præfectura bibl. Vaticanæ fuit ornatus.

(2) *Hor. Justinianus*, qui Contelorio de quo p. 103, successerat. De illo vide Oldoini Athenas Ligusticas p. 261; Assemanni præf. catal. biblioth. Vaticanæ p. lxx; *Brequigny, Mém. de l'Acad. des Inscriptions*, t. XLIII, p. 288, et Nostrum Epist. ad Sirmondum data idib. maii 1659.

nem vult accedere , ut malis vel indignis locum præcludatur . Sane si ejusmodi locus mihi obtingeret , næ ego omnem antiquitatem ab inferis excitarem , et aliquam laudem tam bibliothecæ quam eminentissimo cardinali bibliothecario conciliarem . Hæc tibi scribo ut , si ita se res ferat atque tu opportunum existimes , subobscuram aliquam mentionem in tuis literis ad cardinalem injicere possis . Quod haud incommode fieret , si gratum tibi fuisse ostenderes , quod de nova typographia Græca et de antiquorum auctorum editione ex meis literis cognoveris ; sperare te magnum inde fructum literis et egregiam laudem literarum patrono accessurum ; perspexisse te singularem in me voluntatem et naturæ ductum ac genium ad hoc studiorum genus promovendum ; atque id quidem eo magis , quod videoas me spem de reditu ad meos deposuisse , et cogitare de fortunis in aula mei patroni stabiendi ; non dubitare te quin hæc mihi futura sit occasio promerendæ majoris benevolentiae et Summi Pontificis et ipsius cardinalis ; judicasse te semper non sine magno fruoto Sedis Apostolicæ futurum , si occasio mihi daretur in hac urbe studii ingeniique ad publicam utilitatem impendendi : poteris deinde subjungere de negotio bibliothecæ quidquid vel prudentia tua tibi suggesserit , vel dictaverit affectus . Nam ita plane credo , sicuti te conciliaente prima fortunæ meæ fundamenta coeperunt , ita porro benevolentiae tuæ patrocinio eam confirmatum et stabilitum iri . Atque ut videoas scopulos quos in hujus negotii cursu timeam , nullum ego existimo esse in familiâ nostra qui illum locum prætenderet , si qua mutatio rerum accideret , præter Georgium Coneum , virum cætera quidem bene doctum , et optime de me meritum ,

sed Græcarum literarum adeo ignarum ut nec species quidem norit; tum vero ab eruditæ antiquitatis studio ita alienum, ut nullum unquam Mst. codicem vel obiter inspexerit: accedit et hoc, quod, cum virtutis suæ merito ad præcipuas dignitates (1) aspiret, nec ipse locum hunc propter se expeteret, sed ut cum meliori aliquo quam primum commutaret. De Suaresio nihil timerem, quod eminentissimi cardinalis nostri judicium de ipso multis argumentis perspectum habeam; neque ille de rebus suis in curia Romana stabiendi cogitat, sed episcopatum (2) aliquem in vestra Provincia ambit; atque hoc palam præse fert, quoties in sermone mentio incidit. Sed finem faciam verbosæ epistolæ qua longi silentii culpam redemptam cupio. Vale, ill. dne., et me tui observantissimum ama. Romæ, cœloxxxiii. Non. mart. Devinctissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

Inclusas literas, nisi grave est, ad Gassendum, et ad me inde responsum cura. Et, si tanti fuerit, \* chronologica a me proposita lege.

(1) *ad præcipuas dignitates*, et ad purpuram quidem. Cf. laudatam supra p. 168, ubi de illo agebam, Erythraei Pinacothecam.

(2) *episcopatum*; et hoc ipso anno, factus votorum compos, Vassionensem sedem obtinuit. In *Antiquitatibus Eccles. Orientalis* p. 205 legi potest J. Morini epistola, qua Soario, nostro nempe Suaresio, ob novam dignitatem congratulatur, verbis adulatione ad nauseam conditis. De Suaresio alia supra p. 126.

## XLI.

CL. VIRO FORTUNIO LICETO (1)

PHILOSOPHORUM NOSTRI SÆCULI PRINCIPÍ

LUCAS HOLSTENIUS

*εῦ παττίτης.*

Patavium.

QUUM hactenus sumimam illam et incomparabilem tuam  
in omni scientiarum ac doctrinarum genere præstantiam  
tacito quodam venerationis affectu sim prosecutus , nunc  
insignis tua humanitas fecit, Cl. Licete , ut effractis quasi  
pudoris ac silentii repagulis prorumpere in verba et literis  
te convenire non dubitarim. Qua in re si quid forte pec-  
cati commissum , tua hæc erit culpa qui gratissimo libro-  
rum munere , amoris tui tessera , ad amoris atque officio-  
rum certamen provocasti ; tum etiam illustriss. eq. de  
Puteo (2) quo conciliatore ac parario viam ad amicitiam  
tuam affectare cœpi. Et quinam ego adeo humaniter a te  
provocatus affectum diutius premerem , quum tu nullo  
meo merito tam honorificos de me sermones literis tuis  
non semel adsperseris , quod me scripta tua , pro capitu ac

(1) Ex Fortunii Liceti Quæsitis per Epistolas , p. 1. — De Liceto,  
præter autores quos indicavit Saxii diligentia , vide Patiniana p. 24,  
et Imperialis Museum , ubi summis extollitur laudibus.

(2) eq. de Puteo : cf. pag. 219.

modulo meo , admirari atque , uti par est , prædicare amici  
communes ad te renunciassent? Quod quidem tu ita acce-  
pisse videris , quasi quidquam ab homine obscuro existima-  
tione tuæ ac gloriæ accedere posset , qui , tanquam aquila  
in nubibus , longissime supra vulgus eruditorum , in quo  
nostra quoque delitescit inertia , enectus , tot præclaris in-  
genii monumentis nomen tuum æternitali inscriptum con-  
secrasti; jamque famæ securus in honesti laboris præmiis  
fructuque conquiescis , major ac superior hominum judi-  
ciis , nullisque amplius livoris vel invidiæ telis obnoxius.  
Meum certe animum divini atque coelestis ingenii tui ma-  
gnitudinem et uberrimam fœcunditatem cogitantem sacra  
quædam veneratio subit , et stupore desigit mens illa om-  
nium humanarum divinarumque scientiarum semine com-  
pleta , atque omnia , quocumque tandem vitales radios in-  
tendat , in foetum fructumque pulcherrimum excitans et  
obscurissima quæque luce clarissima perfundens. Tu ,  
quæso , V. Cl. , mutui affectus contesserationem admitte  
hominis tuo tibi merito devinctissimi , qui candorem sine  
foco verumque amorem semper præstabit. Vale. Romæ,  
MDCXXXV. xxv augusti.

## XLII.

## COMMONITORIUM (1)

LUD. ELZEVIRIO IN BELGIUM REDEUNTI

A LUCA HOLSTENIO

ROMÆ COMMORANTE DATUM.

MEMORIAM amicitiae nostræ, optime Ludovice, in primis tibi commendatam velim; atque ubi salvum te in Bataviam reduxerit Deus, amicos veteres, viros prætantissimos, Heinsium (2), Scriverium (3), Cunæum (4), Vorstium (5), et commorantes nunc Amsterodami Vossium (6) atque Barlaeum (7), officiose a me salutes, meaque studia, observantiam et affectum sedulo ipsis commendes rogo. Tum vero Jo. Meursio V. Cl. vel literis tuis, vel si eo terrarum (8)

(1) Ex Meursii Opp. t. XI, p. 598.

(2) *Heinsium*, Danielem. Cf. p. 16, 124.

(3) *Scriverium*: cf. p. 5, 6, 16, 17, n. 3. De illo multa indicavit Saxius. Ejus Epistole nonnullæ prolatæ fuerunt a Dorvillio in *Miscell. Observat.* vol. V, t. III, p. 116, et vol. VI, t. I, p. 168. Westerhovium, qui *Scriverianæ famæ et existimationi nocuit editis docti viri Anecdoto Philologicis*, acriter reprehendit Burmannus in *Præfatione ad Emendationes Valesianas*.

(4) *Cunæum*, de quo adde *Saxianis auctoribus Maronem V. Rev. in Biographia Universalis*: cf. supra p. 9, n. 1 et 2; p. 17, n. 3.

(5) *Vorstium*: cf. p. 9.(6) *Vossium*: cf. p. 16, et *infra Epist. LXI*.(7) *Barlaeum*: vide *Saxium*, et *Lambec. ad Epist. LXI*.(8) *eo terrarum*: Soram nempe, ubi tunc temporis Meursius pro-

iterum excurras, coram testaberis quam constanti affectu, licet tanto terrarum spatio disjunctus, ipsum colam. Patrius quoque tuis Bonaventuræ et Abrahamo (1) officia mea eorum expones, quorum rogatu Procopium Augustanum (2) ad duos MSS. codices Vaticanos conferendum curavi. Qua quidem in re, opera hominis Græci satis docti usus sum; cui quum illud præcipue injunxissem, ut quæ in edito desunt ex Ms. suppleret, magis ille quam vellem perfunctorie in cæteris lectionum varietatibus et vocum differentiis observandis notandisque versatus est. Id tamen scio nihil ab eo omissum quod alicujus sit momenti. *Aver&ltorū* sive Arcanæ Historiæ nullum in Romanis bibliothecis exstat exemplar præter Vaticanum, quod Alemannus sua editione expressit. Sed Mediolani in Ambrosiana Biblioteca codicem multo integriorem atque emendatiorem servari amici adfirmant; quem contendi cum edito operæ

fessor publicus erat. Vide supra p. 4. — Quis crederet fuisse nuper professorem quemdam, virum cæteroquin doctum, qui *Latini Sermonis Elegantias* Joanni illi Meursio tribueret, et, quod fidem superat, turpissimum librum juveni cuidam e discipulorum cohorte traderet legendum, ut inde se ad optimam Latine scribendi rationem informaret? Est et faceta bibliopolæ Parisini hallucinatio, qui in catalogo bibliothecæ Bosquillonianæ Elegantias illas inter libros de re grammatica retulit.

(1) *Bonav. et Abrahamo*, qui fuerunt ante Elzevirios cæteros præstantiores. De Elzeviriorum familia breviter et diligenter egit Beuchotus, vir historiæ literariæ peritissimus, in Biographia Universali.

(2) *Procop. Augustanum*: editionem Procopii Hœschelianam, Augustæ Vindelicorum an. 1607.

pretium foret (1), saltem primæ operis fronti instaurandæ, quam *soricina nænia confosiorem* (2) ex Vaticano codice Alemannus repræsentavit. Tu Venetiis (3) amicorum opera uteris; quæ si spem tuam frustretur, illustriss. D. Peirescius rogandus erit, cujus industriae et sagacitati nihil non pervium, qui et alterum forte codicem subpeditabit ex illustrissimi Ruthenensis episcopi bibliotheca, quæ card. Armeniaci (4) libros Ms. servat. In nova editione quam paratis (5) illud imprimis a vobis observari velim, ne quid vel præfationibus vel notis admisceatur quod catholicorum aures animumque offendat, ipsumque opus Italia cæterisque provinciis catholicis excludat, quod nec privatis vestris commodis profuturum existimo. Quod adeo vos moneo ut, si quid Alemanni observationibus adspersum videatur, quod Procopii calumniis favere et Justiniani optimi principis famam premere docti viri judicent, id de Cl. D. Heinsii vel alterius viri docti sententia expungatur potius, quam ut per Alemanni latus in catholicam ecclesiam calumniarum mucro oblique stringatur; quod ego à Rivo (6) aliisque factum doleo. Deinde pro vestro vos candore rogo, ut cujus beneficio et auctoritate auctiorem Proco-

(1) *contendi—pretium foret*: et contendit Maltretus editor Procopii Luparensis. Vide Epistolam seq. p. 273.

(2) *sor. næn. conf.*: vide p. 76.

(3) *Venetis*. In Veneta D. Marci bibliotheca est Procopii codex, quem recenset Jac. Morellius V. S. Bibl. Manuscrit. t. I., p. 264.

(4) *Card. Armen.* Cf. p. 85.

(5) *quam paratis*, sed quam non perfecerunt.

(6) *Rivio*: cf. p. 253.

pium habetis ingenue profiteamini : debetis autem quidquid hoc est beneficii eminentissimo cardinali Francisco Barberino, qui, ut omnis doctrinæ et eruditionis copia est instructus, ita ad literas studiaque juvanda animo promptissimo et profusa benignitate fertur : tum vero ut Vaticanæ bibl., hoc est immensi omnis sacræ et profanæ antiquitatis *ταῦτιον*, ea, qua par est, fiat mentio, unde beneficium hoc in publicum privatumque vestrum commodum promanat. Monebis præterea patruos, ubi novum aliquod opus prælo subjecerint, per Hermannum Scheus (1) communem amicum significare non graventur. Quidquid enim a me ad veteres auctores ornandos proficiisci poterit, præstabo libentissime. Quid novam Eusebii Scaligeriani editionem moretur scire velim, quidve adjumenti ab exteris Scrivenerius exspectet. Cl. D. Heinsium in notis ad N. Test. cautius evitare vellem quæ catholicorum censuram timere possunt, quam in Aristarcho Sacro (2) factum. Ages cum ipso diligenter de Concilii Chalcedonensis exemplari manuscripto quod ex Gevarthi Elmenhorstii (3) civis mei bibli-

(1) *H. Scheus*, bibliopotam Römæ degentem. Vide frontem Linguae Ægyptiacæ a Kirchero Restitutæ.

(2) *Arist. Sacro* : cf. p. 253.

(3) *Gevarthi Elm.* De Geverharto Elmenh. Cf. p. 1. Scrivenerius in epistola ad Rosweidum, inserta Miscell. Observ. vol. V, t. III, p. 124, Elmenhorstium conviciorum plaustris onerat, insulsura stultumque hominem vocans, tenebriōnem olidum qui optimos scriptores foris suis conspurcabit. Adeo verum est quod ait ille :

*Ingenuas didicisse fideliter artes  
Emollit mores, nee sinit esse feros.*

theca acceperat D. Rutgersius (1), unde postea ad Hein-  
sium pervenit, qui, si codicem istum abs se impetrari  
patiatur, habebit ab eminentissimo studiorum meorum  
patrono card. Barberino *arridapor*, quemcumque tandem  
voluerit codicem Latinum, Græcum, vel Syriacum Ms.,  
cujus quidem hac in urbe copia subpetat; vel si codicis  
possessione abdicare sese nolit, id saltem obtineas ut, cau-  
tione cujuscumque voluerit pretii interposita, utendum  
~~nobis~~ ad unum alterumve mensem transmittat. Rogabis  
etiam meo nomine ut Latinam versionem Nicolai Metho-  
nensis (2), qui in Procli Theologica Elementa scripsit et  
Græce penes me exstat, ex publica Academiæ vestræ  
bibliotheca transcribendam concedat: quod si fecerit,  
præmium a vobis æquum homini alicui docto constitui ac  
persolvi velim, quod ego per Hermannum *Scheus* lubenti  
gratoque animo refundam. De meis autem studiis si quis  
forte istic scire desideret, pro tuo affectu referes quæ in  
Geographis et Philosophis antiquis a me elaborata vel ten-  
tata videris; præsertim quid, præter Syntagma Geogra-  
phorum Minorum, Stephani Byzantii Epitomen, Dionysii  
Afri *Περὶ γῆς*, aliaque plura, in Cluverii Italia emen-  
danda præstiterim (3), quæ forte fidem vestrorum hominum  
superabunt, et a me peculiari opere de Locis publicis et

(1) *D. Rutgersius.* Nescio quid sibi velit illud D. Lapsus est forte  
vel calami vel typorum. Etenim nullus dubito quin agatur de Jano  
Rutgersio, Variarum et Venusinarum Lectionum auctore.

(2) *Nic. Methonensis:* cf. Noster p. 234, et in Selectis Lilienth.  
t. I, p. 93.

(3) *præstiterim.* Sic correxii editam lectionem, *præsertim*.

Antiquitatibus Agri Suburbicarii comprehenduntur. Quæ de Hieroclis, Ocelli Lucani, Simplicii in Epictetum, Dissertationum Arriani, Parænesion M. Aurelii Imp. nova editione Græco-Latina tecum egi, patruis tuis significabis; quibus si consilium hoc probetur, singulos ego auctores diligentissime emendatos, quod quidem tu oculata fide testari poteris, subpeditabo. Mittam quoque Demophilum, Democratem, Secundum (1), et Xystum, qui sententias elegantissimas scripsere, hactenus, si postremum (2) excipias, ineditos. Sed de hisce cum Cl. Heinsio consilia conferre, et quid velint significare licebit. Iamblichum integrum et Porphyrii opera Parisiensi typographo promisi. Ger. Vossio V. Cl. observationes copiosissimas Græcis Historicis locupletandis (3) mittam, ubi editionem recensere libuerit: quem tu, ut et cæteras illustres animas Bataviæ vestræ lumina, quam humanissime a me salutabis. Tu, quod agis, rem bene gerere perge, et sospes ad tuos, quod precor, redi. Romæ. Idib. maii mcccxxvi. Tibi addictissimus LUCAS HOLSTENIUS.

(1) *Demoph. Democr. Sec. Gnomiorum horum trigam publici juris fecit Romæ an. 1638. Plura vide in Mollerij Cimbr. Lit. t. III, p. 335.*

(2) *postremum. Xysti Sententiae sub Sexti Pythagorei nomine insertæ sunt Opusculis Mythologicis Galei.*

(3) *Vossio - locupletandis : cf. infra Epist. ad Lambecium data postr. kal. iun. 1646.*

## XLIII.

## \* PEIRESCIO.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Magnum mihi pristini tui affectus argumentum præbuere literæ tuæ, quibus de bibliothecæ cura (1) mihi commissa adeo obnixe gratularis. Illud vero longe maximum erit humanitatis tuæ erga me beneficium, si hac occasione studia mea eminentissimo cardinali nostro commendaveris. Basilianæ Academiacæ (2) specimen proxime ad te mittam, dissertationes (3) duas a me ad Concilium Nicænum illustrandum institutas, ut et alias duas viri clarissimi et doctissimi Petri Lasena Ic. Neapolitani de stylo et lingua Hellenistica (4) [Bibliorum] interpretum; quem virum, omnis doctrinæ et humanitatis idæam, ante quatriduum fata nobis hic magno cum dolore omnium bonorum substraxerunt. Sed quod præcipue in ejus obitu dolendum est, reliquit semi-

(1) *bibliothecæ cura*, Barberinianæ nempe, cui præfuit post Suaresium.

(2) *Basil. Academiacæ*, conditæ jussu card. Barberini in cœnobio monachorum S. Basili d. 3 jun. 1635: vide utilem Bandinii notam Comment. de Vita Don. p. lxxxij.

(3) *dissertationes*, quas ab Holstenio sibi ad editionem traditas vulgavit Valesius ad calcem Theodoreti.

(4) *Hellenistica*. Has dissertationes ineditas esse puto. In elenco librorum Lasenæ ante ipsius Cleombrotum adposito, comparet dissertatione una de L. Hellenistica card. Barberino inscripta et consignata. De Lasena vide p. 152.

perfectam sub typographicorum prælo dissertationem (1) omni eruditione conditam , de iis qui aqua suffocati moriuntur: cuius operis editioni ipse immortuus est. Ita privatus hic dolor memoriam doctissimi Schickardi (2) refricuit, cuius miserrimo occasu nimium quantum Germaniæ nostræ deperiit, quam bellorum calamitates ad vastitatem et barbariem ferme redegerunt. Tu vero quod obitum ejus magno te doloris sensu tetigisse ostendis, quodque memoriam ejus aliorum encomiis perennitati asserere tantopere studes, pro affectu tuo inveterato erga literas facis. Sed nescio quid a me vel quovis alio mortalium proficiisci possit , quod tam illustrem viri doctrinam non obscureret potius quam exornet. Vivet enim in doctorum hominum animis dum literæ erunt, ob insigne illos quos de Hebræorum et Persarum Antiquitatibus edidit libros. Videbo tamen num quid procudere possim quo tibi morem geram , eodemque Dormalium nostrum cohortabor. Accipies interim Prodromum Copticum P. Kircheri, quem emin. cardinalis jussu mitto adhuc a prælo calentem, ita ut nec compingendi quidem spatium fuerit. Nihil ego a multis annis in hoc studiorum genere doctius prodiisse existimo , et gemina gemella hæc sunt Schickardianis illis. Habebis brevi alia aliquot exemplaria, quæ amicis distribues , ubi maritimi itineris occasio sese obtulerit. Ipse P. Kircherus promisit se missurum tibi exemplar inscriptionis Sinensis quam hoc

(1) *dissertationem*. Editam Romæ an. 1637, hoc cum titulo, *Cleombrotus*, etc. Cf. Gassend. V. Peir. p. 202.

(2) *Schickardi*, mortui an. 1635. De diligentia quam adhibuit Peirescius ut inedita ejus opera non perirent, et de variis epicediis quæ in ejus memoriam componi curavit , vide Gass. I. c. p. 194. Adde notam supra p. 187.

libro explicat. Vellem significasset mihi maturius quæ de Evangelii prædicatione apud Sinas disserit, suppeditassem locum insignem auctoris (1) Græci [*Αντεδίτου*] qui sub Justino juniore scripsit, et luculentum de Christi fide in illas terrarum oras illata a Syriis et Ægyptiis testimonium perhibet. Nunc de lexico Copto-Arabico Latino excudendo agimus, cuius editionem si tibi apud emin. cardinalem nostrum commendatione tua urgere et promovere placuerit, bene de hisce studiis et de ipso P. Kirchero mereberis. Habes etiam S. Pulcheriæ Vitam a familiari quodam cardinalis nostri scriptam, et quidem ipsius cardinalis jussu, ut Columnenses moniales nobiles vitæ religiosæ exemplum in nobilissima foemina conspicerent. Imago præmissa ad sæculi illius morem ex Theodoræ Justiniani conjugis et numismatum figuris utcumque est expressa. Adjunxi exemplum et specimen scripturæ Syriacæ codicis vetustissimi quod nuperis tuis petisti. Ipse Abrahamus Maronita (2) sua manu veterem scripturam diligentissime est imitatus. Characterem hunc [estranghelum] sive rotundum ab ipsis vocari non ignoras. Mitto etiam catalogum bibliothecæ cardinalis Armeniaci (3) jam dudum tibi destinatum, sed hactenus inter schedas et libros meos delitescentem; qui si tardius ad te redeat, excusabis moram pro tua humanitate. Quamvis ita confectus sit, ut reconditas illius bibliothecæ opes legentium curiositatì minime exponat, operæ pretium foret lustrari thesaurum illum a viro

(1) *auctoris*: Cosmæ indopleustæ. Cf. p. 221.

(2) *Abrah. Maronita*: Abrah. Echellensis, cuius infra non semel mentio fiet.

(3) *Armeniaci*: cf. p. 264.

aliquo docto , et præcipuos aliquot codices sigillatim et accurate excuti. Abrahamus Maronita libros Arabicos , paulo post quam tibi significavi , Pisis acceptos emin. cardinali nostro obtulit : sunt autem illi maximam partem de legibus civilibus rebusque forensibus Arabum et Turcarum ; quos equites S. Stephani una cum Protodico Ægypti ceperunt et spolium fecerunt : sunt et nonnulli Grammatici. Sed \* omnium vero præstantissimum est chronicon Ægyptium a principio rerum usque ad S. Ludovici expeditionem Pelusiensem. De hoc codice diligenter ad te scribet P. Kircherus , qui eum \* accepit , et summopere deprædicat. Calendarium (1) illud vetustum dn. Aleandro [ τῷ μακεπτῷ ] jam olim transmissum emin. cardinalis jussu perquiram , et quidquid ipse imperaverit ad te prescribam. Scio enim a dno. Suaresio opus illud in nescio quem fasciculum conjectum , cum magno Aleandri commentario , quem quominus ad umbilicum perduxerit , mors præpedivit. De poematum Summi Pontificis nova editione (2) colore rubro interstinguenda quod mones , grata fortassis novitate placuisset , si ea hic uteremur typographorum industria et peritia quæ Belgis et Gallis vestris suppetit. Nihil enim deformius videri dicive potest libris illis ecclesiasticis , qui duplaci colore hic apud nos exciduntur , ita subpallido et fugiente minio languentes , ut oculorum aciem eludant. Sane in ipsa editione , ut quam emendatissima prodeat , summa à me adhibetur cura. \* Mensuras vasorum quas petis explorare admodum difficile futurum

(1) *Calendarium* : cf. p. 140 , et Gassend. V. Peir. p. 98 , 112.

(2) *editione* , quam , ut videtur , curavit Holstenius , et de qua iterum Epist. sequenti. Illam non vidi , nec mihi e catalogis innotuit.

existimo, quod plantas extirpare, et terram qua oppleta sunt egerere necessum sit, quod dominis nolentibus et sine publica auctoritate fieri vix poterit, ut quidem Romæ vivitur. Cætera, quæ in Appia Via notanda mones, diligenter jam olim inspexi, et ubi occasio sese dederit dimensa ad te mittam. Sed rectius fortassis promoveret tuum de mensuris institutum (1), si doliorum fictilium antiquorum in hortis Ludovicianis mensuræ exactissime explorentur, ut et alterius quod in horto Vaticano extat, ubi labro superiori congiorum sive amphorarum numerus inscriptus conspicitur. Sed de his voluntatem tuam operiar. Ill. dno. Theanensi (2) prolixè nuper respondi, et accurate tractavi de agro Falerno et Faustiano ex Plinii (3) descriptione prope Cædicias in Via Appia, ut et de reliquorum locorum adjacentium antiquitatibus. Ubi verum nostris dissertationibus confirmatum fuerit, habebis specimen hujus laboris. Opus de [Vitis] Pontificum (4) rudi adhuc et indigesta mole confusum est; et nunc totus sum in materie colligenda, unde postea extrui luculenta operis species possit. Manuscripta ista Orphæi Argonautica cum editis contuli; sed parum labor profuit, ita passim conspirat eum Aldino exemplari in errorum

(1) *institutum*: cf. p. 246.

(2) *Theanensi*: episcopo Theanensium Guevaræ. Cf. Holsten. annot. in Cluver. p. 249.

(3) *Plini. H. N. XIV*, c. VIII, 6. Cf. Cluver. Ital. Antiq. p. 1172. Plinius habet *Cedias*; sed Holstenius quem vide l. c. putabat *cædicias* esse legeendum.

(4) *de V. Pontif. Supplementi rationem* pete ex Epist. Nostri ad Morinum data d. 7 mart. 1640. Cf. et finem Epistolæ XLIV, Mollerique Cimbriam t. III, p. 338.

consensum. Impetravi nuper ex Ambrosiana (1) Mediolanensem bibliotheca, opera amici, supplementum principii {*Aνερδίτων*} seu Arcanæ Historiæ Procopii, quod in Alemani editione variis lacunis excusum fœdatumque inspicitur. Mittam exemplar ad cl. Heinsium novæ editioni, quam Elzevirii (2) parant, exornandæ. Inter varios codices MSS. Florentia et Senis non ita pridem ad emin. cardinalalem missos, fuere volumina quædam poematum variorum auctorum Hetruscorum, in quibus etiam insigne carmen Francisci de Barberino (3) repertum suit, quod emin. cardinalis jussu ex duobus MSS. codicibus excerptum et emendatum literis hisce adjunxi, ut ex hoc specimen auctoris illius et sæculi quo vixit genium gustumque perspieas. Cum vero alias monueris emin. nostrum patronum auctoris illius nescio quani memoriam extare in scriptis poetarum vestratiū, quos Provinciales vulgo (4) appellant, effictim desiderat ut quidquid viri illius memoriæ illustrandæ ex poetis illis aliisque conquirere poteris, id quam primum suggestere non graveris. Præstabitis sane rem longe gratissimam eminentissimo cardinali, si quid lucis ex tenebris illis Barberinæ familiæ illustrandæ erueris. Slegelius civis meus adhuc Romæ commoratur: ubi æstus noxii remiserint, Neapolim excurret. Interim ab ipso et Dormalio nostro quam officiosissime te salvere

(1) *Ambrosiana*: cf. p. 263.

(2) *Elzevirii*: cf. p. 264, 279.

(3) *Barberino*: antiqui poetae Itali, nec minorum gentium, cuius poema, *Documenti di amore*, lucem primum vidi Romæ an. 1640. Cf. Suaresium in *Notitia Basilicorum*, §. 44.

(4) *Provinciales vulgo*: vulgo *Provenciaux*. Vide *Gass. V. Peir.* p. 196.

jubeo. Vale, ill. domine, et studia mea tibi commendata  
habe. Romæ, a. d. vi septemb. 1636. Ill. d. v. devinctis-  
simus servus **LUCAS HOLSTENIUS.**

## XLIV.

## \* PEIRESCIO.

**PERILLUSTRIS DOMINE,**

Cum hisce aliquot septimanis Latium Tusciāque Suburbicariam in Vaticano ambulacro (1) depingendo fuerim occupatissimus, loca illa Josephi (2) a Cl. Petito indicata necdum ad codices MSS. conferre licuit. Sed nunc molestissimis exsolutus curis, sedulo perquiram omnia quæ studia ejus adjuvare poterunt, mittamque ad te proximo cursore quidquid hoc adminiculi fuerit. Ammianum ab Valesio recentatum (3) avido lubentique animo lustravi: sed nullum adhuc aliud exemplar ad nos perlatum, præter illud quod postremis tuis adjunctum misisti; alterum, quod emin. cardinali te jam ante misisse significas, necdum cōparuit, uti nec Francici Scriptores a Quercetano editi (4). Interim gratias tibi quas possum, quasque hu-

(1) *Vat. ambulacro*: cf. p. 237.

(2) *Josephi*. « Cum Sam. Petitus appararet tum interpretationem, & tum eruditas in Josephum notas, Peirescius obtinuit ipsi per « Holstenium variorum locorum collationem cum tribus codd. « Vaticanis MSS. : » GASSEND. Vit. P. p. 195.

(3) *recentatum*, Parisiis hoc ipso anno.

(4) *a Quercetano*, vulgo *Andrea Duchesne*, editi hoc anno.

manitati ac benevolentiae tam insigni debeo, maximas ago  
habeoque, cum referre illorum aliorumque beneficiorum  
tuorum magnitudo non patiatur. Canadensium plantarum  
historiam (1) eminentissimo meo patrono reliqui, ut Am-  
mianum eo facilius mihi impetrem, ubi alterum exemplar  
allatum fuerit. Francicos scriptores mihi vindicare ex tua  
liberalitate non ausim, quamvis jam dudum aliud exemplar  
in bibliothecam emin. cardinalis inferri curaverim : eo  
enim cum librariis pacto ac lege transegi, ut, si intra  
aliquot menses aliunde exemplar ad emin. patronum mit-  
teretur, suum illi sibi reciperent, tum vero, quod præci-  
puum est, summo id opere studioque [caveo, ne] in par-  
tem cum emin. patrono venire, aut commodis hibliothece  
officere videar, derivando quidquam in privatos usus. In-  
teriorum de tuo tibi beneficio nihil tibi deperit. Ubi commoda  
sese occasio obtulerit, mittam aliquot Coptici Prodromi (2),  
et mei Porphirii exemplaria; quamvis meus ille aborti-  
vus (3) foetus, ita a typographis exceptus sit, ut me ejus  
operæ non pœniteat solum, sed et pudeat. Sed huic malo  
cum nullum a querelis remedium, nova aliquando et ca-  
stigatiore editione medendum. Prodromi exemplaria tre-  
centa P. Kircherus a me accepit, præter ea quæ jam ante  
amicis obtulerat, nec puto eum de mea in se voluntate  
conqueri posse : forte moram ægre tulit, sed componenda

(1) *historiam*, a Jac. Phil. Cornuti scriptam an. 1635.

(2) *Coptici Prodromi* Kircheriani : vide supra pagin. 269.  
Exemplar ab auctore datum Peirescio exstat nunc in Bibl. Regia  
Parisina.

(3) *abortivus*. Nam editionem interruperat ob iter Sarmaticum,  
et sic imperfectam vulgaverat.

erant et digerenda folia ab imperitis nostris typographis  
pessime confusa , et nullo ordine ad bibliothecam emin.  
cardinalis (1) perlata. Dedissem adhuc unam alteramve  
centuriam , si res mei fuisse arbitrii ac juris. Sed et ego  
homo sum alienæ potestati subditus , et scio cum quibus  
œconomorum ingenii lucter. Quam vellem ut et Vocabula-  
rium (2) excuderetur ! Sed libri isti haud quaquam ad  
genium gustumque hujus urbis faciunt. Nam ex exemplaribus , quæ bibliopolis dividenda tradidi , vix tria hacte-  
nus emptorem invenere , etiamsi pretio satis levi addi-  
cantur. Nisi bellici tumultus vias omnes interclusissent ,  
mitterem exemplaria aliquot ad Lugdunenses et Parisienses  
librarios , aliorum librorum permutatione redimenda ; sed  
quanam id fieri possit via non video : tu si quam rationem  
perspexeris , indicare non graveris , cujus fidei et operæ  
negotium committi possit. Nunc totus sum in concinnando  
specimine vetusti atque optimi illius codicis Biblici , de  
quo jam ante me scripsisse (3) memini. Absolvi ferme  
hoc quatriduo Hoseæ Prophetiam , quam cum Sixtina edi-  
tione Græca , cum Vulgata Latina et Hebræorum [ textu ]  
contendo. Liber est bonæ frugis plenissimus , et quo Vul-  
gati Interpretis fides plurimis locis stabilitur. Magnam

(1) *bibl. emin. cardin.* cui præerat Holstenius : cf. p. 268.  
Cum Kircheri Prodromus jussu et , ut videtur , sumtibus cardinalis  
Barberini fuerit vulgatus , hinc factum est ut totius editionis esset  
possessor et arbiter.

(2) *Vocabularium. Ægyptiaco - Arabicum* , quod invenitur in  
Kircheri *Lingua Ægyptiaca restituta*. Cf. supra p. 270.

(3) *scripsisse*. Hinc patet non omnes nos habere Holstenii ad  
Peirescium epistolas.

congeriem veterum interpretationum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, et Quintæ Editionis collegi, unde maxima ad arcanos intimosque Scripturæ sensus penetrandos lux existat. Illud tantum indicabo, quod satis mihi observatum perspectumque existimo, ubi Vulgatus a lxx recedit, Aquilæ interpretationem fere exprimere. Sed hujus collationis specimen, gustumque aliquem a me habebis. Sane plurimum prodesse potuisset Romanæ editioni, ubi Nobilius (1), vir doctus et accuratus, ex variis codicibus similem veterum [interpretationum congeriem] singulis capitibus subjunxit, cum unus hic codex quintuplo majorem copiam suggerat, quam cæteri omnes quos ipse pervolvit, adeoque insignis accessio ad aliquam novam editionem hujus exemplaris ope fieret. Nunc quid publico literarum bono restituendo cogitem tractemque significabo. Vaticinam typographiam a card. Borghesio, ut rem Apostolico palatio iutilem gravemque, divenditam fuisse non ignorare te existimo. Ita unius hominis imperitia sanctissima tot Pontificum consilia, et magnum catholicæ ecclesiæ præsidium atque ornamentum dissipavit. Et ut ministri came rates ad redditus augendos unice sunt intenti, ita hæc etiam typographia, vectigalis facta, mille scutatos annuos ab aliquo jam tempore solvit. Unde factum est ut redemptores lucro tantum dediti Apostolicae Sedis typographiam ita deformarint, ut pristini illius splendoris nec [vola] nec vestigium supersit. Quod etiam me tacente libri hacte-

(1) *Nobilius*, vulgo *Flaminio Nobili*, qui Bibliorum editionem Romanam an. 1587 curavit, et de quo cf. Saxum Onom.; R. Simonem Hist. Crit. Vet. Test. p. 587; Fabric. B. Gr. t. III, p. 678, etc.

nus editi, Pontificum Vitæ, bullaria quæ vocant, et brevia abunde testantur. Nunc cum Brugiottus, penes quem hactenus fuit typographia eo quo dixi pretio annuo, sive satis auctus opibus, sive laboris pertæsus, finito intra paucos menses conductionis tempore, eo se munere abdicare cogitet, multi autem imperitissimi homines spe lucrī locum illum ambiant, et pretium etiam ad ducentos aureos augeant, coepi cum illis, qui præcipua apud Pontificem autoritate valent, agere sedulo de restituenda in pristinum locum typographia, cum quidem, uti nunc ea res agitur, non solum nullo cum commodo Sedis Apostolicæ, sed etiam cum dedecore ejus conjuncta sit. Et quod recentissimum nunc habemus exemplum, cum Summi Pontificis Poemata excudenda (1) essent, Vaticani characteres ita Suæ Sanctitati displicerunt, ut magnis impensis novi typi fuerint parandi. Et cum patrum nostrorum sæculo Romanæ editiones elegantia, et accurata diligentia operarum cæteras omnes vincerent, nunc sub Pontifice doctissimo, et eruditissimo Pontificis nepote res Romanas gubernante, eo prolapsa est typographia Pontifícia, ut nec suis usui, cæteris autem ludibrio et deridiculo esse videatur. Hisce rationibus permultos jam commovi ut typographiam restitui ex Sedis Apostolicæ honore bonoque judicent. Quod cum tibi quoque perspectissimum esse non dubitem, vehementer te rogo ut tibi hoc consilium a me significatum emin. cardinali nostro literis tuis ostendas; sed ita ut ipsum ejus consilii auctorem principemque feras, ac proinde cohorteris ut tam insigni beneficio Ec-

(1). *excudenda* : cf. p. 271, 288.

clesiam Dei, Sedem Apostolicam, literas literatosque omnes sibi devinciat, quod et rei necessitas, et dignitas Ecclesiæ Romanæ, tum præcipue ipsius in literas favor, et publica orbis expectatio ab ipso flagitat. Quod quidem te pro tuo in optima studia affectu facturum diligentissime confido, et pro ea, qua apud eum autoritate polles, conjecturum non dubito. Sane cum barbarico quodam furore res literaria per universam Europam sit afflictissima, non video, quæ spes literis restituendis conservandisque esse possit, nisi hic in natali quodam modo solo, et in doctissimorum principum favore, præsidium portumque inveniant. Procopii fragmenta Puteanos jam accepisse intelligo: petierunt ea Hugonis Grotii nomine (1), qui et ipse novam ejus scriptoris editionem se paratam habere scribit. Venit nuper ad Urbem nepos ejus Regerspergius (2), cum literis illius Grotii, quibus editionis brevi inchoandæ spem facit. Sed vellem ut Gothicis et Vandalicis Persicam etiam et Arcanam Historiam adjungeret; quod fortassis te suadente faciet. Credo Elzevirios, auditio ejus consilio, promissam tot annis editionem acceleraturos. Sane nisi cætera quoque supplementa minora habuerit ille Grotius, magnam alienæ diligentiae materiem relinquet. Scatet enim vulneribus creberrimis Hœschelianum exemplar, quæ sola conjectura, quamvis felicissimi ingenii, persanari ne-

(1) *Grotii nomine.* Grotius per Puteanos supplementa lacunarum Procopianarum petierat, non editionem quidem parans, sed versionem Gothicæ historiæ: cf. *Burigny*, V. de Grot., t. II., p. 124 sqq.

(2) *Regerspergius*, vulgo *Rœgesberg*.

queunt. Mihi vero, inconsultis Elzeviriis, omnes Vaticanas lectiones cum aliis communicare religio est, cum ipsi in exemplaribus conferendis sumptus de suo fecerint. Anthologiam recens a Grotio conversam editamque cum supplemento insigni propediem nos expectare jussit idem Regerspergius. Utilem gratumque istum laborem publice futurum reor; neque enim feliciorem interpretem illæ Græcorum lauticiæ nancisci unquam poterunt. Pontificum Romanorum Vitas a Quercetano (1) editas frustra hic in Urbe quæro, nec visas nec cognitas ulli. Magnum me ejus operis videndi desiderium tenet, quod nec Parisiis amplius prostare mihi affirmant. Mittam ad te [specimina] novi operis quod animo jam designavi, ut subsidia ab amicis mihi imp̄tres, et de tuo, si possis, symbolam conferas. Vale, ill. domine, et studiis meis favere perge. Romæ, prid. non. decembr. ccccxxxvi. Ill. ampl. t. omnibus nominibus devinctissimus L. HOLSTENIUS.

(1) *Quercetano*, Andrea Duchesne, qui an. 1616 ediderat Gallica sermone Pontificum Historiam usque ad Paulum V. Ipse Holstenius simile opus meditabatur: cf. p. 272, 288.

## XLV.

\* ILL. VIRO NICOLAO FABRO DE PEIRESC

LUCAS HOLSTENIUS S.

Aqua Sextias.

QUID de Tholosate Basilicarum Constitutionum codice, eminentissimi cardinalis nostri jussu ac nomine, hactenus tractaverit illustrissimus Vasionensium episcopus (1), et ipse coram exponet, et ex eminentissimi patroni mei literis cognosces. Cum vero negotium hoc ita sit comparatum, ut fidem, diligentiam prudentiamque tuam in primis requirat, neque ego ignorem quo affectu atque animi promtitudine ea amplecti ac promovere soleas, quæ optimo et literarum amantissimo principi grata atque accepta fore existimaveris, haud ægre feres, si et ipse hujus negotii curam quam possim maxime diligentissimeque tibi commendem, atque id certo affirmem, quod et eminentissimi cardinalis literæ abunde testantur, nihil abs te præstari posse quo animum ejus arctius tibi concilie ac devincias, quam si tua sollicitudine via ratioque secura paretur ejus codicis adipiscendi, ex cuius editione præcipuam sibi ac pèrennem posteritatis memoriam pollicetur. De pretio jam

(1) *Vasion. episc.* Suaresius : cf. p. 259. De codice τῶν Βασιλίκων, supra p. 35, et mox p. 284. Barberinus cardinalis hunc sibi codicem eximium comparare impense cupiebat : vide Suaresium in Notitia Basilicorum §. 44.

constitutum est inter illustrissimum Vasionensem episcopum et librorum dominos : illud dumtaxat videndum cavendumque sedulo, ne alio forte exemplari inde descripto fraus ac fucus eminentissimo cardinali fiat ; tum etiam codices ipsi viri cuiusdam docti opera viſendi ac lustrandi cum cura, num integri et sarti tecti sint, et ut bona fide omnia gerantur, ne, quod proverbio dici solet, carbones thesauri loco obtrudantur; qua in re amicos fidosque homines tibi non defuturos scio, quorum opera explores curesque singula, ut tandem ex eminentissimi cardinalis sententia votoque negotium conficiatur. Indicarem tibi γνωρισματα quædam operi dignoscendo, nisi notum omnibus, tibi vero cognitissimum esse existimarem ; tum vere Σύνοψις a Leunclavio (1) edita pro Ariadnæ filo erit seriem numerumque librorum explorantibus ; et principio voluminis recentique manu aliquot foliorum lacunam suppletam affirmant illi qui jami olim hoc negotium tractarunt. At securissima agendi ratio erit, ut aut ipse, aut cui negotium commiseris, cum illustrissimo Vasionensium episcopo consilia conferatis, ut communis sententia res geratur, quam aliorum invidia vel perversa voluntas facile disturbaret, nisi caute et cum silentio instituat totius negotii conficiendi ratio. Vale, ill. domine, et eminentissimo cardinali ac patrono meo præcipue hanc rem curæ cordique esse tibi persuasissimum habeto. Romæ, circ. xxxvi.

Postrid. non. decembr.

(1) Σ. a *Leuncl.* Cf. de hac ecloga Fabric. B. Gr., t. XII, p. 426, edit. primæ, et Menag. *Anti Baill.* §. 40, extr.

## XLVI.

## \* PEIRESCIO.

AQUAS SEXTIAS.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Negligentiae culpam, quam posterioribus tuis forte haud injuria mihi ingeris, ut alias a me commissam non possum diffiteri, ita hoc tempore rationibus sane justissimis tibi excusare possem, quas nec illi ignorant qui magnam apud nos sedulitatis et accuratae diligentiae opinionem affectantes alienam negligentiam fastidiose suggillant; et ut ipsi sui temporis rationem aliis officiose probare satagunt, ita et otii et negotii rationes ab aliis scrupulose exigunt. Quantum ego temporis ac laboris, toto hoc trimestri quo in Vaticano commoramus, impenderim illustrissimo Landgratio Hassiae<sup>(1)</sup>, nemini in nostra hac aula, omnium vero minime eminentissimo cardinali nostro ignotum est, cuius jussu me totum principis illius obsequio tradidi, quam primum de ejus cum catholica ecclesia conciliatione spes aliqua affulgere coepit; qua in re continuo trium mensium labore, et *καιρον καταιρε* obsequio, assecratione, colloquiis, id tandem, Dei gratia adspirante, a me effectum est, ut et princeps ipse et præcipui aliquot ex ejus familia hæresim Lutheranam cum catholica fide commutarint. Tibi vero, qui et mores et ingenium principum virorum non ignoras, haud difficile erit cogitatu quam pertinaci

(1) *Landgr. Hassiae*, Friderico, qui in itinere Italico ad Romanam Ecclesiam transiit, mox Melitensi cruce, serius galero rubro fuit ornatus: cf. p. 287.

obsequio animis eorum obrependum, quam nulla occasio omittenda conferendi, quam etiam importune in tanta re obtundendi sint, ut conceptas opiniones eellas, veritatem etiam non advertentibus instilles, nihil denique quod rei conficiendæ faciat omittas. Mihi sane cætera omnia studia idcirco fuere omittenda, et si quid subcisisi temporis suffurari subinde licuerit, id eorum lectioni fuit impendendum, qui catholicam doctrinam præscriptionibus contra hæreticos tuentur, et controversias de rebus theologicis tractant, ne imparatus et rationibus destitutus manus cum irreprobos consererem. Tandem ubi dictus princeps fidem catholicam est professus, jussu atque rogatu ejusdem, rationes professionis scripto complectendæ fuerunt, ut fratni ejus Landgravio Darmstatensi exhiberentur. Sileo salutationes, congratulationes, cæteraque obsequia aulica quæ magno apparatu et comitatu hic in Urbe peraguntur; quandoquidem tu, etiam me lacente, facile ea cum animo tuo reputaveris. Hæ mihi causæ cur et infrequentius et brevius scripserim quam tuum ferret desiderium; cum ita me distinuerint, ut non solum hæc officia literaria, sed et cætera studia mea intermisserim. Sed nunc, longiori excusatione omissa, postremis tuis respondebo.

Quid de *Bæstianū exemplari* (1) veteri comparando ad eminentissimum cardinalem nostrum rescripseris, ipso literas tuas exhibente, cognovi, et ut antehac hujus mercionii auctor instigatorque fui, ita nunc quoque hor-tatus sum, ne occasionem hanc sibi ex manibus elabi patiatur, etiamsi aliud exemplum ex vetusto codice tran-

(1) *Bæstia. exemplari*: cf. p. 281, 282.

scriptum fuerit; neque enim tanti facio ut propterea emptio rescindatur; neque enim uberiorem ac certiorem gloriæ materiam prospicio, quam quæ ex tam præclari et necessarii operis editione sperari potest. Itaque cum dn. Vasionensis jam ex Galliis discesserit Urbem petiturus (1), eminentissimus cardinalis rem totam tuo permittit judicio conficiendam; quem in finem se schedulam seu chirographum mille scutatorum ad te remissurum ajebat. Mitto nunc versus aliquot (2) Musis invitis extemporali fere abortu effusos, qui si tibi minus placuerint, nec mihi placuisse scias; mitto tamen qualescumque, ne hac quoque in parte diutius officium meum desideres. Id fateor, et tuam expectationem, et insignem magni illius viri eruditionem meliori fuisse carmine dignam; sed bonum factum quod vel hosce tandem ab genio meo ~~ἀμούσων~~ extorserim. Si in doctorum manus divulgare cum aliis tibi constitutum est, quæso, nomini meo parcas, et quod versus mali sunt, et ne quis ex scrupulosis illis magistris me homini non catholico lessum fecisse cavilletur. Josephi loca (3) cum tribus vetustis et probis codicibus contuli; puto duos adhuc alios reperiri, quos prima occasione inspiciam: sed quantum quidem hactenus observavi, veteres isti libri parum sane ab edito exemplari variant, ut vix operæ pretium sit contulisse; tum vero uterque ille Josephi locus integerrimus mihi videtur, ut nulla egeat medicorum

(1) *Urbem petiturus.* Vere enim ineunte; Suaresius cum cardinale Bichio Romam discessit; teste Gassendio, V. Peiresc. p. 207.

(2) *versus aliquot;* epicedium, puto, in memoriam Schickardi: cf. p. 269.

(3) *Josephi loca:* cf. p. 274.

opera : nam de conjecturis domini Petiti quas in Miscellaneis suis proposuit, alias sententiam meam tibi explicabo, ubi collationes istas manuscriptorum mitam. Illustrissimi archiepiscopi Tholosatis exemplar Parisiis me vidisse memini, neque abs re fuerit ab amplissimo Grotio subsidia expetere ad novam istam editionem, cui multa in eum scriptorem jam olim observata. Theon de locis Mathematicis Platonis Josephi Auriæ (1), doctissimi viri, ni fallor, manu descriptus est ex Vaticanis codicibus. Velle mihi singulorum librorum principia saltem paucis verbis enotari; neque enim integrum nunc in Vaticano reperiri existimo. Quin potius hoc age ut exemplar suum Lutetiam secum deferat, ut, si quid inde transcribendum fuerit, in promptu suppetat. Puto autem duo esse volumina non usque adeo spissa, quæ tu γνωρίσματα ipsi indicare poteris. De versione (2) me falsum fuisse puto. Heronis autem Geodesia Græce et Latine ferme tota edita est a Conrado Dasypodio, Argentorati in 8°., cum Lexico Mathematico ejusdem auctoris; sed et illic capita illa de mensuris (3) et ponderibus desiderantur; et puto sane non pertinere ad reliquum opus, sed εμβολιμαῖα esse : saltem optandum foret ut correctius alicunde exemplar producatur. De libro Henoch (4) plurimum tibi gratulor: versio

(1) *Theon.—Auriæ*: cf. p. 150, 151, 226.

(2) *versione*. Iunuit forte versionem, de qua p. 237. Sed ista sunt brevia, ut vix intelligam.

(3) *capita illa de m.* Cf. p. 226, 227.

(4) *De libro Henoch*, charactere et idiomate Æthiopico conscripto, quem sibi, nullis, Gassendius ait V. P. p. 168, parcens sumtibus, Peirescius comparaverat.

tanto facilior erit, quod Græcum ejus libri exemplar adhuc supersit, in quo dn. Grotius, si recte memini, se laborasse aliquando affirmabat. Æthiopicorum librorum exemplar nullum unquam Romæ mihi videre licuit apud bibliopolas; sed eminentissimus cardinalis noster sua se cura et auctoritate eos tibi paraturum promisit. Libellus tantum nescio quis de principiis grammaticis (1) recusus fuit nuper adeo a S. Congregatione Propagandæ Fidei, qui facile transmitti poterit. Sunt hic in Urbe Abyssini aliquot, quibus ea lingua vernacula: eorum opera versio aliqua confici posset a P. Athanasio Kirchero, nisi ille discessum jam pararet in Melitam insulam cum illustrissimo Landgravio Hassiæ (2), qui Melitensium Religioni nomen dedit; monui ipsum Patrem Athanasium ut hac occasione ad te de profecionis consilio scribebet, quod se facturum promisit.

De Ammiano non est quod satagas, cum jam eminen-

(1) *libellus—grammat.* Idem forte Æthiopicis illis nescio quibus supra memoratis p. 192.

(2) *Landgr. Hassiæ.* Gassendius ait Vit. Peir. p. 205. Kircherum cum Landgravio Darmstadiensi iter fecisse, Darmstadiensem vocans qui Nostro est Hassiacus; contra Goezaldo, in Antiq. Eccles. Orient. p. 267, Hassiacus dicitur quem Noster vocat Darmstadiensem: « M. Golstenius (*sic!*) est encore à Malte avec ce seigneur allemand, frère du Landgrave de Hesse, qui s'étoit converti ici, » et que le Pape fit chevalier et grand-croix de Malte, et on croit « qu'il le vent faire grand-prieur d'Allemagne. M. Golstenius avoit contribué à son institution pour la conversion; c'est pourquoi « M. le cardinal Barberin l'envoya avec lui. » Nec horum ullus est notandus: etenim his titulis promiscue linguæ vernaculæ consuetudo abutitur. At Mollerus erravit Cimbr. t. III, p. 524 Ernestum vocans qui Fridericus erat vocandus. Vide et Addenda.

tissimus mihi exemplar illud abs te transmissum concesserit (1); ego e contra alterum exemplar Stirpium Canadensium (2) ipsi reddidi, quo se munere amicum aliquem donaturum dixit: interim pro utroque gratias tibi maximas ago, uti etiam de Scriptoribus Francicis (3) quos me impetraturum spero. Vitas Pontificum a Chesnæo (4) editas a Cramoisy petam, viro diligente et mei amantissimo: magnum hoc et luculentum argumentum, quod hactenus non nisi suspenso brachio tractatum ab iis qui sua potius fucare, quam antiqua priscæ simplicitatis monumenta edere malunt. Sed de toto hoc opere prolixior em aliquando ad te designationem mittam, ubi diligentius per otium Vaticanos codices perquisiverim. Nunc enim totus sum in conquirendo; et hoc ipso die ex Casinensi bibliotheca Vitam S. Clementis a Joanne Diacono et Gaudericō Velitrensi episcopo ante DCCC annos scriptam accepi. Prodromi Coptici et Porphyrii (5) exemplaria cum aliis aliquot libris prima occasione maritimi Itineris accipies; interim, eminentissimi cardinalis jussu, mitto duo exemplaria Poematum Summi Pontificis (6), correcta jam diligentius, quamvis non ea fuerit errorum seges, quam tibi eminentissimi cardinalis literis persuasum videtur; quod folia aliquot mutata non tam propter errores factum, quam quod auctor secundas curas nonnullis in locis ad-

(1) *de Amm.*—concesserit: cf. p. 274.

(2) *Stirp. Canad.* Cf. p. 275.

(3) *Script. Franc.* Cf. ib.

(4) *Vitas—Chesnæo*: cf. p. 280.

(5) *Prodr.—Porphyrii*: cf. p. 275.

(6) *Poem. S. P.* Cf. p. 278.

hibuerit. Gaudeo tamen hanc tibi occasionem fuisse exhortandi eminentissimum nostrum patronum ad Vaticanam typographiam instaurandam (1), quamvis parum te profecisse existimem, non quod animus ipsius cardinalis, cupidissimus gloriæ et studiorum amantissimus, ab hoc consilio abhorreat; sed quod ii quorum opera rem istam peragi necessum est, difficultates insuperabiles undecumque proponant, quasi Apostolicæ Cameræ res illa immenso oneri futura sit. Tibi vero facile erit, occasione ex responso ejus accepta; iustare iterum, et rem pressius urgere. Sane nunc in eorum manus typographia Cameralis devolvetur, qui, cum nullam aut publicæ aut privatæ famæ rationem habeant, sed turpissimo lucro sint obnoxii, multo eam pejus tractabunt, aut affligerent potius, quam hactenus a Brugiotto (2) factum. Sane incredibilis horum homirum est imperitia qui formas componunt, quia cum Latinam linguam ignorent penitus, neque artem suam satis calleant, tot erroribus chartas singulas implent, ut vel Argum ipsum multiplicitate fallant; et scis artem illam correctoriam hominem peculiari huic operi intentum requirere. Ubi distracta fuerit editio hæc poematum Pontificiorum, prodibit alia majori charactere, et, si fieri poterit, eo quo Hospitalii Epistolas Rob. Stephanus vel Henricus (neque enim satis recte memini (3)) in folio minori Parisiis jam olim excedit: ibi tituli et argumenta

(1) *Vat.—instaurandam*: cf. p. 277.

(2) *Brugiotto*: cf. p. 278.

(3) *Hosp. Epistolas—memini*. Prodiere apud Mam. Patissonium an. 1585.

atque indices foliorum et versuum minio exprimi poterunt (1); quamvis exemplum illud duorum foliorum abste transmissum eminentissimo cardinali nostro non usque adeo arrideat, ut imitandum existimet: sed interim dum novus ille character parabitur, cogitandi spatium erit.

Exemplar illud vetustissimum XII Prophetarum ex Græcia a Neophyto Rhodino, sacerdote Cyprio, ecclesiarum Episcoporum moderatore, allatum, et eminentissimo cardinali nostro oblatum cum scripserim, satis ab exemplari Rupisfocaldeo (2) distinctum existimavi; neque enim hactenus esquam in Italia aut Galliis nostrum hoc visum fuit, quod in remoto Epiri angulo delituit. Scriptum est in folio latrio, et ferme codices antiquiores solent, et quidem textus ipse literis majusculis. Primo loco habentur XII Prophetæ Minores cum commentario Theodoreti, et notis quibusdam marginalibus ex Cyrilli majoribus commentariis excerptis. Sed notæ illæ marginales ad pauca folia producuntur: cum enim scriptor librarius notis illis se praepediri videret, quomodo lectionum sive interpretationum varietatem in margine e regione textus poneret, post aliquot folia eas plane omisit. Post XII Minores, sequitur textus Prophetæ Esaiæ, sine ulla commentariis aut scholis, sed collatus semper cum reliquorum interpretum versionibus, ita ut ex hoc codice larga annotationum materies decerpi possit. Sed liber Esaiæ et capite et fine mutilus

(1) *minio expr. pot.* Cf. p. 271.

(2) *exempl. Rupisfocaldeo;* alias Rupifocaldiano, vulgo *Man. de la Rocheſoucauld*, a quo varietas lectionis ad Esiam adjecta fuit Polyglotte Waltonianæ; cui editioni profuit et codex ille Barberinianus XII Min. Prophetarum: cf. Fabr. Bibl. Gr. t. III, p. 679.

est : incipit enim a versu 6 capitilis 26, et desinit in versum 17 capitilis 66. Sequitur inde Prophetia Jeremiæ et ipsa ἀκίφαλος : incipit enim a versu 19 capitilis 5. Textui eodem modo magna aliarum interpretationum varietas appingitur ; sed interseritur singulis capitulis luculenta explicatio , quam Olympiodori (1) esse docet nota hæc in calce libri : ἐπληρῶθη σὺν θεῷ τῶν κατακεφάλαιον σχολίων εἰς τὸν μακάριον Ἱερεμίαν τὸ πονημάτιον τοῦ μακαρίου Ολυμπιοδώρου Διακόνου Ἀλεξανδρείας χειροτονίας Ἰωάννου Ἀρχιεπίσκοπου Ἀλεξανδρείας Νικιάτου. Subjungitur ultimo loco liber Prophetiarum Ezechielis, collatus cum reliquis interpretibus , cum scholiis satis prolixis *in diaφόρων εξηγησιῶν*. Sed et hujus libri finis vetustate absumtus. Magnum haud dubie operæ pretium foret conferri novam Theodoreti editionem (2) cum hoc codice , cui utinam similes alii in lucem protraherentur ! Mittam specimen collationis , ubi scriptoris copia mihi fuerit , qui meum exemplar transcribat. Quæ P. Fronto Duceus (3) in editionem Romanam LXX observavit , Parisiis adservantur , et accurate olim de iis mihi narravit optimus ille et doctissimus Sirmondus (4) : nec pauciora ab aliis fuere observata. P. Andreæ Schotti exemplar multis notis ex veterum interpretum lectione interstinctum Patres Antuerpienses reti-

(1) *Olympiodori* : cf. Fabric. B. Gr. t. X , p. 628.

(2) *Theod. editionem*, factam a P. Sirmondo : cf. Fabric. B. Gr. t. VIII , p. 285.

(3) *Fronto Duceus* : cf. p. 57. — Editionem versionis Gr. Bibliorum molitus fuerat : cf. Fabric. l. c. t. III , p. 685.

(4) *Sirmondus* , quem jam sæpius nominavit , et de quo cf. Lambecium infra ad Epist. Nostræ datam d. 8 oct. 1646.

nens. Lanselius (1), ejusdem Societatis theologus pereruditus, bis mille loca ex SS. Patrum scriptis se annotasse scripsit, quibus editio Romana a LXX vera interpretatione discrepat. Is per literas aliquando mecum egit ut Romanum evocaretur, ubi se viris doctis observationes suas probaturum confidebat. Cumque sedulo hac de re egisset cum eminentissimo cardinale nostro, atque is rem ad Generalem Societatis retulisset, respondit ille se non permissum, ut ejus Societatis theologi manum admoveant Sixtinæ editioni corrigendæ vel interpolandæ; omnia quæ ex ipsorum officina proficiscuntur malo quodam sæculi genio cunctis suspecta esse; ideoque exosos esse labores societatis, neque quidquam ad odii summam restare, quam ut textum Biblicalum interpolasse crederentur. Longum foret recensere quæ reposui tunc temporis, et quam sedulo Lanselium evocandum persuadere tentaverim, sed frustra: neque desisto pro re nata iterare hoc consilium meum et urgere apud eminentissimum meum patronum eo potissimum argumento, quod certo metuendum sit, ne quando docti aliquot viri inter hæreticos laborem istum conferendi in sese suscipiant, et negotium cum magna catholici nominis invidia perficiant; cum præ oculis manibusque omnium sit, quid unus Drusius (2) in hoc genere præstiterit; et vereor ne nova Patricii Junii (3), viri doctissimi et accu-

(1) *Lanselius*, de quo Saxius Onom., t. IV, p. 254.

(2) *Drusius*, Joannes, cujus plurimi sunt libri quibus versio Septuagintaviralis et veteres Bibliorum interpretes diligenter et eruditissime illustrantur, quorumque recensum instituit Paquotius, t. V Memoriarum.

(3) *Petr. Junii*, de quo p. 129. Editione quam promiserat codicis Alexandrini careamus: cf. Fabric. Bibl. Gr. t. III, p. 679, 685.

ratissimè, editio vel invitis catholicis banc necessitatem imponat; videtur enim Britannica illa editio Romanæ fidem omnino abrogatura. Codicem illum non Regiae, sed Cottonianæ bibliothecæ, qui librum Genésis (1) complectitur, sæpius vidi, et ipsius Frontonis testimonium (2) propria ejus manu scriptum in fronte libri legi, quo antiquitati et præstantiæ ejus insigne testimonium perhibet. Quod de corroso ejus libri scriptura notas, idem in Virgilio vetustissimo Vaticanæ (3) bibliothecæ, eodem modo encausti acrimonia pereso, conspicitur. Sed ut ad Biblicas observationes redeam, vivit hic in Urbe Vincentius *Richardi* (4), Clericus Regularis, vir probus, et bene doctus Sacras et Græcas literas, cuius tu Cantacuzenum (5), ni fallor, jam dudum vidisti in Canticum Canticorum, ut et Procli (6) Patriarchæ CP<sup>ai</sup>. opuscula; idem ille magnam habet notationum farraginem ad textum Vaticanum, ita ut ex tot doctorum virorum laboribus in unum collatis editio vera LXX luculenter instaurari posset, nisi animus illorum penes quos auctoritas est ab hoc consilio abhorreret.

Auctores illos Græcos in Commenitorio (7) Ludovici

(1) *Cottonianæ—Genesis*. Hujus codicis varietate ornata est Polyglotta Waltoniana: cf. Fabric. l. c.

(2) *Frontonis testimonium*. Nam hic liber Oxonip fuerat Lutetiam ad Frontonem missus, parario Peirescio: cf. Gassendium supra laudatum p. 37.

(3) *Virgilio—Vatic.* Cf. p. 221.

(4) *Richardi*, de quo Saxius On. t. IV., p. 311..

(5) *Cantacuzenum*: editum Romæ an. 1624.

(6) *Procli*, editi Romæ an 1630.

(7) *Commenitorio*: supra p. 266.

Elzevirii a me notatos ipse apud me vidit editioni ferme omnes jam paratos. Porphyrii omnia opuscula collecta habeo, præter ea quæ in Ptolemæi Musica et Τετραβλον scripsit. Dubito enim utrum et hæc reliquis adjungenda; neque enim Commentarius ille in priora quinque capita Ἀρμονικῶν sine Ptolemæi textu integro cæterisque Pappi commentariis edendus videtur; uti nec Ἐισαγωγὴ illa εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν Ptolemæi seorsim absque ipso Tetra-biblio produci poterit. Idem fere de introductione in Organum Aristotelis sive de libello de Quinque Vocibus judico: de quibus tamen libenter tuam expectabo sententiam. Libellus ille τῶν Ἀφορμῶν (1) multis locis mutilus est, et melioris codicis auxilio eget; quo circa rogo ut si quid ab amicis vel ex Regia vel aliis ex bibliothecis nancisci possis, id nobis suggeras. De cæteris auctoribus a me recensitis longum foret scribere, mallemque coram meos tibi exhibere labores, et judicium tuum experiri: tu interim vide nunc qua juvare institutum meum possis;

(1) *Libellus—Ἀφ.* Quem edidit Holstenius post Vitam Pythagoræ Porphyrianam. Baratus, in Bibliotheca Selecta Nova, t. I, p. 4, ait Holstenium Porphyrii libros de Abstinentia edidisse Cantabrigiæ an. 1665, errore gravissimo, quem, supra p. 20, et in Jonsio, viro tamen diligentissimo, notavi. Addit Baratus p. 7. Felicianum Vitam hanc Porphyrianam Pythagoræ edidisse, sed Latine tantum, ex Græcis Eunapii et Suidæ: quæ sunt tam absurdæ et ridicula, ut nihil sit supra, esseve possit, nisi forsitan quod scripsit, p. 343, in quosdam hypercriticos: « On peut dire de ces gens-là qu'il leur « est bien plus facile de faire les momies, que d'imiter les savants « auteurs dont ils médisent; illis facile est μαμυσῖσθαι, non æque « vero μητεῖσθαι. »

quod quidem feceris, si doctis viris studia hæc mea commendaveris.

De Libanii Epistolis (1) ex Vaticana bibliotheca transcribendis neque mihi neque Buchardo (2), ut quidem ipse ait, haotenus quidquam scripsisti : ubi numerum earum quas petit Valesius transmiseris, Dormalius noster operam suam libenter tibi præstabit. Notæ ad Orationem de Templis non demoliendis haud adeo magni sunt momenti, ut iis quidquam me gratiæ apud Gotofredum (3) promeritum sperem ; tu recte eas ita attemperasti ne quem sinistrum affectum in animo ejus concitarent. Quam vellem virum doctum et, quod scripta testantur, minime malum, ex pistrino Genevensi in lucem aut Parisiensem aut Romanam protrahi, ubi majorem eruditio[n]is suæ fructum laudemque reportaret ! Eminentissimus cardinalis noster haud dubie opera ejus uteretur in *Bartolozzi*, editione : interim nihil intentatum relinquas, quod animo ejus permovendo facere possit. Strategicon d. Rohani (4) cum omni antiquitate comparandum judico, ita solide et nervose artem suam tractat : avide sane ferme totum legi,

(1) *Libanii Epistolis*. Huc confer Gass. Vit. P. p. 205 qui Orationes Libanii, non Epistolas, a Valesio fuisse requisitas scribit. Sed et habuit Epistolas : cf. Reiskii Præfat. ad Liban. p. xx, et Noster ad Lambec. Epist. extr. data 8 kal. jun. 1646.

(2) *Buchardo* : cf. p. 213.

(3) *Gotofredum*, Iacobum nempe, vulgo *Godefroy*, qui an. 1634. Libanii Orationem pro Templis Gentilium non excindendis ante ineditam vulgaverat.

(4) *Rohani*. Inuuit, Henrici Rohani ducis vulgo *duc de Rohan*, viri egregii, Gallicum opus, *Le parfait Capitaine*, etc.

ut et eminentissimus cardinalis noster ; nunc Naudæo (1), tuo jussu exhibui inspiciendum. De indice Scriptorum Militarium ex Vaticana bibliotheca (2) haud ita facile tibi mos geri poterit , cum nec mihi nec Buehardo indices evolvere liceat , neque subadjuva bibliothecæ , qui canis Aesopici instar alios tam morose arcet , huic operi sufficit ; illi enim eminentissimus cardinalis hoc negotium commisit : dabo tamen operam ut quam primum indiculus conficiatur. In Bibliotheca cardinalis nostri nihil , quod observarim , antiquorum scriptorum de hac arte extat : recentiores autem haud ita magni abs te fieri puto. Ante triduum varii Mst. codices Florentia ad eminentissimum nostrum patronum perlati fuere , in quibus præcipuus mihi videtur codex Longobardicus variorum medicorum (3) antiquorum , notaæ sane optimæ , cuius indicem quam primum conficiam , et videbo num alicujus momenti sint quæ de Ponderibus et Mensuris eodem volumine continentur ,

(1) *Naudæo* , vulgo *Naudé* , qui tunc Romæ versabatur , hocque ipso anno « de Studio militari Syntagma » edidit. De eo infra non semel : cf. Lambecius ad Nostri Epist. LXXIV.

(2) *Vaticana bibliotheca*. Hunc credo iudicem petere Peirescium , ut Naudæo gratificaretur ; tunc circa rem tacticam occupato : cf. infra p. 313.

(3) *medicorum*. Hic codex et alter qui mox memorabitur Aelianus de Animalibus , illi profecto ipsi sunt quos supra p. 131 catalogo manuscriptorum insertos extra ordinem vidiinus , jamque patet erravisse librarium qui illos cæteris adjunxerit , et vanum esse quo illum defendebam argumentum. Ergo verba ista p. 132 , *de postremis duobus editis jam pridem* , intelligenda erunt de Cassiani Geoponicias et Codini Patriis quæ postrema sunt , illa librorum in folio & hæc librorum in quarto.

quæ in tui gratiam transcribam diligenter. Fuit inter eosdem opus *Æliani Græcum de Animalibus* scriptum manu eleganti, quod non sine fructu cum edito conferri posset. Epistolicam dissertationem de lingua veteri Hispanorum, et de præcipuis ejus linguae scriptoribus, dn. Vincentii Nogueræ (1), cum mea manu describere cogerer, superiori cursore mittere non potui; tu pro tua humanitate moram excusabis. Auctorem tibi notum esse existimo, virum sane humanissimum et qui cum præcipua nobilitate summam eruditionem conjunxit, et quidem tales ut Hispania æquis oculis animisque tantum splendorem ferre non potuerit: judicium homini summum et exquisitissimum, omnium linguarum peritia accurata ad miraculum usque, ut *Moralibus*, *Resendiis*, *Nunnesiis*, *Pintianis*, *Vivis*, et præcipuis ejus gentis hominibus accenseri jure possit. Si quid præterea hujus generis ex ipso scire desideres, recte feceris si ipsum per literas compelles, cum tuam amicitiam anxie affectet: haud sine fructu inter vos commercium erit. Literas *Slegelii* (2) nostri ad Laugeriū

(1) *V. Nogueræ*, cuius meminerunt Noster ad calcem Epist. XLVII; Gassendius V. Peir. p. 196, illum vocans Lusitanum nobilem; et Is. Vossius in Syll. Burmann. t. III, p. 627, cui eques Lusitanus, vir probus doctusque dicitur. Inter *Judicia*, post Thuani Historiam t. VII, p. 82, legenda est longa epistola Vincentii *Nogueyra*, nam sic nomen effert ipse, ubi multa super se narrat studiisque suis. De Cantabrica, ut videtur, lingua exstabant literæ Peirescii ad Nogueyram, teste Buchardo in Laudatione Peirescii p. 272. Illi præfationem Quæstorum per epistolas Fort. Licetus inscrispit. Plura forte de hoc docto viro præbebit Barbosæ Bibliotheca Lusitana qua careo.

(2) *Slegelii*: codex alter *Hegelii*. Cf. p. 273.

medicūm, ni grave est, transmitti cures, qui cum vix tandem ex gravissimo morbo convalescerit Patavium proficiat cogitat. Literas tuas ad me h̄is velim adjungas, quas ad eminentissimum cardinalem nostrum scribis; nec opus est vel ad dn. Puteanum (1) vel Bonarium (2) eas mitti, cum ego tuas ferme semper resignem et ipsis transmittam, qui meas deinde s̄epe intra octiduum ad me non remittunt. Vale, ill. domine, et me tui subsequentissimum amare perge. Romæ a. d. vii martii MDCXXXVIL A. t. devinetissimus servus LUCAS HOLSTENIUS.

## XLVII.

## FORTUNIO LICETO (3).

QVUM ex Melitensi itinere (4) ad Urbem rediisse, pro adventorio mihi oblati fuere duo fœcundissimi tui ingenii partus, quibus *Liliorum* (5) nomen imponere vo-

(1) *Puteanum*, equitem *del Pozzo*, de quo cf. p. 219, et notatis ipsius nominis Latinis versionibus addo nunc et Buccardi aliam, cui, in Peirescii Laudatione p. 272, vocatur *Cassianus Putealis*.

(2) *Bonarium*: cf. p. 225.

(3) Ex Liceti Quæsitis per Epistolas p. 2. Epistolæ hoc præmissum est argumentum: « De Pythagorico symbolo vasis acetarii, sive acetabuli, sive ollæ acuminatæ remotionem jubente. » Symbolum hoc Pythagoricum explicuerunt Jamblichus Adhort. p. 334; Dacierias, *Vie de Pyth.*, t. I, p. xcij; Licetus in responso ad Nostrum: Cf. Kiessling. ad Jambl. l. c.

(4) *Melit. itinere*: cf. p. 287.

(5) *Liliorum*: « *LILIUM majus*, sive de natura assistente dialogus. — *LILIUM minus*, sive de anima ad corpus physice non propensa, dialogus. »

laisti : in quo miratus sum consilii tui rationem, quod libros multiformi sapientiae fructu refertissimos florum nomine inscripsisti, qui, ut amabili candoris specie oculos oblectant, ita odore graviori plerosque offendunt ; nisi forte quum amicum et vernaculum veritati eandorem praestiteris, de cætero haud sollicitum te esse significare volueris. Sed o felicem ingenii tui hortum, qui ejusmodi flores gignit, ad quem laboriosissimi aliorum fructus meræ videantur paleæ et retrimenta ! Deumque precor ut leni benignioris fortunæ aura eum fovere perget, ut in similes florum delicias porro exuberet. Sed quid de Epei Securi (1) dicam perspicacissimo mentis tuæ acumine admentata ? Nam et hæc nuperrime adeo tuo munere ad me venit. Ita ergo tibi certum est criticorum acumen, hoc est, cornicum ocalos configere ? An vero Delphico tripodis insedisse credendum est, qui tanta facilitate omnes veterum ambages et ænigmata explicas ? Proinde haud ægre feres, vir clarissime, si et ego lucem mihi expetam ab eruditionis tuæ splendore in obscuro Pythagoræ symbolo hactenus mihi, forte et aliis, non perspecto : de quo ut tuam mihi sententiam exponere non graveris summopere rogo. Symbolum hoc apud Jamblichum exstat lib. 2 de Secta Pythagorica pag. 141 (2) : τὴν ὥξιδα ἀποστέφειν ἀπὸ σαυτοῦ πρὸς ὃν γὰρ ἀν τύχη ἵπειραμιένη, ἐπίλυπτος ἔσαι. Quo loco interpres ὥξιδα vas acetarium sive acetabulum explicat, fortassis haud male ; idque Pythagoræ sibi appo-

(1) *Ep. Securi.* Innuit Liceti ad Epei Securim Encyclopediam, Bononiæ editam an. 1637.

(2) pag. 141, edit. Arcerianæ.

situm removere jubentur. Rationem adjunctam , quæ mea est tarditas , plane non percipio. Quæ enim reprehensione ad eum cui obversum est ? Ita enim illud ἐπιληπτός τοις interpres reddit. Mihi in hoc acetabulo aqua hæret , unde nemo rectius me expediet quam tua illa εύροχία. Vereor enim ne meis conjecturis indulgendo eorum reprehensionem incurram quibus acetum in naso est. Vale , vir clarissime , et me tui nominis studiosissimum amar Romæ , mdcxxxviii. Postrid. kal. apr. Nobilissimum et eruditissimum Vincētium Nogheram (1) peramanter a me saluta.

## XLVIII.

## HOLSTENII COMMONITORIUM (2)

J. MORINO ROMÆ EXEUNTI.

CLARISSIME Morine , Lucas Holstenius hoc te abeuntem rogat , ut amici ex animo tibi addictissimi mémoriām serves ; ut amicos in itinere et Parisiis salutes , hosce potissimum : Senis , Gulielmum Sohier , virum perhumandum et doctum , et illustrissimum dominum Piccolominæum (3) archiepiscopum ; Pisis , Paganinum Gaudentium (4) , virum multis libris editis clarum , qui tuo congressu vehementer delectabitur ; Liburni , Spyridonem ,

(1) *V. Nogheram*, de quo p. 297.

(2) Ex Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis , p. 295.

(3) *Piccolom.* Cf. p. 178.(4) *Pag. Gaud.* Cf. p. 153.

monachum Græcum, ecclesiae Græcæ ibidem Præfectum, Καλλιγράφον, a quo forte aliquid missorum (1) nancisci poteris; Aquis Sextiis, fratrem illustrissimi domini Peirescii (2), et cl. dominum Gassendum (3); Avenione, illustrissimum dominum episcopum Vasionensem, cuius Prænesten (4) hic edi curo; Parisiis, Puteanos fratres, viros omnibus nominibus optime de me meritos, quibus me et mea studia diligenter commendes; tum Reverendum P. Sirmondum, Petavium, Vassæum (5) et, si adsit; Nic. Riegaltium, tum dominum Cramoisy. Roges Patrem Sirmon-  
dum ut Theodoreti (6) Epistolas manuscriptas ad eminentissimum cardinalem nostrum remittat, ubi satis eo exemplari usus fuerit. Domino Cramoisy mitto indicem librorum Græcorum qui penes me sunt, quos tuo arbitratu cum aliis ab ipso editis commutabo: rem totam plenius ex ipsis literis perspicies. Cum dominis Puteanis velim agas de Vitis Pontificum (7), quas paro, et præser-  
tim de Anastasio Bibliothecario, cuius exemplar Parisiis extare aiunt ab edito longe diversum. Reverendissimo

(1) *missorum*: forte *Mssorum*.

(2) *fratrem ill. d. Peirescii*: cf. p. 89. Ipse Peirescius mortuus erat an. 1657.

(3) *Gassendum*, virum celeberrimum, et Galliæ ornamentum insigne, cuius toties Peirescianam Vitam his in notis adulisti.

(4) *episc. Vasion. cuij. Prænesten.* Suaresium toties memoratum, cuius *Prænesta antiqua* prodiit Romæ an. 1655.

(5) *Vassæum*. Nescio quis sit. Forte idem est ac *Vassanus* Fuliensis de quo p. 104.

(6) *Theodoreti*, cuius Sirmondus editionem parabat: cf. p. 194.

(7) *de V. Pontif.* Cf. p. 272.

P. Sirmondo quam commendatissima esse cupio studia mea , cui id velim persuadeas me nomini ipsius esse addictissimum. Id quoque perquiras nūm Anastasii Sinaite (1) opera Græca manuscripta meo sumptu atque aere hic transcripta , domiō Cramoisy tradita fuerint : nollem enim perire ; uti etiam collationes Hoseæ (2) Prophetæ ad antiquissimum exemplar Barberinæ bibliothecæ a me institutas , quas P. Philippæo tradendas miseram. Plura tempus vetat. Tu amantem redama , et rem feli-citer gere : sic tibi iter quod paras cæteraque omnia ex voto tuo meoque proveniant. Romæ 7 martii 1640. Tuus ex animo LUCAS HOLSTENIUS.

Dissertationes (3) ad concilium Nicænum ad illustrissimum dominum archiepiscopum Tholosatem (4) mittas , rogo , cui per Patrem Bessonem eas jamdudum promisi : iis , si commodum erit , adjungas exemplar Demophili (5) mei. Vale.

(1) *Anast. Sinaite*, de quo Fabricius Bibl. Gr. t. X, p. 571. Mollerus Cimbr. t. III, p. 339, indicat videndum Combesfium in catalogo præmisso Bibl. Patrum concionatoris , ubi Holstenium magnæ , et in suis vulgandis et in aliis ad vulgandum concedendis , morositatis insimulat : cf. Mollerus et p. 331.

(2) *Collat. Hoseæ* : cf. p. 276.

(3) *Dissertat.* Cf. p. 268.

(4) *arch. Tholosatem*, Carolum de Montchal : cf. p. 226.

(5) *Demophili* : cf. p. 267.

## XLIX.

P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO S. P. D.

LUCAS HOLSTENIUS.

Hamburgum.

EPISTOLIUM meo rogatu abs te scriptum, suavissime Petre, indolis atque ingenii tui specimen mihi fuit longe gratissimum. Facile enim perspexi quam felici pede virtutis et doctrinæ iter sis ingressus, et quam gnaviter jam spem atque exspectationem meam præverteris. Ego quamvis de tua in cœptis studiorum laboribus constantia non dubitem, cohortari tamen te volui, ut quod tua sponte te facturum confido, id meo rogatu atque etiam jussu præstes urgeasque alacrius. Et cum universum sapientiæ studium duabus potissimum partibus constet, ut animum quam maxima et pulcherrima divinarum humanarumque rerum cognitione instruas, et ut ea, quæ animo complexus es, puro et copioso sermone proferre possis, in utroque multum tibi studii ponendum existimes ad egregiam laudem consequendam, ne vel barbarem atque infantem tibi pares sapientiam, vel cassam et inanem rerum bonarum loquaci-

(1) Ex Anal. Vindobonensibus Kollarii t. I, p. 1124, et collectione Holstenii Epistolarum ad Lambecium Crugeriana p. 1. Lambecius matrem habuit Holstenii sororem. De illo, præter Saxium, vide omnino Moller Cimbriam t. III, p. 391.

tatem. Cumque omnis vera ac solida eruditio Græcis Latinisque literis sit consignata, ac proinde linguarum cognitio clavis instar se habeat, sine qua reconditas sapientiae opes fructu te aditum speres, illa nunc præcipue tibi comparanda erit optimorum auctorum lectione atque usu: usum vero maxime acquires, si multa eaque optima ex aurei sæculi scriptoribus ita legendo ediscas, ut scripturus aut locuturus semper habeas in numerato. Vale, charissime nepos, et tuæ industriæ ac sedulitatis exemplo Lucam fratrem (1) ad studiorum amorem excita. Romæ, pridie kalendas maias. A. ccccxl.

## L.

## LAMBECIO (2).

Hamburgum.

OPTIME ET CHARISSIME PETRE,

Biu<sup>m</sup> parens tuus (3) ad me misit diligentia atque industriæ tuæ specimina per mihi grata fuere. Quid enim gratius aut jucundius mihi accidere possit, quam ut ea atate, qua alii vix primos flores promittunt, jam aliquem ingenii tui fructum videam? Quocirca cohortatione mea ad te excitandum non est opus, cum adeo gnaviter in virtutis studio decurras. Hoc tantum monendum duxi, ne ita in-

(1) *Lucam fratrem*: cf. mox p. 308.

(2) Ex Anal. Vindob. p. 1125; et Crugero p. 3.

(3) *parens tuus*, Heino Lambecius, scholæ trivialis Hamburgi Jacobæ arithmeticus: cf. Mollerij Cimbria.

genii præstantiæ fidas, ut laborem studiumque te compendi facere posse existimes; quin ita potius rem putas, hæc Dei ac naturæ munera perinde nobis concedi ad studio- rum curriculum feliciter absolvendum, ut secundus ventus ad navigandum adspirat. Nam ni vela explices ventoq[ue] obvertas, et clavum prudenter moderere, haud amplius proficias, quam qui vento destitutus, remis sedulo incumbit, quem sæpius in portum appellere videas, dum alterum incuria et negligentia in vada aut scopulos impellit. Græcæ linguae studium nunquam tibi satis commendaverim: ea utramque eruditionis paginam facit. Terentium et Ciceronem semper præ manibus et in oculis habeto, ut optimos Latini sermonis magistros, quibus quanto magis delectaberis, eo te amplius in literis profecisse cognoscet. Sed hæc ex præceptore tuo (1) rectius et copio- sius intelligas; quem cum suo loco parentes tibi erudiendo præfecerint, in amoris et honoris societatem admiserunt. Vale, et me tui amantissimum redama. Romæ. A. cœœXL.  
Kal. septembr. Tui amantissimus avunculus LUCAS HOL- STENIUS.

(1) *præcept. tuo.* « Nomen illi erat Jo. Palladius. » LAMBECHVS.

LI.

DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Dalla cortesissima di V. S. ho appreso il suo felice arrivo nella patria, quello che già il mio animo avea augurato, per l'affetto che fin dal principio della nostra conoscenza sempre le ha portato; e per questo mi rallegro con V. S. che il suo viaggio doppo tanti intoppi e difficoltdi è giunto felicemente al fine. La speranza ch' io ho che V. S. sia per trovare e maggior quiete e tranquillità d'animo, e miglior fortuna a casa sua che non ha incontrata in questa corte, allegerisce il sentimento della sua partenza (2), e la perdita che ho fatto delle sue erudite conferenze e buoni consigli; frutti, l'uno, della sua profonda dottrina, l'altro, della sua sincerità e prudenza. Supplico V. S. di credere che la mia divozione e riverenza fondata sopra i suoi meriti e li miei obblighi sarà sempre la medesima verso di lei; e per tanto la prego di continuarmi il suo favore e buon affetto, del quale sempre mi saranno segni e capatre le sue lettere. Lei conosce la mia

(1) E Bandinii *Commercio Epistolico* Doniano p. 145.

(2) *partenza*. Publicatis de Musica variis doctissimisque disputationibus Donius non paucorum in aula Barberiniana hominum invidiām in se contraxerat. Cumq[ue] fratris sui casus, qui in singulari certamine vitam amiserat, rerumque domesticarum componendarum necessitas, redditum ipsius Florentiam satis excusarent, Roma abit niense decembri an. 1640: cf. Bandin. *Comm. de V. Donii* p. xcj.

curiosità e desiderio in materia delle cose antiche, delle quali lei adesso mi può appagare, e per questo li raccomando li miei Geografi e Filosofi antichi, Hierocle, M. Antonino, Arriano (1), e la Vita di Proclo (2). L'inscrizione che mandai al Sig. Carlo Strozzi (3) è copiata da quelli adversarj e originali che V. S. lasciò alla libreria di S. Eminenza (4), però differente in alcuni luoghi da me corretti, che sono contrassegnati con una righetta di sotto. Io riceverò favore particolare se lei insieme col. Sig. Carlo la riveda sopra l'originale, avendo io già finito il trattatello (5) della Prefettura *Vigilum*; e duplicata grazia riceverò se V. S. dalle sue inscrizioni si deguerà di mandarmi alcune non stampate che concernino questa matèria. E per fine con l'occasione della prossima festa di Natale, auguro di nuovo a V. S. ogni felicità e contento. Roma, li xxii dicemb. MDCXL. Di V. S. molto illustre affezionatiss. e oblig. servitore LUCA HOLSTENIO.

Questa sera il Sig. card. mio padrone è stato a visitare madama l'ambasciatrice di Francia, e questo è il compimento dell' aggiustamento. Non sò se questo sia per accelerare la promozione, stando le cose ancora aperte con Spagna. Mons. Buccard (6) si aggiusta, e credo che a lui toccherà la buona fortuna.

(1) *Hierocle—Arriano* : cf. p. 266.

(2) *Vita di Proclo*, Marini : cf. p. 94.

(3) *Strozzi* : senator suit Florentinus, de quo cf. Bandini, l. c. p. xxiv.

(4) di S. Eminenza : Franc. Barberini.

(5) *trattatello*. Hoc opusculum ineditum est.

(6) *Buccard*, melius scripsisset *Bouchard* : cf. de illo homine p. 213.

## LII.

**OPTIME INDOLIS ADOLESCENTI (1)**

**P. LAMBECIO SORORIS FILIO**

**LUCAS HOLSTENIUS S.**

Hamburgum.

QUAM gnaviter seduloque studiis incumbas , charissime et jucundissime Petre, et parentum commendatio et tuæ literæ testantur. Hæ sane luculentum diligentiaæ specimen exhibent , unde facile perspicio , quam læta incrementa in dies studia tua capiant. Neque est quod te satis tua sponte concitatum extimulem , cum etiam vota mea viceras ; id saltem moneo , ut , cum nascendi series medium te inter Joannem (2) et Lucam (3) fratres collocarit , sedulo des operam ut alterum presso vestigio subsequaris , alteri ipse exemplum præbeas , quo ad studiorum curriculum alacrius excitetur. Itaque turpe tibi futurum existimes , si vel alter longius te a tergo relinquat , alter antecedentem occupet ; quod quidem facile cavebis , si ita tempus colloces in studiis , ut nunquam ocio vel

(1) ex Anal. Vindob. t. I, p. 1127 ; et Crugero p. 6.

(2) *Joannem.* « Vide de eo lib. I horum Commentar. p. 11. »  
**LAMB.** Commentariorum nempe de Vindobonensi bibliotheca.

(3) *Lucam.* « Obiit is præmature an. 1661 d. 4 maii , cum , proxime præcedenti anno 1660 d. 10 jan. Patavii philos. et medic. doctor creatus , ex Italia domum rediisset. Vide etiam Catalogum librorum a me editorum num. VI, p. 7. » **LAMB.**

inceptis indulgeas : æque enim male pereunt bona horæ aliena quam nihil agendo. Tu sæpius ad mē scribe , atque id cura ut in scriptione veterum auctorum , Terentii , Ciceronis ac Plauti , imitatio aliqua eluceat. Vale. Romæ postrid. id. februarii ccccxxli.

## LIII.

DONIO (1):

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE, MIO PADRONE OSSERVANDISSIMO,

L'ULTIMA di V. S. mi venne per mano del signor Gronovio (2) che , alcuni giorni sono , giunse felicemente qui a Roma. E benche la dottrina et il buon tratto di questo gentiluomo è tale , che , anche senza raccomandazione , facilmente ritrovi adito appresso ogni uno , che fa stima di erudizione e virtù , nondimeno godo assai che egli così a pieno abbia goduto li frutti della gentilezza di V. S. , ed io ne professo grandissimo oblio per la cortesia usatagli da V. S. , et ad intuito d'essa anco da quelli altri signori de' quali si loda molto. Gli è parsa alquanto strana la gran strettezza , che ha trovato per poter confrontare alcuni autori. Non sò se sia per trovare maggiore sodisfazione qui in Roma , dove manco non si allargano troppo quelli che han simili tesori sotto la guardia loro. L'emi-

(1) E Bandinii Comm. Doniano p. 146.

(2) Gronovio. Jo. Freder. Gronovius, Latinarum literarum lumen et ornamentum , qui tunc studiorum causa peregrinabatur : cf. Bandini l. c. p. xvij.

mentissimo signor cardinale nostro padrone li ha concesso l'uso libero di quanti Ms. sono nella sua libreria. Ora sta (1) tutto immerso nel confrontare alcune Decadi di Livio. Io ricordo a V. S. il riscontro di questa inscrizione de' signori Guicciardini; e là supplico di guardare se in quella libreria di S. A. fosse qualche esemplare di Chalcidio sopra il Timeo, e riceverò favore se lei mi nota l'ultime tre o quattro parole, per vedere come finisca, se per sorte vi fosse la seconda parte che fin hora non si è veduta, la quale io trovo citata da Francesco Patrizio. Come anco la prego di guardare la Vita di Proclo scritta da Marino suo successore, ch'io son certo, che vi sia (2), per una nota che mi lasciò un gentilhuomo Francese che la vidde, e di accennarmi pure l'ultime parole del fine; perche, essendo intiera, manderò a V. S. un pezzo della mia copia dove è quel luogo guasto che io desidero supplire o correggere. Qui stiamo senza novità alcuna, nè si parla di promozione, la quale, secondo il parere de più pratici, potrà prolungarsi con queste nuove turbolenze che giornalmente nascono per il mondo. Io stò con sommo desiderio di sentir qualche nuova dell' aggiustamento delle cose di V. S., acciochè poi con maggior tranquillità d'animo possa mettersi a produrre alla luce le sue erudite

(1) *sta.* Editio V. S. ora *sta*: quod correxi.

(2) *vi sia*: nec fallebatur; et ipse de hoc codice retulit in catalogo biblioth. Mediceæ inserto Lilienthalii Selectis t. I, p. 112, ad quem locum conferenda sunt omnino quæ notavi in Praesatione ad Marinum p. xijj. Catalogus ille Holstenianus, si lemmati fides, confectus an. 1640 fuit, falsa temporis notatione; quippe quem esse recentiorem ex hac Epistola palet.

fatiche. L'Accademia nostra Greca (1) con la partanza di V. S. è andata a monti, o più tosto in desuetudine per le altre più urgenti occupazioni dell' eminentissimo signor cardinale mio signore; e mi ha accennato alcune volte S. E. di volerla ridurre in qualche congresso più familiare in casa sua. V. S. mi farà favore di bacciar le mani al signor Carlo Strozzi (2), il cui fagottino de' libri è arrivato a salvamento, e credo che S. Emin. già li abbia risposto. Ed io per fine riverisco V. S. con vivo e cordiale affetto, come suo divoto e obligatissimo servitore.  
Roma li xvi di febbraio MDCLXII.

## LIV.

## DONIO (3).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRON OSSERVANDISSIMO,

Non prima di oggi ho ricevuto le due gratissime di V. S. ed in una di quelle il riscontro del passo scorretto nella Vita di Proclo (4). Sono già tanti li suoi favori verso di me, et all' incontro li miei obighi verso di lei, che altra dimostrazione ricercano che nudi ringraziamenti di parole; nondimeno con questi sola ora bisogna ch'io testifichi la mia pronissima divozione. Il codice, per quanto vedo, che ivi si ritrova, non può esser molto antico, es-

(1) *L'acoad. nostra Gr.* Academia Basiliana de qua notavi p. 268.

(2) C. Strozzi : cf. p. 307.

(3) E Bandinio ibid. p. 147.

(4) *Proclo* : cf. p. 310.

sendo confuso e guasto; però è molto meglio del Vaticano ch'è recente e scorrettissimo, et, oltre a certi altri miglioramenti che da quel confronto posso cavare, quello è il principalissimo che mette il segno in che si ritrovava la luna (1); poiche questo mi può servire per ritrovare il tempo esattamente chè cerco (2), e per aggiustare poi tutto il resto: nè mancherò di professar publicamente chi sia l'autore di questa correzione tanto utile per aggiustare la cronologia di quel secolo. Con la prima occasione che si presenterà, manderò alcuni esemplari del mio Demophilo (3) insieme col Sallustio (4); e godo assai d'intendere de V. S. che ivi siano persone, che di questa dottrina antica si dilettano. Spero che il Sig. Gronovio già sia ritornato, e di nuovo supplico V. S. di aiutare l'onoratissimo desiderio di quell'erudito gentiluomo, acciochè possa confrontare con qualche sua commodità quel Seneca tragico (5), tanto antico e tanto da lui celebrato: e la gentilezza e bontà di questo signore accompagnata di si eccellente ed esquisita erudizione merita d'esser aiutata da ogni uno. Il Chalcidio che V. S. scrive, è il medesimo con quello che va in stampa, che finisce

(1) *la luna.* Vide Marinum §. 35, p. 28, meæ recensionis.

(2) *cervo.* Quærebat nempe, puto, tempus quo Proclus natus mortuusque fuerat: quo de argumento vide Fabricii Prolegom. ad Marin. p. xxiv, et notas meas p. 138.

(3) *Demophilo:* cf. p. 302.

(4) *Sallustio;* qui cum ipius Observationibus Romæ prodierat an 1638.

(5) *Seneca Tragico:* cf. Frid. Gronovii præfationem ad Senecæ Tragœdias.

con le medesime parole. L'inscrizioni Asiatiche devono esser preziose, e si anno tanto più da stimare quanto manco speranza vi è che da altri mai siano osservate, e percio godo che siano cascate in così buone mani. Il trattato in lingua Dorica περὶ ἀγαθοῦ καὶ καλοῦ senza nome d'autore è stampato con li altri fragmenti de' Pythagorici, dietro il Diogene Laertio del Casaubono (1), ma talmente scorretto che a quel grand'uomo non bastasse l'animo di tradurlo : meriterebbe di confrontare alcuni luoghi principali, per veder se quel manoscritto possa giovare a restituirlo. L'Istoria Filosofica di Galeno pure è stampata, benche al mio parere non sia di Galeno, come già scrissi nella Vita di Porfirio (2). Di Asclepiodoto non ho trovato mai cosa alcuna concernente le cose militari, quando feci quell' indice (3) degli Scrittori Tactici per mons. Naudé, che egli mette nel suo *Syntagma*, se per sorte non sia qualche fragmento solo. Il Salmasio ora ha per le mani tutti questi autori militari (4), per metterli alla luce. Non mancherò di salutare tutti quei signori che V. S. mi comanda, e darò racconto al signor cavaliere del Pozzo, (5) di quanto ella mi scrive della sua statuetta di bronzo, ch'io stimo una bellissima antichità. Con altre risponderò più particolarmente, mancando mi ora il tempo. Fra tanto ringrazio di nuovo V. S. con ogni mag-

(1) *dietro—Casaubono*; et inter Galei Opuscula Mythol. p. 704: cf. Fabricium Bibl. Gr. in Catalogo Pythagoreorum voce *Mimas*.

(2) *nella V. di Porfirio*: cap. 1, p. 6, ed. Romanae.

(3) *quell' indice*: cf. p. 296; ubi de Naudæo.

(4) *Salmasio—militari*: cf. Gassend. V. Peir. p. 185, 186.

(5) *del Pozzo*: cf. p. 111.

gior affetto, e la riverisco. Roma, questi xxx di marzo  
MDCXLI. Di V. S. m. illustre affezionatiss. ed ohlig. serv.  
LUCA HOLSTENIO.

## LV.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Mostrerei di non conoscer la sincerità e schiettezza di V. S. se con ricercati pretesti volessi scusare il mio silenzio; e confessò d'aver raddoppiato la colpa, che la settimana passata lasciai partire il signor Naudeo, senza accompagnarlo di qualche lettera. Spero però che il medesimo signore avrà fatto la mia scusa, avendo egli veduto le mie occupazioni intorno l'eminente signore mio padrone. Rimandai il libretto d'Herone che mi pareva esser di V. S., che stava nascosto tra li miei, e le chiedo pardon d'avverla privata tanto tempo dell' uso di quell'autore. De' miei studi non ho che scrivere, spendendo io il mio tempo quasi in ogni altra cosa di quella che a mi piacerebbe. Ora S. E. mi ha messo per le mani alcuni volumi manoscritti delle antichità di Roma, d'onde sto raccolgendo una grandissima quantità d'inscrizioni (2), fin' ora

(1) E Bandinio ibid. p. 159.

(2) *d'inscrizioni.* Vide quae de inscriptionibus ab Holstenio collectis monet Mollerus Cimbr. t. III, p. 342. Adde Nostrum Epist. LVI, p. 317. Lepide Is. Vossius in Syll. Burm. t. III, p. 574: « Vidi etiam aliquot inscriptionum spicilegia apud Holstenium; sed « ab illo nihil posthac sperandum. Differt ille, credo, omnia sua in « adventum Messiae Judeorum. » Cf. ib. p. 568, 577.

nè vedute nè stampate, e sarà tutta la raccolta di più che d'un quinterno di carta. Questa fatica mi da occasione di parlar spesso con S. E. della raccolta di V. S., che in vero S. E. desidera sommamente che si mettesse alla luce, esibendosi di voler concorrere alle spese per promover tal opera, che con questa aggiunta che ora si raccoglie, e con quella di monsù *Buccard* (1), si accrescerebbe quasi per la metà. V. S. mi accenni quello a chi se risolve, che non mancherò di portare appresso S. E. con ogni suo vantaggio. La morte di monsignor *Venturi* (2) a me è dispiaciuta grandemente, considerando la perdita che io in particolare ho fatto d'un mio tanto padrone, e molto più quella che anno fatto tutti quei signori letterati di Firenze, ch' egli col suo patrocinio portava appresso quelli Serenissimi Principi; oltra ch' io in lui solo ho riconosciuto quasi le reliquie dell' antica scuola del gran *Vittorio* (3), in modo che ora quel lume antico in questa ultima favilla interamente pare estinto. E tanto maggiori saranno li meriti di V. S., risuscitando lei le scintille di quella buona dottrina nella sua patria, dove è tanta abbondanza de' belli e spiritosi ingegni. Oggi poi si è aggiunta anco la nuova della perdita del signor *Galilei*, che già non riguarda solamente Firenze, ma il mondo universo e tutto il secolo nostro,

(1) *Buccard*: cf. p. 307.

(2) *Venturi*. Franciscus, puto, Venturius, episcopus S. Severi, de quo vide Allatii Apes p. 155; et N. Erythraei Pinacothecam alteram, ubi *Ventura* vocatur.

(3) *Vittorio*. Vulgare nomen magni illius P. Victorii sicut *Vettori*.

che da questo divin uomo ha ricevuto più splendore che quasi da tutto il resto de' filosofi ordinarij. Ora cessata l'invidia, si comincierà a conoscer la sublimità di quell' ingegno, che a tutta la posterità servira per scorta nel ricercare il vero tanto astruso e seppellito tra il buio dell' opinioni. Raccomando a V. S. quel confronto d'Antonino (1), e la supplico di ricordare a tutti quei signori la mia servitù con un cordial saluto, e di continuarmi l'onore della sua amicizia, mentre io dal cielo li prego ogni felicità e contento. Roma, li xviii gennaro MDCXLII. Di V. S. molto illustre devotissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## LVI.

## DONIO (2).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRON MIO OSSERVANDISSIMO,

In questo punto mi vengono le gratissime di V. S. de' xxviii di maggio, che con viva espressione mi confermano l'antico suo affetto e la continuazione de' suoi favori, alli quali non mancherò mai di corrispondere, se non con li effetti che la mia debolezza non mi permette, certamente con tutto l'animo, ch' è quel solo che posso promettere. Non vorrei che V. S. si mettesse in pena per il confronto di quell' itinerario (3), non aven-

(1) *d'Antonino*, ex Itinerario : cf. pagina hæc extrema.

(2) E Bandinio ibid. p. 163.

(3) *itinerario*, Antonini.

done io fretta o premura alcuna : perciò leſ attenda pur la commodità di quelli signori e la sua propria. Circa l'inscrizioni lasciate da monſù *Bucciard* (1) non ho per adesso che rispondere ; poiche quelle sono mandate alla sepoltura della nostra libreria, *ubi, ut cætera ejusmodi, οὐτε ἐν λόγῳ οὐτε ἐν ἀριθμῷ habentur*. Parlerò col signor Carlo Moroni , nè vi sarà difficoltà di ricuperarle, o per il manco di averne copia. Vorrei che V. S. mi accennasse qualche contrassegno di cognoscerle e distinguerle dalle altre ; poiche tutte quante stan legate in un fascio. Io doppo il mio ritorno da Firenze , ebbi occasione di far buona raccolta , ed ogni dì mi vengono delle nuove per le mani : come perappunto ieri ebbi una buona raccolta cavata da diversi luoghi per tutto il paese de Marsi. Piacesse al Cielo che V. S. cominciasse a stamparle ; li manderei volentieri tutte quante , che fin ora ho messo insieme. Io ora sto intorno a certe cose de' Santi Padri Latini (2) , che fo stampare alle spese mie ; poichè la mala congiuntura de' tempi non mi permette di stamparne altre più al gusto e genio meo. Il signor conte Ubaldino (3) sta fuori d'Ur-

(1) *L'inscriz.*—*Bucciard* : cf. p. 307.

(2) *Padri Latini*. Ianuit , « Codicem Regularum quas SS. PP. « monachis et virginibus sanctimonialibus servandas præscripsere , « etc. » editum Romæ an. 1661. Cf. Epist. LXVII.

(3) *Ubaldino*. Fridericus Ubaldinus unus e cardinalis Barberini familiaribus : cf. Bandinius ibid. p. xxvij; Gassendius , V. Peir. p. 196; Buccardus in Laudat. Peirescii p. 272. Edidit Francisci de Barberino poema , de quo p. 273. Ipsi Juvenilium Feriarum cap. tertium inscripsit P. Servius. Cæterum tunc seruebant inimicitiae inter S. P. et Magnum Etrurie Ducem , ad armaque deuenitum est : vide Bandin. ib. p. cij.

bino, e fa il commissario di guerra; et ho paura che anco a noi altri converrà di far il soldato. A me per molti capi dispiacciono queste rotture; ma forte il più principale è che impediscono queste fazioni ch'un galantuomo non possa da per tutto corrispondere alli obblighi e debiti suoi, che ad un animo onorato è cosa molto fastidiosa. Supplico V. S. di riverire umilmente a nome mio tutti quelli; e, se è lecito di desiderar tanto, di ricordare la mia devotissima servitù al sereniss. Principe Leopoldo (1), se però a quello qualche commoda occasione a V. S. si offerisce, che Dio-feliciti. Roma li vi di giugno MDCXLIII. Di V. S. molto illustre affezionatissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## LVII.

P. LAMBECIO

NEPOTI MEO CHARISSIMO (2)

L. HOLSTENIUS S. P. D.

Hamburgum.

BENE sit optimo principi (3), cuius humanitati etiam literas tuas exoptatissimas deboeo. Fuit hæc coronis beneficiorum, quæ ab ejus benignitate in me profecta sunt plurima, quod visere ad vos dedicatus non fuerit. Ego

(1) *P. Leopoldo*, Principi Mediceo.

(2) Ex Anal. Vindob. t. I, p. 1128, et Collect. Crugeriana p. 8.

(3) *principi*. « Erat hic Fr. Carolus, Saxonie Inferioris dux Lauenburgensis. » LAMBEC.

vero indolem tuam exoscular, et animum bonæ mentis amantem non solum laudo, sed etiam extimulo et quam possum maxime cohortor, ut spretis Germanicarum Academiarum ganeis et popinis (1), quibus ingenium pariter et pudor deteritur, ad celebriores Belgii, Galliæ et Italiae scholas te conferas, et clarissimis Europæ luminibus te adjungens, iis virtutis et sapientiæ magistris utare. Non dubito quin, eodem illustrissimo principe referente, cognoris, quonam hic in Urbe sim loco, et quæ mihi meisque studiis pararim subsidia: quæ licet maxima non sint, neque ad invidiam usque opulenta, otio tamen literario cum aliquo decore sustentando sufficiunt. Est mihi ad hæc bibliotheca codicibus non solum editis, sed etiam manuscriptis, Græcis præsertim, probe instructa, quam ego cum Crassorum vestrorum opibus commutare nolim. Hæc *χρήστης κατάστημα* tua erit, ubi ad me veneris. Venies autem, si studiis tuis consultum velis, quæ nulli mortalium magis quam mihi curæ cordique erunt. Si parentes Italicæ profectioni oblitcentur, haud improbaverim, imo suaserim etiam ut Belgium primum adeas, atque inde te conferas in Galliam, uude facilius in Italianam excursus. Ubi intellexero quid consilij ceperis, submittam literas commendatitias, quæ aditum ad doctorum virorum alloquium et amicitiam tibi

(1) *gan. et popinis.* « Verba hæc primo intuitu nimis dura et rigida, non sunt generaliter et simpliciter accipienda, ac si Germaniæ Academiæ per se damnarentur, sed restrictissime, et tantum respectu perniciosissimi *pedantismi*, qui in earum nonnullis negligentia debite disciplinae invaluit, et illis ipsis, apud quos per pravam consuetudinem adhuc viget, invitus et intolerabilis est. » LAMB.

aperiant, ne plane hospes ad nos venias. Interim, dum patrio nido affixus haeres, temporis rationem sedulo abs te exigas, ne in hoc aetatis et ingenii vigore vel momentum tibi otioso effluat. In dicendi et ratiocinandi arte diligenter te exerce. Hoc enim praeципuum experiere ἄφεσον, ad superiorum facultatum cognitionem postea parandam. Terentium, Plautum, Ciceronem et Cæsarem nunquam deponas de manibus; hi linguam stylumque tibi dirigant. Græcae linguae usum quam potes promptissimum legendo scribendoque tibi redde; nunquam enim veterum sapientum adyta sine hoc adminiculo penetrabis. Vale, et, si me amas, frequentius ad me scribe. Romæ, postrid. non. nov. A. C. MDCXLIII.

## LVIII.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Rimando qui aggiunta la versione del foglio Arabico fatta dal signore Abramo Echellense (2), conforme V. S. m'ha comandato. Se non corrisponde al desiderio e gusto suo, vedrà le ragioni allegate dall' interprete nella nota che vi ha aggiunto. E credo che per sperimentare e l'uno

(1) E Bandinio p. 170 Commercii Doniani.

(2) *foglio—Abr. Echell.* De docto hoc Maronita supra p. 270. — Agitur procul dubio de codice Arabico Conicorum Apollonii Pergei, quem tunc Echellensi vertendum tradere Donius volebat, et dein tradidit: cf. Bandin. ib. p. civ, et mox Epist. sequentis initium.

e l'altro , sarebbe bene di far ricopiare l'istesso principio da qualche altra persona che sapesse scriver Arabico , perchè due diversi difficilmente concorreranno nelli medesimi errori ; ed io per questo ho ritenuto appresso di me quel foglio. Dal modo d'interpretare si vede la prontezza e esperienza grande che ha il signore Abramo di quella lingua ; e benchè egli non sia matematico *ex professo*, possiede nulladimeno li termini assai bene ; et egli s'assicura , s'avesse l'opera intera per le mani , che col legger e confrontar l'Euclide Arabico con le traduzioni fatte dal Greco , ridurrebbe l'impresa a tal perfezione che li uomini dotti nelle scienzie matematiche si potrebbero approfitare d'essa. E benchè io abbia volsuto tener celato l'autore , egli l'ha indovinato da per se ; poichè , alcuni anni sono , gli ha avuto commodità di vedere quella libreria per mezzo del signor marchese Giugni , allora guardaroba di S. Altezza. Egli stima infinitamente e loda assai i libri di teologia che vi sono ; assicurandosi che in Europa non sia altretanto di buono. Io starò aspettando quello che V. S. per parte del sereniss. principe Leopoldo sia per commandarmi , ed esso Abraamo ad ogni cenno sarà pronostissimo di venirsene a codesta volta ; poichè qui trova poca sodisfazione , essendoli levata la provvisione (1) che ebbe da Palazzo , come interprete de' Levantini ; poichè nella riforma della corte , li primi che sono stati riformati

(1) *levata la provvis.* Mortuo Urbano VIII successit Innocentius X , qui parum literarum promovendarum studiosus , viros doctos stipendiis ab Urbano datis privavit , adeo ut multi vel Roma abierint , vel adversam fortunam fuerint experti : cf. Band. p. ciiij , et Epistol. seq. p. 324.

e scassati, sono tutti i litterati, come Scioppio (1) ed altri, e nella Sapientia si sopprimeranno le letture della lingua Greca, Ebrea, Arabica, ed altre simili. V. S. faccia il pronostico. Ringrazio poi con vivo affetto V. S. per la memoria che conserva d'un suo tanto debole ed inutile servitore, e la prego di ricordare all' occasioni la mia divozione alli sereniss. Principi (2), miei signori e padroni clementissimi, assicurando l'Altezze loro che non vi sia persona nel mondo che si professi più obbligato a quella serenissima casa di me. Ed a V. S. prego ogni prosperità. Roma li iv di decembre MDCXLIV. Di V. S. molto illustre obbligatissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

Col signor Carlo Morone farò ogni diligenza che V. S. abbia risposta di questi suoi quinterni (3). Salutano caramente tutti li amici suoi di questa nostra corte, ed il signor Casoni, ed il suo Fiamengo, che ora è il *fac totum* e segretario de' Memoriali *in capite*, governando assolutamente la carica del Frenfanelli suo padrone, e fra poco V. S. lo vedrà canonico di Cambrai o Liege.

(1) *Scioppio*. De illo, præter Saxium, vide Bandinium ib. p. xxxv, qui immanem affert librorum ejus in editorum catalogum, inter quos paucissimi sunt quos ineditos esse nolis.

(2) *alli ser. Principi*: principibus Medieis.

(3) *quinterni*: cf. p. 317.

## LIX.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Nissuna cosa mi poteva capitare questa sera di Natale più grata delle lettere di V. S., mentre il servizio di San Pietro (2) mi tiene sequestrato qui in Borgo (3) lontano della conversazione d'amici. Godo che li sia venuta nelle mani la versione d'Apollonio (4), benchè già m'accorgeva che non era perdere intera sodisfazione al desiderio nè di V. S., nè del pubblico. Credo d'averne accennato la mia opinione assai chiaramente con la passata, nella quale pure persisto, che sarebbe buono di far ricopiare il medesimo luogo da qualch' altro Arabo, per chiarirsi meglio e del primo copista e dell' interprete; mentre questo pretende che vi siano commessi molti e grossi errori nella copia Arabica. Però parlerò di nuovo e per la figura (5), e per l'altro che V. S:

(1) E Bandidio ibid. p. 171.

(2) *servizio di S. P.* Holstenius fuerat ab Urbano VIII canonicatu Vaticanae basilicæ ornatus: cf. Mollerum Cimbr. t. III, p. 325; Nic. Erythræum Epist. ad Tyrrh. t. II, p. 80; Tomasinum de Tesseris p. 126; testem et exceptione majorem Holstenium ipsum in dissertatione de Pila Staffilari. Hoc fuit notandum quod sint qui Holstenium canonicum Lateranensem fuisse dicant.

(3) *in Borgo.* Hodiernum est Regionis Vaticanae nomen.

(4) *d'Apollonio*: cf. p. 320.

(5) *figura*: figura nempe geometrica quedam, que huic Apollonii folio appingebatur: cf. Epist. seq. p. 325.

mi accenna. Il P. Mersenne (1) fù l'altro giorno a visitarmi, nè mi seppe predicare altro che la gran cortesia di V. S. Resta attonito di veder la strettezza che s'usa qui con li forestieri nella libreria Vaticana, la quale ora, per l'apprensione del esempio del Contiloro (2), è cresciuta in grado supremo, in modo che per ogni bagatella ci vuole un chirografo del Papa. Sarà infelicissimo questo pontificato per questa parte, non facendosi conto alcuno di qualsivoglia sorta di lettere e dottrina. La licenza de' libri proibiti si spedirà nel medesimo modo, come la passata. Quanto alla aggiunta dei libri espressi nella lettera di V. S., non vi è speranza alcuna di ottenerla (3), essendosi così dichiarato il Papa con persone gravi, che di simil licenza l'anno richiesto, senza frutto alcuno. L'abate Castelvillano pensava di partirsene col sig. card. di Lione, che partì ier mattina; però non ha potuto essere in ordine. Non sò dire cosa certa quando sia per partire, e credo che lui stesso non lo sappia ancora. Però certo è che hora sta indirizzando tutte le sue cose a quel fine d'andarsene questa primavera in Francia. Il sig. Antonio Minutoli s'è licenziato affatto dal servizio di sua Eminenza, pochi

(1) *Mersenne*: vulgo *Mersenne*, mathematicus notissimus. — Vide Epist. seq. extr.

(2) *Contiloro*. De Contelorio supra p. 103. Adde Corsinium, qui in prefat. ad librum de Præfictis Urbis §. 12 multa de hoc homine honorifice scribit, occasione opusculi de Præfecto Urbis, quo Contelorius Thaddæo Barberino Romæ Præfecturam a S. P. concessam fuerat gratulatus. Hic Contelorii tractatus altera vice editus exstat in Thesauro Novo Sallengrano t. I.

(3) ottenerla : cf. p. 326.

giorni sono, con occasione o pretesto d'una eredità venu-tali in casa, il cui accomodamento ricerca la sua pre-senza. Nella nostra corte s'aspetta gran mutazione di nuovi offiziali e prelati. Staremo a vedere. Solliciterò il Sig. Morone (1) per il manco per qualche risposta; benchè doppo il mio ritorno a pena l'ho veduto, due o tre volte, trovandomi io occupatissimo col servizio di S. Pietro, in modo che fin ora a pena ho potuto guardare un libro. Prego Iddio di felicitar V. S., e colmar la con le sue grazie nelle presenti feste; mentre io li ricordo la mia osservanza e divozione. Roma li xxiv di dicembre MDCXLIV. Di V. S. molto illustre divotissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## LX.

## DONIO (2).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Io scrissi con l'ultima mia la difficoltà che fa il signore Abrahamo circa la copiatura scorretta di quel foglio d'Appollonio (3), e sperava che lei per chiarirci avesse di mandarci un'altra copia scritta da persona diversa, per vedere se le correzioni, che egli vi trova, siano dell'originale o del copista. Rimetterò dunque quel medesimo foglio in mano del sig. Abramo per considerare meglio quella figura (4).

(1) *Morone* : cf. p. 317.

(2) E Bandinio ibid. p. 172.

(3) *Appollonio* : cf. p. 323.

(4) *figura* : cf. p. 323.

ch' egli m'assicurava allora non aver da far nulla con quel poco di testo. Io arei caro che V. S. fosse venuto qui col signor cardinale de' Medici (1), nella cui corte tanto splendida non vi è alcuna persona di lettere, che fa ben maravigliare una gran parte di Roma; benche anco qui ora s'osserva quello stile in corte. Quelli quinterni (2) d'inscrizioni sono nella libreria di sua Eminenza, però legati in un volume d'altre simili, accolte da diversi; e questa puo' essere la causa che il signor Carlo (3) non li possa mandare li suoi: però li riparerò. Parlai delle licenze de' libri proibiti per lei ed il signor Cavalcanti (4) con monsignore Albizi assessore del S. Officio; che mi disse non esser necessario di ricorrere alla Congregazione, ma che lui le poteva rinnovare da per se. E così restarono nelle sue mani; e la colpa è mia, che non sieno rispedite: ora vedrò di mandarle quanto prima.

Non è comparso qui l'Aristarco (5) che V. S. accenna,

(1) *card. de' M. Jo. Carolus Mediceus, Ferdinandi, Magni Etruriæ Ducis, frater, ab Innocentio X fuerat nuper in S. C. coptatus.*  
Vide N. Erythræi Epist. ad Tyrhen. t. I, p. 95, 200, 208.

(2) *quinterni*: cf. p. 322.

(3) *Carlo*: *Carolus Moroni*: cf. p. 317.

(4) *Cavalcanti*: procul dubio *Andreas Cavalcanti*, de quo cf. Bandin. ibid. p. xcij. Salutatur a Nic. Heinsio in Epist. ad Donium p. 214 Collectionis Bandinianæ.

(5) *l'Aristarco*: innuitur liber de quo Mersennus sic in Epist. ad Donium p. 188 coll. Bandinianæ: « Quod ad varia mundi sys-  
« temata, in quibus omnium optime habitus nobis videtur, laborat  
« Robsovellus noster in suo, quem dedi vestre dominationi, *Aris-  
« tarcho.* » Pro *Robsovellus* legendum omniwo *Robervallus*; et cf. Fabric. Bibl. Gr. t. IV, p. 19.

Ma d'Qllanda avemo avuto un operetta in quarto d'un tal medico Deussingo (1), che fa il mediatore tra Ptolemeo e Copernico, fabricando un nuovo sistema, dove move la terra circa il suo centro, e fissa il cielo ed il sole.

Il Padre Mersen sta per partirsene verso Loreto e Venezia, tra due o tre giorni. Parte molto scandalizzato della stiticchezza de' guardiani della libreria Vaticana. E per fine riverisco V. S., pregando Iddio che la feliciti. Roma li xxv di marzo mdcxlvi. Di V. S. molto illustre devotissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## LXI.

OPTIME INDOLIS ET PRECLARE SPEI ADOLESCENTI (2)

PETRO LAMBECIO

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Hamburgum.

GAUDEO hactenus obscurum tibi non fuisse, quo semper  
in te animo fuerim, postquam te virtuti et liberalibus studiis  
gnaviter incumbere intellexi. Quamvis enim neoessitudo  
nostra carissimum te mihi fecerit, magna tamen commen-  
datione prolixiores tibi affectum conciliavit bonæ mentis

(1) *Deussingo:* Antonius *Deusing*, de quo vide Paquotii *Memo-  
rias et cætera*, in vulgus emisit an. 1643, « *De vero systemate mundi*  
« *Dissertationem Mathematicam qua Copernici systema mundi re-  
« formatur* », etc.

(2) Ex Anal. Vindob. t. I, p. 1129, et Crugero p. 12.

amor quo flagras. Literas ad Vossium et Barlaeum (1), viros cl., proximo cursore accipies, et ob incerta itineris alias apud mercatorem Belgam invenies. Et quoniam ad sapientiae mercatum proficisceris, non ut exoticas merces in principe orbis emporio (2) compares, nullam rei gerendae occasionem prætermitte; doctos viros assectare, frequenta, cole, eorumque affectum probitatem, modestiam, assiduitatem et diligentia promerer stude. Sed nunc felici Numinis auspicio stadium ingredere, et animum ad virtutis curriculum alacriter excita: habebis me favitorem, dum cœptum premis. Tu modo, suavissime Petre, recta monentibus et de tuo profectu sollicitis obtempera, et cum optimo quoque, maxime autem cum temetipso contendere; ita palmam tibi certam promittere poteris. Ego Deum, ut cœptis tuis faveat et studia feliciter provenire faciat, ex animo rogo et veneror. Romæ, prid. kal. octob. MDCXIV.

(1) *Voss. et Barl.* « Duo hi doctissimi ac celeberrimi viri, G. J. Vossius et Caspar Barlaeus, erant tunc temporis in Illustri Gymnasio Amsterodamensi professores publici; ille quidem historiarum, hic autem philosophiae moralis. » LAMBEC. Cf. p. 262.

(2) *emporio.* « Intelligitur hic Amsterodamum. » LAMB.

## LXII.

P. LAMBECIO

OPTIMARUM ARTIUM STUDIOSO (1)

L. HOLSTENIUS S. P. D.

Amsterodamum.

SCRIPTI ante octiduum prolixè de tota itineris et studiorum tuorum ratione, optime et charissime Petre; sed vereor ut eas literas ad parentem missas jam acceperis. Nunc iterum significo lubenti animo me tuum rescivisse discessum ex patria; et salvum te Amsterodamum pervenisse plurimum gaudeo. Id miror, te ne verbo quidem ad me scripsisse, cum optima literas mittendi occasio sit per mercatorem Belgam; idque ut porro facias, et quam poteris frequentissime, te moneo, cum minima maxima de te tuisque studiis scire desiderem. Interim hortor ne de discessu ex Belgio cogites, quamvis primo accessu non satis ex voto tuoque desiderio res successisse videatur. Aderit Deus honestis conatibus, nec suo auxilio egregiam voluntatem destituet. Literas inclusas Bartholdo Neuhusio (2)

(1) Ex Anal. Vind. t. I, p. 1130, et Crugero p. 14.

(2) *B. Neuhusio.* « Degebant is tunc temporis Amsterodami, religiosissimus atque doctissimus sacerdos, et acerrimus catholicæ religionis propugnator, ut appareat ex variis ipsius lectu dignissimis scriptis, contra haereticos recentiores solidissime editis. » LAMBEC. Sæpius vocatur *Nihuysius*, seque hoc ipse nomine indigit. G. J. Vossio *Niuhuysius* dicitur in Epist. ad Grotium p. 240, 2, ubi

tradas velim, cui te tuaque studia quam diligentissime commendavi; is consilio operaque sua te juvabit. Tu omnia in ejus sinum *ἀφιεῖται* effunde. Ego id curabo ut animum meum plane paternum perspectum habeas. Interim me mone de omnibus superioris epistolæ capitibus. Exposui Neuhusio rationes cur te Amsterodamo pedem movere nolim, et quibus potissimum studiis te incumbere velim: rogavi etiam ut hospitium tibi commodum prospiciat, nisi ipse jam pararis, ubi ad aliquod tempus vivas, donec, lingue morumque Belgicorum paulo peritior, vel Lugdunum vel alio migras. Quamprimum sermones et consilia cum eo contuleris, tuam mihi sententiam indices velim, et Amsterodamensis scholæ statum exacte prescribas; illud quoque significes, ubi loquorū Isaacus Vossius, Gerardi filius, vivat, et qui professores sint Amsterodami, præter Vossium et Barlaeum. Hoc etiam prioribus monui, ut diligenter exquiras de Academia vel Gymnasio Daventriensi, ubi Gronovius<sup>(1)</sup>, civis noster, vir egregius literas docet: de his quoque cum Neuhusio confer. Tu, mi Petre,

multa de illo narrantur: cf. aliam ejusdem ad Dubletium epistolam p. 349, 1. Allatii opuscula nonnulla edidit: Σύμμαχτα; Epistolas de Tempis Græcorum; Exercitationem de mensura temporum; Confutationem fabulae de Joanna Papissa, cui appendiculas de suo addidit. Hujus et Barlaei epistolæ mutuae reperiuntur in Barlaeanā Collectione.

(1) *Gronovius*: cf. p. 309. Gronovium Daventriæ Lambecius invicit, quod ipse testatur Gronovius in Epist. ad N. Heinsium t. III, p. 173. Syll. Burm.: « Fuit hic nuper P. Lambecius, municeps meus, « Holstenii sororis filius, juvenis præclarus, et quem speramus egyptia multa præstitorum. Parat in Galliam iter, inde in Italiam et forte Romæ apud avunculum ejus invicem videbitis. »

è senza dubbio è fattura moderna circa il moto della terra.  
 animum bona spe erige, et, cum a paterno nido corpore  
 avolaveris, animum quoque ab ejus recordatione et desi-  
 derio abstrahe. Temporis rationem habe; hujus enim usu-  
 ram pretiosissimam nobis Deus esse voluit. Vale, et me tui  
 amantissimum de omnibus certiorum facito. Vale. Romæ  
 17 febr. A. ccccxlvii.

## LXIII.

DOCTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS

*χαίρεις καὶ εὖ πάτερν* (2).

Amsterodamum.

NON dubito, charissime Petre, quin priores meas a mercatore Belga jam acceperis, quibus de itineris et studiorum tuorum ratione uberior perscripsi. Ex iisdem perspicies quam ego sollicite tuas expectarim, quas parentes Hamburgo tandem ad me miserunt. Puto conspectum ac consuetudinem tot illustrium virorum itineris molestissimi tedium ex animo jam dispulisse; et omnino futurum spero ut, quo magis humanitatem eorum degustabis, eo minus te profectionis quantumvis intempestivæ (3) pœnitentia. Superioribus meis varias tibi et Neuhusio rationes exposui,

(1) Ex iisdem fontibus p. 1132, et p. 17.

(2) χ. καὶ εὖ πρ. « Hoc est, gaudere et bene rem gerere : ita enim et verba haec vertit Horatius I, Ep. 1. » LAMB.

(3) *intempestivæ* : « nempe ob navigationem hyemalem mense decembri. » LAMB.

cur Amsterodami te aliquamdiu commorari velim; sed eum feliciori studiorum profectu spem et expectationem meam superaveris, legem amplius nullam dico, quo minus tuo utaris arbitrio et ingenii ductum sequaris. Hoc duntaxat moneo, dum eo es loco, ubi studia geographicā maxime florent, gnaviter des operam, ut πινακογραφίαν et eam quam vocant ὑδρογραφίαν ab optimis delineandi magistris addiscas, nec sumptui ea in re parcens nec tempori. Cæteræ enim scientiæ ubivis locorum, hæ Amsterodami tantum percipi possunt. De studiis Græcis vere mihi θαύματα καὶ ἀπροσδίκητα nuntias. O me felicem, qui eo in stadio te currentem video, etiam cum doctorum plausu, quo te jam dudum vota et cohortationes meæ trahebant! Multos hic favitores habebis, sed me faventiores neminem: quomodo enim te hæc studia amantem non amem unice? Sed quo casu aut consilio Aristænetum (1)

(1) *Aristæn.* « Scripsit hic Aristænetus Ἐπιστολὰς ἰρωτικὰς, sive Epistolas amatorias, elegantissimas, in duos libros divisas, quas primus omnium in lucem edidit, sed tantum Gr., Jo. Sam-bucus, Hungarūs Tirnaviensis, Antuerpiæ typis Ch. Plantini a. 1566, in 4°, et quidem ex pervertendo suo et hactenus, quod sciam, unico codice manuscripto membranaceo, qui etiam nunc adseratur in augustiss. bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, et inter codices Mslos. philosophicos ac philologicos est CXXXV<sup>us</sup>; atque, ut ipse ibi in principio inscriptione propriæ manus testatur, a. 1561 ab ipso fuit comparatus in Apulia. Secundus deinde easdem Epistolas Lat. simul et Gr. cum eruditissimis notis suis edidit J. Mercerus, Paris. apud Marc. Orry a. 1594 in 8°, sed absque suo nomine. Quod porro ad meum in easdem Epistolas commentarium in Holsteiana hac Epistola commemoratum attinet, eum componere orsus sum Hamburgi d. 3 jun. 1645; absolvi-

tibi expoliendum sumsisti , in quo Josiae Merceri industria ita omnia præstissee videtur , ut quantum ab ingenio humano meliorum codicum ope destituto proficisci possit , nullum alienæ diligentiae locum reliquerit ? Nam et versio elegantia cum Græcis certat (1) ; notæ autem ita omnibus numeris sunt absolutæ , ut nec demi quidquam nec addi possit . Verum non ego tam severa lege tecum agam , ut nihil permittam juventuti . Illud autem , si me amas et tuam famam , quam cautissime cave , ne Merceri , politissimi et humanissimi viri , manes vel uno verbo lœdas , etiamsi manifesta ab eo dissentendi sit causa : ita enim ejus virtus , doctrina et singularis modestia meretur (2) ; tum vero et hoc , ne amantium nequicias et ἀπόρρητα (3) , reducto sipario , curiosius vestigando , et tuo et alieno pudori injuriam facias . Ea enim ætate es , quæ multa istorum vel ignorare , vel verecunda dissimulatione præterire debet . Quo circa doctiss . virorum Vossii (4) , Heinsii (5) , et in primis Sal-

«tautem Amsterodami kal. febr. a. 1646. Exstat is nunc autographus in augnst. bibliotheca Cæsarea , nec communicationem ejus denegabo , si quis novæ Epistolarum Aristæneti editioni illum velit subjungere. » LAMB. De codice Vindobonensi et de commentario Lambeciano lege quæ notavit Bastius in Specimine Aristæneteo p. 6 , 13.

(1) *versio—certat*. Verius est judicium Bastii ibid. p. 12. Et quod statim de notis Merceri dicitur , vix æquum esse eas legenti patebit.

(2) *virtus—meretur*. Potuit et nepoti metuere Salmasii pus et venenum : nam Salmasius Merceri gener erat.

(3) ἀπόρρητα , « arcana , quæ divulgari haud honestum est . Libanius in Ethop. II , quæ exstat Opp. t. II , p. 734 , vocat τὰ τὰς ἐράντας μυστήρια , h. e. amantium mysteria. » LAMB.

(4) *Vossii* , « nempe G. Johannis. » LAMB.

(5) *Heinsii* , « nempe Danielis. » LAMB.

mæsi consilio utere , nec quidquam , nisi eorum judicio ac censura probatum , profer . Salmasius enim , Merceri gener , candide suggesteret ne quid in socii famam nomenque peccetur . Auctoris ætatem , patriam et professionem ex Libanii Epistolis ἀνεκδότοις observasse videor ; nec dubito quin ipsissimus sit venerum gratiarumque parens , cujus elegantiam et leporem in soribendis epistolis quavis occasione prædicat . Mittam alias ex Vaticano exemplari , si quæ γραπτομετα continueant , quæ Aristæneti vitam illustrent ; qualis est ea qua Spectati legationem , Constantii imperatoris jussu peractam , narrat (1) . Multa quoque de hoc ipso Aristæneto suggesterit Libanii oratio de Vita sua , quæ principio tomī posterioris (2) legitur . De Lycophrohe (3) non solum probo consilium tuum , sed etiam hortor ac moneo ut ex σωτηριοῦ auctoris tenebris lucem nomini famæque tuæ quæras . Offero etiam codicem manuscriptum optimæ notæ commentariorum Tzetzæ (4) ; sed ita est ογκός ;

(1) *narrat.* Duodecim tunc ineditas Libahii epistolas , quarum prima de Spectati legatione agit , misit Holstenius Lambecio cum literis proximis , insertæque sunt Vindobon . Analectis Kollarii t. I , p. 1140 , cum Holstenii et Lambecii annotationibus . Sunt autem duodecim haec epistola inter Wolfianas 334 , 367 , 487 , 475 , 377 , 1028 b , 984 , 407 , 1136 , 1036 a , 25 , 819 .

(2) *tomi post.* p. 21 , edit. F. Morelli .

(3) *Lycophr.* & Vide Prodromum meum Hist. Literariæ lib. II , & c. 4 , p. 181 . » LAMB .

(4) *Comm. Tzetzæ.* « Lycophronis poema , inscriptum Alexandra & sive Cassandra , exstat etiam aliquoties in augustinis . bibliotheca & Cæsarea manuscriptum , et quidem cum commentariis J. Tzetzæ , & in codicibus Mstis. philologicis Græcis , secundum antiquum numera merum , 201.<sup>mo</sup> et 214.<sup>to</sup> » LAMB .

ut tēgre transmitti ad te possit. Eum igitur apud me tibi paratum scias, ubi veneris: interim ingenium experire. Habeo et Orphei (1) exemplar non contemnendum, ex quo Argonautica (2) plurimis locis emendavi. Auctor ille hucusque a criticorum et correctorum vulgo derelictus, tuam exposcere videtur operam. Hymni autem, reconditæ antiquitatis plenissimi, justum commentarium merentur; quem vel unius Procli (3) scripta ἀνέδοτα tibi instruent, ut ex notis meis ad Sallustium (4) philosophum facile per spicies; ne quid de cæteris, quos apud me habeo, Platonicis nunc dicam; in quibus τῆς μυθικῆς θεολογίας thesaurus latet. Gaudeo te eam Octav. Tensini (5) humanitatem experiri, quam ejus amici hic mihi pollicebantur. Literas meas in posterum ab ipso recipies, tuasque vicissim per eum ad me mittito. Itaque ejus opera libere et ἀπροφασίσται utere, meque quam səpissime de tuis rebus certiorem factio; id enim meo jure abs te postulare videor. Quam primum abs te et Neuhusio responsum ad priores accepero, scribam de profectione cæterisque quæ studiis tuis maxime profutura videbuntur. Nunc vale, et me ama. Romæ, prid. kal. april. CIOCXLVI.

(1) *Orphei*: cf. p. 272.

(2) *Argon.* « Eorumdem Argonauticorum præstantissimum exemplar Ms. membranaceum exstat etiam in august. bibliothecæ Cæsareae codice Msto. philologico, secundum antiquum numerum & 202.<sup>to</sup> » LAMB.

(3) *Procli*. « Eadem autem Procli scripta inedita extant etiam in august. bibl. Cæsareae codicibus Matis. philologicis. » LAMB.

(4) *Sallustium*: cf. p. 312.

(5) *Tensini*, mercatoris, de quo infra mentio fiet non semel.

Cf. p. 340.

## LXIV.

DOCTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS

*εὐ πάττην.*

Amsterodamum.

**Quod** tardius meas accipis, eo factum ne tuam de Ari-  
 staneto exspectationem morarer: malui enim simul omnia  
 mittere quæ ex Libanio conquirere potui. Itaque bonis  
 avibus Musisque faventibus aleam jacito; tantum pudoris et  
 modestiae limites serva; quos superioribus (2) fixi. Miror  
 nondum tibi redditas fuisse a. d. id. martii literas meas,  
 quas per mercatorem Belgam pridem misi: sed ille, uti  
 video, tricator est. Itaque Tensini opera posthac tutius  
 uteris, qui tuas diligentissime ad me curavit. Nunc ne  
 tua vota morer, Lugdunum ut proficiscare per me licet.  
 Sed de iis primum sedulo inquirito, quæ in schedula no-  
 tata habes, et de singulis itidem ἀφοριστικᾶς rescribe. Non  
 est quod de mearum rerum statu anxiū sollicitumque te  
 habeat; nam mihi Dei beneficio salva tutaque sunt omnia.  
 Nonne legisti illud suavissimi fabulatoris (3), non quidem  
*ἰπιανδρίον*, sed oraculum:

*Quemcumque populum tristis eventus premit,  
 Pericitatur magnitudo principum (4);  
 Minuta plebes facili praesidio latet.*

(1) Ex iisdem fontibus p. 1137; et p. 26.

(2) *superioribus*, p. 333.(3) *fabulatoris*: « nempe Phædri, imp. Augusti liberti, lib. 4,  
 « fab. 6. » LAMB.(4) *principum*. « Significatur hic persecutio Barberinorum per

Quocirca omnem ex animo curam expellito, et quam Divina Bonitas ~~et nuptias~~ præstat, ea fruere. Probo eam quam Juvenali (1) veterique Scholiastæ operam imperdis: nam et me idem aliquando studium incessit. Sed quóquot istorum scholiorum exemplaria inspexi ( inspexi autem plurima et antiquissima ), a Pithœanis (2) illis toto, quod aiunt, cœlo discrepant, ut frustra ex iis medelam locis hiulcis speres. Id gaudeo, quod Themidi te tuaque studia addixeris. Non illa Musas ita aspernatur, ut vulgus leguleiorum putat; sed omnem humanarum ac divinarum rerum scientiam sibi vindicat. Tu magnorum virorum quos commemoras exempla sequere; ita te quoque magnum aliquando futurum non dubites. Itaque ubi Lugduni sedem fixeris, serio hoc agere incipias, et antecessoribus, quos Academia illa habet celeberrimos, totum te dedas. Illud autem etiam me non monente facturum te scio, ut historiæ et antiquitatis Romanæ cognitionem obnixo tibi studio compares. Tu, quod certe debes, crebro de omnibus ad mē

« S. P. Innocentium X, qua coacti cardinales Franciscus et Antonius  
 « a. 1646; cum Thaddæo fratre fugerunt in Galliam. » LAMB. Hæc  
 persecutio remissior fuit; nam mox S. Pontifex illis bona, quæ detinuerat, reddidit, et eos in pristinum dignitatis locum restituit: cf.  
 N. Erythræus Epist. ad Tyrrh. t. II, p. 69.

(1) *Juvenali.* « Conferebam enim tunc temporis Juvenalis Satiras  
 « cum viri cl. G. J. Vossii pervertusto et optimæ note codice Ms.  
 « membranaceo, cui in margine anonymi cujusdam antiqui scho-  
 « liastæ annotationes erant adjunctæ. Eadem Juvenalis Satiræ cum  
 « antiquis scholiis extant etiam aliquoties manuscriptæ in Aug.  
 « bibliotheca Cæsarea. » LAMB.

(2) *Pithœanis.* P. Pitheus veteres in Juvenalem commentarios  
 primus edidit.

scribe : facies autem , si id tibi persuasum habueris , neminem esse qui studiis tuis rectius consultum cupiat , qui que tuo profectu delectetur impensius , quam ego , qui ob tuam te indolem amo et diligo , diligamque porro , quam diu tu bonam mentem , literas , virtutem , et in primis pietatem , πειστοῦ τῶν ἀρετῶν ἡγεμόνα καὶ κρυπτίδα , amaveris. Sed heus tu ! Catalogum manuscriptorum Græcorum Vaticanæ bibliothecæ satis accuratum in Amsterodamensi bibliotheca olim vidi : eum tu , dum commoditas est , percurre , tibique , quæ ex usu futura putaveris nota ; neque enim hic , quæ sæculi nostri inscitia est , facile pervolvendi ejus fit copia (1). Tu de profectione , deque commoratione Leidensi consilium cum Cl. Neuhusio capias. Id vide ne Germanorum contubernio te adjungas , qui tempus studiis destinatum εὐπεπτοῖς et commessionibus male perdunt. Et cum post jaeta jurisprudentiæ fundamenta in Gallias te proficiisci cupiam , vide ut Belgarum et Gallorum usu ac conversatione aliquam ejus linguae cognitionem tibi compares , etiam , si volueris otiumque suppetat , adhibito magistro. Sed ubi tuas recepero , de hisce quid agendum sit rebus rectius dispiciemus. Vale , et clarissimos viros , ejus urbis lumina , officiose a me saluta. Romæ . vii id. aprilis mcccxlvi.

(1) copia. « Tunc temporis enim ipse præfecturam bibliothecæ Vaticanæ nondum erat adeptus. » LAMB. Vide p. 257.

## LXV.

OPTIMO ET ERUDITISSIMO JUVENI

P. LAMBECIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS S. D.

Amsterodamum.

BINAS tuas accepi, chárissime Petre, ut desideratas diu, ita gratissimas. Nihil enim magis scire cupiebam, quam tuam de Amsterodamensi commoratione voluntatem ac sententiam, quam prioribus significasti. Sed quæ tuorum studiorum ratio est, mallem te illustriori loco vivere, et ubi major doctorum ac professorum numerus discendi cupiditatem expleat, præsertim cum juris studio te addixeris, quod sine rerum usu ac forensi strepitu vix percipi potest, nisi scholæ potius quam foro discere velis. Quo circa, si cum parentum vénia fieri possit, Lutetiam Parisiorum te ut conferas suadeo ac hortor, urbem viris doctis resertissimam et studiis tuis percommodatam. Neque enim uspiam terrarum aut eruditiores aut humaniores invenias, aut etiam mihi amicitia conjunctiores, quorum beneficio regia bibliotheca tibi patebit; ne privatas commemorem Thuani, Memmii, Puteanorum (2) fratrum, et in primis eam quam

(1) Ex iisdem fontibus p. 1159, et p. 32.

(2) *Puteanorum*, « nempe Petri et Jacobi, virorum omni laudum genere majorum, qui tunc regi Galliæ a consiliis et bibliotheca erant : qua de re vide plura in Petri, fratris senioris, Vita a N. Rigaltio conscripla, et Lutetiæ ex officina Cramosiana a. 1652

card. Mazarinus nunc instrui curat a Gabr. Naudæo (1) mei amantissimo. Sed nihil magis eo te invitare debet quam incredibilis benignitas cardinalis Barberini (2), mæcenatis mei, qui te omnis humanitatis genere excipiet et complectetur. Eo autem parario facile doctis viris innotesces, qui omni obsequio illum colunt, ut communem literarum ac literatorum patronum. Cæterum ita velim iter instituas tuum, ut celebriores aliquot Belgii civitates inspicias, Harleum, Leidam, Ultrajectum, Hagam, Delphos, Roterodamum, tum etiam Dordracum, Middelburgum, et Ulissingam, unde facilis Caletum aut Diepam patet træjectus. At nolim Leidam ἵδη πάρεργον, ut cætera, transeas; nefas enim Musas et μουσικός λόγος ex transcurso venerari: sed ut tot illustria nomina persalutes, et Academiæ rationem perspicias, mensem, ut minimum, te ibidem subsistere velim: ita sub finem septembribus Lutetiae te futurum spero. Habebis a me proximo cursore literas itineri tuo necessarias. Interim libros, quos poteris, conquire, præsertim geographicos, eosque diligenter in fascem compactos apud Tensinum mercatorem depone, prima occasione Genuam aut Liburnum mittendos. Sed ea in re

« in-4° edita, cum subjunctis variorum clarissimorum virorum encomiis: quibus ego hoc tantum nunc addo, vere de eximio illo fratribus pari dici posse, quod Diogenes Laertius Archelaum de Cratete et Polemone dixisse refert, eos fuisse λειφαντα τοῦ χρυσοῦ γίνοντα, h. e. reliquias aurei sæculi. » LAMB. Vide p. 30.

(1) *Naudæo*, de quo p. 296. — In hunc bibliothecarium omnes quosvis absque delectu cardinali Mazarino libros coementem facete ludit Erythræus Epist. ad Tyrrh. t. II, p. 27.

(2) *Barberini*, « nempe Francisci. » LAMB.

Blavii (1) consilio utere , qui sæpius libros Romam curat. Doleo periisse literas meas et Leonis Allatii ad Neuhausen : ejus enim opera in coemendis libris te potissimum uti cuperem. Ideoque indicem ad me mitte librorum , annotato singulorum pretio , quod ab eodem mercatore tibi refundetur. De Aristæneto angustia temporis prolixius me scribere vetat; illud tantum suggero , σπεῦδε βραδέως . Libanii Epistolas Lutetiae videbis apud Cl. Valesium (2) , qui non denegabit cæteras, quæ ad rem tuam faciunt. Interim , si me amas , de libris, de tuis studiis , de itinere quamprimum rescribe. Vale. Romæ. viii kal. jun. cricxlyi.

## LXVI.

OPTIMO CHARISSIMOQUE SUO P. LAMBECIO (3)

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Amsterodamum.

Iis quas ante octiduum abs te accepi , charissime Petre , tunc ex tempore respondi ; de Aristæneto scilicet tuo , cuius editionem non sine magno fructu in menses aliquot premes ; tum potissimum de itinere Gallico , quo Lutetiam sub autumni principium pervenias , ubi omnia studiis tuis commodiora experiere , et jurisprudentiæ scientiam a doctissimis viris toto pectore hauries. Nunc priusquam Amsterodamo pedem moveas , velim compares mihi qua-

(1) *Blavii*, vulgo *Blaeuw*, typographi Amsterodamensis.

(2) *Valesium*, Henricum. Cf. p. 295.

(3) Ex iisdem fontibus p. 1161; et p. 57.

tuor volumina illa novi atlantis a Blavio edita, coloribus, sed dilutioribus, illuminata, ita ut sculpturæ et scripturæ subtilioris diligentiam non offuscent colores. Id vero in primis vide ut impressionis sint vividioris priorum duorum voluminum tabulæ, quæ, jam longo usu attritæ, in plerisque exemplaribus pallidiores comparent. Itaque non solum pretio, sed et precibus hoc a Blavio impetres meo nomine, ut exemplar quam perfectissimum habeam. Plurima apud me sunt quibus Italæ geographia egregie jvari posset: tres autem absolutissimas habeo tabulas, Hetruriæ suburbicariæ sive provinciæ Patrimonii, Latii cum regione Sabinorum, Marsorum et Æquicolarum, tum Melitæ insulæ et Gauli (1). Veterem quoque Italiam, Cluveriana multo correctiorem et ab errorum centuriis aliquot expurgatam (2), submittere possum. De his quam primum responde. Maris Mediterranei descriptionem habeo a parente dni. Blavii folio oblongo editam; sed tabulæ hydrographicæ rudiores sunt neque Oceani ~~περιγραφης~~ respondent. Si quid in eo genere accuratius a sexennio prodiiit, mihi parari velim. Chartas Indicæ navigationis jam habeo. Ad Theatrum civitatum Italæ multa ex bibliotheca Barberina suggerere possum, præsertim Piceni civitates et munimenta omnia: sed quis designandis exem-

(1) *Gauli.* « De Gaulo insula a Melita ad V millia passuum versus occasum aestivum sita, vide Ph. Cluverii Siciliam Antiquam I. II, c. 16, p. 443, 444 et 445. » **LAMB.**

(2) *expurg.* « Vide Annotationes ipsius in Italiam Ant. Cloverii, ab emin. card. Fr. Barberino Romæ typis Jac. Dragondelli a. 1666 editas in 8°. » **LAMB.** Vide et supra p. 266.

plaribus sumtus faciet? De Ignatio Vossii (1) nihil resciveram, neque Leo Allatius, communis noster amicus. Mirum quam editionem istam videre desidero; nam veterem versionem adjunctam puto, quam penes Armacanum episcopum (2) esse ipse Vossius affirmabat. Ad Historicos Græcos multa notavi quæ idem Isaacus apud me vidit; eaque lubens submittam, si vir doctissimus (3) operæ premium futurum existimaverit. Premium operum Erasmi iniquissimum est: Epistolas Londini excusas card. Barberinus Parisiis sibi parabit. De cæteris libris, quorum indicem miseram, rem tui judicii facio, ut pares quos meliores jūdicaveris. His vero coemendis cl florenos dn. Tensiūs tibi suppeditabit. Sed doleo literas meas et Leonis Allatii intercidisse, quibus Neuhusii amicitiam tibi parare studui, eum præcipue in usum, ut tibi consilio atque opera ista in re adesset. Vale, charissime Petre, et Vossium utrumque peramanter a me saluta. Romæ, postrid. kal. jun. eiocœxlvii.

(1) *Vossii*, « nempe Isaaci. Significantur enim hic Epistolæ S. Ignatii, episcopi Antiocheni et martyris, quas v. cl. Is. Vossius, « G. J. filius, ex bibliotheca Medicea, cum veteri translatione « Latina et notis suis, edidit Amst. apud J. Blaeu, a. 1646 in 4º. » LAMB. Cf. Epist. LXXVIII extr.

(2) *Armac. episcopum*, « nempe Jac. Usserium, de quo vide Vossii « senioris insigne testimonium cap. 10 operis de Vitiis sermonis et « glossematis Latino-Barbaris, p. 44. » LAMB.

(3) *vir doctissimus*, « G. J. Vossius. » LAMB. Vide supra p. 267.

## LXVII.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE MIO PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Godò infinitamente di conoscere dall' amorevolissima di V. S. la sua buona salute, insieme con la continuazione dei suoi studj ed erudite fatiche; come anco la conservazione del suo affetto verso di me, la quale io stimo al pari, anzi preferisco a qualsivoglia altra amicizia ch'io tenghi, per causa della schiettezza e sincerità dell' animo suo; e lei si può assicurare che io sia per corrispondere sempre al suo affetto, e che l'osservanza ch' io li devo e professo non sarà mai cancellata dal mio petto, benchè l'occorenze e congiunture presenti (2) mi rendano alquanto ritenuto nello scrivere, essendomi più facile di asternermi affatto che di moderarmi in modo che la penna non trascorra. Ora vedemo dove l'immoderate passioni han condotto le cose private e pubbliche, ed in che pericolo se mette tutta l'Italia :

Λυγὴ (3) γὰρ συνίπαθος ἔρις βλάπτουσα λίληθε  
Σύμφυτος.

Noi qui aspettiamo quello che abbia da essere, e fin ora godemo la stanza della Cancelleria (4), dove io attendo

(1) E Bandinio p. 179. Commerci Doniani.

(2) *congiunture presenti.* Cf. Lambecius supra p. 336.

(3) Λυγὴ..... Pythag. Aur. Carm. 59.

(4) *la st. d. Cancell. Franc. Barberinus S. R. E. Vicecancellariū erat, nec fuerat munere abrogatus.*

alli miei studj, che ora la maggior parte consistono nel disegnare carte marinaresche; e spero che fra poco pro-durrò alla luce finito quel *Codex Regularum* (1) che tengo già condotto a buon termine; e già sarebbe fuora, se, con la provvisione del signor cardinale, non mi fosse mancato o debilitato il polso (2), in modo che poco m'avanza per scappricciarmi dei libri e delle stampe: oltra che ho fatto venir fuora un altro mio nipote (3), che tengo a studiar in Leida, e spero che riuscirà, essendo già molto avanzato nelle lettere Greche, e travagliando sopra diversi autori antichi. Sul fine di questo autunno serà in Parigi, dove attenderà alle Leggi, per farlo poi venire in queste parti. Fra tanto godo di vedere V. S. nel riposo della vita civile, e nella persona sua mi rappresento uno di quelli Romani antichi, li quali passavano la vita con li studj della filosofia e con l'esercizio dell' agricoltura, come per appunto fanno sede il Calendario Rustico, o più tosto la *Synopsi "Εργῶν τῆς Ἡμέρᾶς*, ed il trattato della Musica Antica (4), ch' io desidero con qualche passione per diverse ragioni.

Con l'occasione che il signor cardinale è stato in Parigi, s'è stabilito col *Cramoisy* l'edizione di diversi autori antichi, principalmente d'historici del cadente Impero Greco, come sono Syncello, Theofane, Europalata, Anna Commena, Joanne Synnamo, Giorgio Logotheta, ed altri. V. S. mi continui il suo affetto, et mi scusi, che io per

(1) *Cod. Regul.* Cf. p. 317.

(2) *il polso.* Suis enim sumtibus opus illud edebat: cf. p. 317.

(3) *nipote*: Lambecium.

(4) *il Calend.—Musica Antica.* Hæc sunt opera, quibus tunc Donius componendis studebat.

adesso non la posso servire dell' inscrizioni (1), perchè, oltre che tutti quelli quinterni furono legati in alcuni libri, le cose della libreria sono così confuse, ed il palazzo è sopra così imbarazzato, che m'è impossibile di ritrovare cosa alcuna che sia. S' io ritornassi un'altra volta a Firenze o a Siena, che facilmente potrà esser l'anno che viene, vedrò in ogni modo di portarle meco, acciochè lei resti servita. Con l'occasione della vigna che fabbrica il card. Nipote, si fa un gran cavare da per tutto per cercare statue ed altre anticaglie: però quanto alle inscrizioni fin ora non s'è trovato gran cosa. E per fine ricordandoli la mia divozione ed osservanza, resto per sempre di V. S. molto illustre umiliss. e divotiss. servitore LUCA HOLSTENIO.

Roma li vii di luglio MDCXLVI.

## LXVIII.

### DONIO (2).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Spero che V. S. già abbia ricevuto un'altra mia ch' io scrissi otto dì sono con occasione d'un amico. Ora mi si rappresenta questa di riverirla dì nuovo per il signor Niccolò Overberg, gentiluomo Danese, che, viaggiando per il mondo, cerca di vedere e conoscere quello che il mondo.

(1) *inscriz.* Cf. p. 317.

(2) E Bandinio *ibid.* p. 180.

ha più di prezioso , cioè uomini illustri di virtù e dottrina. E benchè egli , senza questa , sarà ben veduto da V. S. , amico de' forestieri e virtuosi , per la raccomandazione del signor Gaspare Scioppio ; però per farlo godere davan- taggio l'autorevole gentilezza sua , l'ho voluto accompa gnare con questa ; ed il signore Overberg all' incontro testificherà a V. S. l'osservanza ch' io conservo alli suoi meriti. E per fine con vivo affetto la riverisco. Roma , xiv luglio MDCXLVI. Di V. S. molto illustre divotissimo ser vitore LUCA HOLSTENIO.

## LXIX.

ERUDITISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO

LUCAS HOLSTENIUS S. P. DICO.

Amsterodamum.

GAUDEO rem ita successisse ut optaveram. Tu igitur , quod facis , cœptum iter prosequere , et , dum ætas inge niumque floret , ne momentum quidem temporis frustra tibi patiaris elabi , cuius rationem exigenti reddere non possis ; nullum vero magis scrupulosum temporis exacto rem habeas quam te ipsum. De Aristæneto quod *invenit* constitueris , laudo proboque plurimum. Nihil enim in eo recensendo opis atque adjumenti a scriptis codicibus , vel

(1) Ex Anal. Vindobon. t. I , p. 1164 , et collectione Crugeriana p. 41.

in Galliis vel in Italia exspectabis, cum hactenus nullum ejus exemplar repertum fuerit præter Pannonicum Sambuci (1) : itaque omnia hic præsidia a tuo aut amicorum ingenio tibi petenda erunt. Philostrati Epistolarum versionem probo, et ut in publicum proferas, sed moroso examine castigatam, etiam hortor. Alciphronis ἀνίσθετα (2) a Leone Allatio habuit cl. Vossius (3) ex Vaticano deponpta. Tu cum in Gallias atque inde ad nos veneris, plura istius generis ex manuscriptis colliges, quæ simul edi meantur. Hoc tantum moneo, ne quid crudum aut præcox temere eruditorum hominum oculis obtrudas, cuius postea aut te pœniteat, aut pudeat amicos. Differ itaque,

*Differ (4), habent parvæ commoda magna moræ.*

(1) *Sambuci* : vide p. 332.

(2) *Alciph. ἀνίσθ.* & Nempe Epistolas VIII Alciphronis ineditas, & quarum quinque posteriores inscribuntur, Ἀλκίφρονος βίτωρος Ἐπιστολαι παρασταται. Harum primam edidi integrum in Lucubrationibus meis Gellianis p. 78 et 79. Ejusdem Alciphronis Epistolæ & ἀλισυτικαι και ἑταιρικαι exstant Gr. et Lat. in syntagmate Epistol. & Greecanicarum mutuarum a p. 359 usque ad p. 380. Ejusdem Epistolæ & stolæ ἀγροικικαι XXXVIII hactenus ineditæ exstant in august. & bibliotheca Cæsareæ præstantissimo antiquo codice, inter codd. & Mstos. philosophicos et philologicos Græcos, secundum antiquum & numerum, CLXIV<sup>to</sup>, qui multas alias variorum veterum auctorum hactenus ineditas epistolulas Græcas, continet, et passim literis & aureis magnifice exornatus est. Inscriptio aurea Epistolarum Alciphronis ibi est haec : Ἐπιστολαι Ἀλκίφρονος βίτωρος ἀγροικικαι. » LAMBEC. Hic codex Alciphronis editoribus, Berglero et Wagnero, profuit.

(3) *Vossius*, & nempe Isaacus. » LAMB. Cf. Bergleri prefationem.

(4) *Differ....* Ovid. F. III, 394.

In Constantinopolitana historia recensenda quidquid studii operæque posueris, recte collocatum existimo, ideoque prolusionem in Codini Chronico (1) non dissuadeo, sed etiam ut coepsum urgeas hortor atque moneo, et scriptum codicem quem illustrissimi Peirescii (2) munere possideo, ubi commode fieri potuerit, submittam: usui enim is tibi

(1) *prolус.* — *Chronico.* « Vidè Syntagma meum Originum et Antiq.  
 « Constantinopolitanarum Gr. et Lat. in fol. a. 1647, 1648 et 1649,  
 « partim Lutetiae Paris., partim Romæ, collectum et elaboratum; an.  
 « autem 1650, ante redditum ex Gallia in patriam, Parisiis apud  
 « Seb. Cramoisium relictum, et integro fere quinquennio post,  
 « nempe a. 1655, ibidem ex typographia regia Luparæa, regiis sum-  
 « ptibus in lucem editum. In hoc enim Syntagmate G. Codinus  
 « primùm et præcipuum locum obtinet. Meminit hujus laboris mei  
 « juvenilis R. P. Phil. Labbeus S. J. in Protreptico corporis Hist.  
 « Byzantinæ, Paris. e typogr. regia an. 1648 in fol. edito p. 13 his  
 « verbis: « *G. Codini tractatum de Orig. CPtanis. ex Mstis. R. P.*  
 « *Jac. Sirmondi S. J., viri in omni doctrinarum genere præstan-*  
 « *tissimi, L. Holstenii, aliorumque codicibus maxima accessione*  
 « *auctum, notisque illustratum repræsentabit P. Lambecius,*  
 « *eiusdem L. Holstenii ex sorore nepos, adolescens supra ætatem*  
 « *eruditus.* Ejusdem laboris mei facit etiam V. Cl. G. J. Vossius  
 « quinques honorificam mentionem in secunda editione doctissimi  
 « operis de Hist. Græcis, p. 491, 503, 523, 540 et 546. Vide etiam  
 « librum III horum Commentariorum [de Bibliotheca Vindobo-  
 « nensi l p. 126, et librum IV, p. 72 et 73. » **LAMB.**

(2) *Peirescii.* « Is est N. Cl. Fabricius de Peiresc, amplissimæ  
 « Aquarum Sextiarum curiæ in Gallia senator, toto terrarum orbe  
 « notissimus, cuius vita a doctiss. viro P. Gassendo eruditissime  
 « pariter atque elegantissime conscripta est. Vide etiam R. P. Ph.  
 « Labbei S. J. Thesaurum epitaphiorum veterum et recentium,  
 « Paris. a. 1666, in 8°. editum p. 542 et 543. » **LAMB.** Cf. supra  
 p. 33.

erit, cum Lutetiam perveneris; ut potे ubi apud Puteanos fratres magnum opus chronologicum reperies, in quo tuam exerceas industriam, Theophanem scilicet Agri abbatem, cum J. Buchardi (1), hominis accurate docti, versione edendum, quem nuper ex Barberina bibliotheca ad ipsos misi. Adjunxi etiam Anastasium bibliothecarium (2), antiquum ejus interpretem, ex Casinensi codice Longobardico depromptum. Præfigendum erit Theophani Chronicon Georgii Syncelli a Julio Cæsare ad Maximianum, cuius itidem exemplaria duo ad Vaticanos et Palatinos codices accurate collata ibidem offendes; alia etiam Regia bibliotheca suppeditabit. In hoc opere partim vertendo, partim concinnando, ingenium et industriam tuam felicitibus auspiciis tunc exercebis. Et ut plenum ac continuatum historiæ Constantinopolitanæ corpus habeamus, Codini Cronicon Theophani subjungi poterit. Sed de his prolixius scribam, ubi Lutetiam bono cum Deo perveneris, et operi manum admovere cœperis. Interim, quod superstest temporis in geographicis et chronologicis fundamentis recte addiscendis pone, quod principio ἀποδημίας tuae te monui (3) : causam fructumque consilii mei postea experieris. Indicem librorum Elzevirii manuscriptum accepi, et gratias ago: videbis in syllabo adjuncto notatos quos

(1) *Theoph.—Buchardi.* De hac Buchardi versione vide Gassend. V. Peir. p. 195, collato Fabricio B. Gr. t. VII, p. 461, ubi nonnulla de Buchardo notantur iis addenda quæ monui p. 213. P. Servius *Jovennium Feriarum* caput sextum Jac. Buccardio inscripsit, qui idem profecto est Holsteniano Buchardo.

(2) *Anast. Bibl.* Cf. Fabric. l. c. et Noster p. 98 seq.

(3) *monui*: p. 557.

parari mihi velim. Judaicis illis non egeo; gaudeo tamen me vidiſſe indicem. Atlantem Blavii (1), quatuor in tomos divisum, etiam pares, sed nullis oblitum coloribus, aut sane dilutissimis. Tu, priusquam Amsterodamo discedas, amicitiam cum eo et literarum commercium constitue: habeo enim plurima quæ ipsius instituto prodesse poterunt. Vale, et de discessu tuo et profectionis tempore me mone, et cl. Vossium officioſe a me saluta. Romæ, prid. id. julias  
CIOECXLVI.

## LXX.

ERUDITISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (2)

LUCAS HOLSTENIUS S.

Amsterodamum.

Postremis tuis, charissime Petre, quibus de librorum pretio ea, quæ scire avebam, perscripsisti, superiori cursore respondere non licuit ob temporis angustias. Nunc syngrapham mitto ccxx florenorum pretio persolvendo. Tu vide ne quid temere coemas præter eos libros, quorum indices antehac misi. Mihi enim satis instructa est bibliotheca a classicis auctoribus, ita ut nulos fere desiderem præter paucos illos a me notatos, quos diligenter conquiras velim. Recentiores, præsertim *episcopūs*, qui meras continent λοιδορίας, nunquam curavi, quocumque tandem se venditept nomine. Cl. Vossii senioris de Idololatria, item

(1) *Atl. Blavii*: cf. p. 342.

(2) Ex iisdem fontibus p. 1167; et p. 49.

de tribus Symbolis , et Glossematum libros , hactenus Romæ non visos , vehementer desidero : eos itaque cæteris adjunge. Ignatii (1) autem Epistolas , nisi notæ magorem in molem librum auxerint , Parisios tecum deferto : ibi mittendi occasio non deerit. Blavius literas nullas misit , quas me exspectare jussisti : tu meas illi meaque officia exhibeto , quibus utetur cum volet. Nunc superest ut te itineri accingas , cuius rationem jam pridem perscripsi (2). Etenim cum ob bellorum tumultus eam Belgii partem , quæ regi Catholico paret , adire jam non liceat , recte feceris si Ulissinga , aut ubicumque fortuna διάσπασθαι cibulerit , recta proficiscaris Diepam , unde rectissimum porro Lutetiam iter est. Sed cum et locorum et linguae non usque adeo gnarus sis , vide ut comitem tibi unum aut alterum pares. Literas nonnullas raptim exaravi ; plures Lutetiæ apud R. P. Sirmondum aut Puteanos fratres reperies : sed tu præcipuum tibi in Deo et modestia tua præsidium statuas. Ubi Lutetiam perveneris , de adventu tuo per P. Sirmondum me certiore facias. Hospitium tibi pares in ea parte urbis , quæ , studiis attributa , Universitatis seu Academiæ nomen habet , ubi victum et museum habeas in Gallorum contubernio , ut usu quotidiano linguam Gallicam addiscas , quæ faciliorem tibi Italicam postmodum reddet. Id memineris , vesperi noctuque omnia Parisiis intuta esse ; quocirca diutius cave emaneas. Vale , et rem feliciter gere. Romæ , d. xi aug. MDCXLVI.

Vossium utrumque et Neuhusium officiose a me saluta ,

(1) *Ignatii* : cf. p. 343.

(2) *perscripsi* , pag. 340.

et Cl. Heinsio (1) mea deferas studia et obsequia. Filium ejus nunc Florentiae degentem sub principio autumni hic exspectamus, qui nihil in me officiorum desiderabit. Vale.

## LXXI.

## DONIO (2).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE MIO PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Il signor Leone Allazio (3) mi diede avviso la settimana passata che il signor Niccolò Heinsio era giunto a Firenze, e che vi era per trattenersi nella libreria di S. Lorenzo tutta questa estate. Ora il medesimo mi viene confermato dalla gratissima di V. S.; però con una fastidiosa giunta della poca sanità con che si trova, che a me ha intorbidato quel gusto che mi diede la nuova del suo arrivo. Ora sapendo V. S. quanto io mi professi obbligato a quel grand'uomo suo padre per l'infinte grazie e cortesie da lui ricevute nello spazio di sei anni ch' io vissi in Leida, prego V. S. di riverire questo signore a nome mio, e d'offerirli tutto quello ch' io posso e valgo; assicurandolo che quando arriverà a Roma, troverà persona che lo servirà con ogni affetto e con tutto il cuore: e li offerisco le mie stanze, la mia tavola, e la mia libreria, e tutto

(1) *Heinsio*: « nempe Danieli. » LAMB. Filius ejus Nicolaus statim memorabitur.

(2) E Bandinio p. 181. Commercii Doniani.

(3) *L. Allazio*: Latine Allatius, de quo p. 108.

quello che posso. Quanto per la libreria Vaticana, mi rincresce bene che non sia per trovare un cardinale Barberino, che li arebbe fatto tutta quella commodità che lui avrebbe saputo desiderare. Di quella di S. Eminenza egli sarà padrone: così ci fosse qualche cosa di suo gusto! Fra tanto non tralasci d' esortarlo che si abbia cura, e che non travagli in questi caldi. Io ho scritto anco al signor Francesco Rondinelli (1). Se li occorresse qualche cosa da Palazzo o dalla spezieria di S. Altezza sereniss., spero che il sereniss. principe Leopoldo, oltra l'innata generosità, anco a rispetto delle mie istanze, li farebbe godere quello che li ricercherebbe il bisogno suo; e V. S. mi farà favore di raccomandarlo anco per parte mia al sig. dott. Nardi (2), che, come persona dotta e studiosa, può saper meglio quello che serve per il buon governo della sanità sua. Delle cose dei nostri padroni (3), l'opinione pubblica pare che ci dia qualche speranza d'accommodamento: però persone sensate, e pratiche dell'umor di Palazzo, o nulla o poco credono. Io però tengo che la corona di Francia sia per adoperarsi, che non si venga a quelle estremità già minacciate. Fra tanto il tempo suggerirà più opportuno rimedio, dal che il tutto dipende. E per fine riverisco V. S., pregandola di nuovo di salutare a nome mio il signore Heinsio e significarli il desiderio ch'io ho di rivederlo

(1) *Fr. Rondinelli.* Exstat Donii ad hunc virum epistola p. 75. Coll. Bandinianæ: cf. et Bandinium p. lix, not. 7. Fuit, puto, medicus.

(2) *Nardi.* Sic correxi editum *Naldi*. Jo. *Nardi*, medicus fuit Florentinus, de quo, præter Saxium On. t. IV, p. 400. cf. Donii epistol. p. 240 Coll. Bandinianæ, et Heinsii in Syll. Burm. t. III, p. 188.

(3) *Delle cose d. n. padroni*: cf. p. 357.

a Roma. Roma li xi d'agosto MDCXLVI. Di V. S. molto illustre affezionatiss. serv. vero LUCA HOLSTENIO.

## LXXII.

CL. ET R. V. JAC. SIRMONDO S. J. THEOLOGO (1)

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

PETRUM Lambecium sororis meæ filium ea te benignitate complexurum spero, quam insignis tua humanitas et constans erga me amor mihi pollicetur. Eum quamvis tibi nuper in Urbe commoranti commendaverim, ita ut nihil potuerim magis, temperare tamen affectui meo non possum, quin te per Musas et Bonam Mentem, quas juvenis impense amat, obtester iterum ut tuum illi in studiis recte instituendis consilium deesse non patiaris; tum etiam ut, te parario, illustrissimum Tolosatum archiepiscopum (2), et præsidem Memmum (3), magnos literarum patronos, cognoscat. Illa vero beneficiorum summa erit, si ad Regiam, Thuanam et Memmianam bibliothecam viam illi aditumque pares. Ita me tibi omnibus nominibus jam devinctissimum, habebis, si fieri possit, devinctiorem. Vale, et me atque Lambecium tuum ama. Romæ, xi aug.  
CIO. MDC. XLVI.

(1) Ex Opp. Sirmondi t. IV, p. 711.

(2) Tol. arch. Carolum de Monchal. Cf. p. 302.

(3) Memmum: cf. p. 124.

## LXXXIII.

## LAMBECIO (1).

Lutetiam Parisiorum.

CHARISMATE PETRE,

Verissimum experior Platonicum illud non ænigma, sed oraculum, dolorem et voluptatem ita inter se conjunctos atque connexos esse, ὃς ίαν τις διάκη τὸ ἔτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀπαγκάζειν αἱ λαμβάνειν καὶ τὸ ἔτερον, ἀστειοὶ οὐ μᾶς πορφύρης ἡμείναν δύναι (2). Hactenus impense desideraveram ut te Lutetiam pervenisse rescirem; jamque eam animo præceperam voluptatem, quasi Romæ præsens præsentem essem complexurus. Sed dum primo adventu morbo te oppressum audio, ea animo oboritur molestia, quæ prioris nuncii dulcedinem succo quodam amaro diluit. Interim spe bona animum foveo, speroque Deum, qui naufragii periculum avertit, valetudinem quoque prosperam largiturum, ut res tuas tuto in portu positas videamus. Quapropter rogo ne dejicias animum, aut a virtutis et sapientiae studio te deterrei patiaris; sed illud potius cogites summa illa et ἀτιματα bona sine periculis et sudore parari non posse. Non alia lege ad hæc adyta mortales admittit Deus, neque ad sacra sua *πιστήν* accedere sinit,

(1) Ex Kollarii Anal. Vindob. t. I, p. 1169, et Crugeriana Collect. p. 52.

(2) ὅτι. « Verba hæc sunt Socratis apud Platonem in principio *Phædonis.* » LAMB. Ad rem vide Epist. LXXVII, p. 365.

nisi post *κακοναθείας* καὶ *χαλάρωσις*, ut olim *Ægyptii* sapientes (1). Ego vero quid opportunius occinam quam Virgilianum (2) illud :

*Tu ne cede malis, sed contra audientior ito.*

Aderit qui Virtutis ad arcem eluctantibus manum porrigit, et, ut Cebes in Tabulae illius Pythagoricæ explicacione ait (3), *ἰσχὺν καὶ δύναμον* inspirat. Interim, quod solum possum, votis precibusque salutem et studia tua Deo commendare non desisto, quod et ipse ut facias sedulo moneo. Tu Valetudinis rationem habe; illa enim Dearum præstantissima (4) rite se eolentes propitia respicit. Illustres dominos Puteanos et R. P. Sirmundum officiose a me saluta, et librorum, quos Amsterodami ante discessum parasti, indicem ad me mitte, et de tuis rebus studiisque frequenter scribe: nihil enim est quod scire malim, quam tuum in pietate et bonis artibus profectum. Vale. Romæ, prid. non. octob. circ. MDCXLVI. Tuus omni animo atque affectu  
L. HOLSTENIUS.

(1) *Æg. sapientes.* « De his temptationibus patientiæ et constantiæ novitiorum discipulorum apud *Ægyptios* sapientes olim usitatiss., vide ejusdem avanculi mei insignem locum in observationibus ipsius ad Vitam Pythagoræ a Porphyrio scriptam pag. 70, 71, 72 & I p. 101 edit. Rom. I » LAMB.

(2) *Virgil. Æn. VI, 95..*

(3) *Cebes—ait : cap. 16.*

(4) *Dearum præst.* Respicit Ariphontis scolium notissimum:

*Τυίσα προθίσα Μακάρων.*

## LXXIV.

PRÆSTANTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS *et aperte.*

Lutetiam Parisiorum.

Vides, charissime Petre, quam te affectus et sollicitudo  
mea assetetur. Nam cum peregrinantem non nisi votis  
comitari potuerim, adventum saltem in Gallias præ-  
venire studui tuum, ut πρόξενος haberes, qui te viris  
doctis ibidem commendaret. Spero autem literas, quas  
amicis tui causa scripsi, ante discessum recte ad te  
perlatas, aut per mercatorem submissas fuisse: hic alias  
habes a Bulionensem duee ad V. C. Christoph. Justel-  
lum (2) scriptas, quas mihi expetere visus es. Tu illustres  
fratres Puteanos, P. Sirmondum (3), Petavium (4), Nau-

(1) Ex iisdem fontibus p. 1171, et p. 56.

(2) *Chr. Justellum*, « virum juris universi consultissimum, sed  
« præcipue canonici. » LAMB.(3) *Sirmondum*. « De R. P. J. Sirmondi [ vulgo Sirmond ] S. J.,  
« natione Arverni, vita et scriptis vide Elogium Parisiis apud Cra-  
« mosios in 4°. editum an. 1651, quo ipse non. oct. obiit, cum  
« vixisset annos XCIII. Fuit is regi Galliae Ludovico XIII a sacris  
« confessionibus, et a Summo Pontifice Urbano VIII fuisset adlectus  
« ip collegium cardinalium, nisi ipse purpuram sacram multis pre-  
« cibus et sancta etiam fraude amolitus esset. Vide etiam librum  
« primum horum Commentariorum [ de Vindob. Bibliotheca ]  
« p. 163 et 164. » LAMB.(4) *Petavium*. « De R. P. Dion. Petavii [ vulgo Pétau ] Aure-

dæum (1), omni obsequio cole, et me, quamprimum hasce acceperis, de itinere cæterisque rebus tuis certiore facito. Literas aut Puteanis aut Sirmondo tradas, qui recte eas ad me curabunt. De Eunapio (2) quod cogitas laudo. Utilem in eo operam collocabis. Itaque quidquid potes subsidii collige a libris et ab ingenio; sed editionem differas, donec Mediceum codicem (3) conferas, qui Florentiæ ad

« lianensis S. J. vita et scriptis vide peculiarem catalogum Parisiis  
 « apud Cramosios an. 1654 in 4° editum; item L. Allatii Melisso-  
 « lyram, sive poema Græcum de ejusdem laudibus, Romæ an. 1653  
 « editum. Obiit autem R. P. Petavius an. 1652, ineunte anno ætatis  
 « LXX. » LAMB.

(1) *Naudæum*. « De V. Cl. Gabr. Naudæi vita et scriptis vide pecu-  
 « liare syntagma a R. P. Lud. Jacobo Cabilonensi, ord. Carm., ac regi  
 « Galliæ a consiliis et eleemosynis, collectum, et Parisijs typis  
 « Cl. Cramoisii an. 1659 editum in 4°. Obiit autem Naudæus in  
 « reditu ex Suecia in Galliæ Abbatis Villæ ad Somonam an. 1653,  
 « ætatis LIII. Cæterum quanta mihi cum illo intercesserit amicitia  
 « et familiaritas, apparet ex duobus ipsius epigrammatibus, quæ Lucu-  
 « brationibus meis Parisinis in A. Gellii Noctes Atticas, et libro  
 « secundo Originum ac rerum Hamburgensium præfixa sunt. »  
 LAMB.

(2) *Eunapio*. « Occasionem enim adornandæ novæ editionis libri  
 « Eunapii Sardiani de Vitis Philosophorum et Sophistarum præbuerat  
 « mihi exemplar impressum, viri celeberrimi Jos. Scaligeri propria  
 « manu plurimis locis emendatum, suppletum et illustratum; quod  
 « V. Cl. Ger. Jo. Vossius ex instructissima bibliotheca sua perbe-  
 « nigne mecum communicaverat. Hæ igitur Scaligerianæ annota-  
 « tiones marginales diligenter tunc a me descriptæ, adservantur  
 « nunc cum reliquis meis ad idem argumentum pertinentibus scriptis  
 « in augustiss. bibliotheca Cæsarea. » LAMB.

(3) *Mediceum cod.* Hoc codice usus est Wytenbachius V. S. in  
 Adnotatione ad Eunapium mox vulganda. Cf. et Epist. LXXXVI.

S. Laurentium exstat, quo nihil antiquius aut præstantius  
me vidisse memini. Unus ille codex abunde tuo desiderio  
satisfaciet. Vale, et me de adventu tuo quam primus  
certiore fac. Romæ d. viii octobris a cœcxlvi.

## LXXV.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

Resto doppiamente favorite da V. S., trovandomi con  
la gratissima sua, accompagnata da quella del sig. Heinsio.  
Oltra l'obbligo grande ch' io li professo per causa del  
signor Daniele suo padre, egli s'era compiaciuto di preve-  
nirmi con tanta gentilezza e cortesia, alla quale io non so-  
come abbia da corrispondere. Io l'assicuro bene, quando  
giungerà a Roma, che troverà un servitore, che con  
ogni vero affetto gli presterà tutti li ossequj possibili. Solan-  
mente mi dispiace ch' io vedo che mette in dubbio la sua  
venuta a Roma, e credo che sia per apprensione dei suoi  
parenti, che gl' anno limitato e ristretto il suo viaggio in  
questa maniera, come mi avvisano li signori Puteani (2).  
Io prego V. S. di disingannarlo, e d'assicurarlo della li-  
bertà, con che si viva e si bazzica in Roma, e che sarà  
qui ben visto ed accarezzato da tutti e principalmente dai  
virtuosi e letterati. La proibizione (3) di alcuni libri di

(1) E Bandinio p. 182 Commercii Doniani.

(2) *Puteani* : vulgo *les frères du Puy*. Cf. p. 30.

(3) *proibizione* : cf. p. 253, 265.

suo padre, eome l'Aristarco Sacro ed il commento sopra il Nuovo Testamento, fu fatta contra la volontà del cardinal Barberino, ad instanza e sopra la relazione del signor Paganino Gaudenzio, che seppe trovare il pelo nell' ovo. E che fastidio s'è dato al Gronovio, al Vossio, ed ad altri che anno vissuto e godutó le librerie di Roma, come anno volsuto? Mi rincrescerebbe che questo signore restasse defraudato del suo intento per questa vana apprensione. Però spero che più tosto il mio timore sia vano, e prego V. S. di non parlarli di questa materia, se non vede qualche indizio di detta apprensione. Mando qui aggiunta una nota d'alcuni luoghi nella prima Decade (1) di Livio, che il signor Gronovio mio paesano (2) vorrebbe che si confrontassero con un esemplare antichissimo della detta Decade della libreria di S. Lorenzo. Io sperai d'aver occasione questa estate di poterlo servire in persona; però non essendomi riuscita la speranza, bisogna ch' io chieda questo favore da V. S. tanto pronto di favorir li suoi amici e servidori. Io non mi son risicato di pregare il signore Heinsio, per non divertirlo o sturbarlo nelli suoi proprij studj. Credo però che non negherebbe alcune ore ad un amico suo; le cui fatiche sopra il detto Livio egli stima e loda in estremo. Del quinterno delle inscrizioni (3) rimaste nella libreria del signor cardinale mio signore, prego V. S. di darmi qualche contrassegno

(1) *Decade* : cf. p. 364. — Vide que de hac collatione renuntiat Donius in epist. ad Gronovium p. 208.

(2) *mio paesano* : nam Frid. Gronovius erat Hamburgensis.

(3) *inscriz.* Cf. p. 346, 366.

evidente e notabile; così vedrò di procurarli la desiderata sodisfazione. L'inscrizioni, che giornalmente si trovano, vanno alla vigna del signor cardinale Panfilio (1), ed io n' ho procurato d'averne copia. Però poche di considerazioni si scoprono, e le migliori fin ora sono alcuni pezzi de' Fasti Trionfali, che il signor cardinal Barberino ha avuto. Io ho fatto gran fatica per ridurre in buona forma il Frontino *de Aquæductibus*, ed ho alcune inscrizioni bellissime circa questa materia. Ora sono sopra il libro *de Coloniis* (2) del medesimo autore, che manderò fuora insieme. Se V. S. mi vol favorire delle inscrizioni concernenti l'una e l'altra opera, non solo lo riconoscerò per favore singolare, ma prometto di ricompensarla e contraccambiarla con altre belle e di considerazione. Vede V. S. quanto mi svia il mio affetto. La prego di salutare cordialmente a mio nome il signore Heinsio, e consegnarli l'aggiunta lettera. E per fine resto di V. S. affezionatiss. e divot. serv. LUCA HOLSTENIO.

Roma li XIII di ottobre MDCXLVI.

(1) *Panfilio*: cf. p. 346.

(2) *de Col.* Cf. Epist. LXXVIII, p. 367.

## LXXVI.

NICOLAO HEINSIO (1).

Florentiam.

Ea parentis tui, viri summi et incomparabilis, in rem literiarum beneficia exstant, ut qui Heinsianum nomen non veneretur, numanitatem aut induisse nunquam aut ejurasse videatur. Me autem multis et immortalibus meritis ita sibi devinxit, ut quidquid hactenus mediocri studiorum conatu assecutus videor, id totum illi acceptum feram. Quo magis gaudeo quod quam hactenus gratiam referre non licuit, ejus saltem testandæ occasionem tua hæc peregrinatio (2) mihi obtulerit. Atque hoc tibi persuadeas velim, optatissimum mihi tuum adventum complexumque fore, nec commissurum me ut quidquam obsequii officiique desideres, quod quidem a me præstari possit. Tu vero, mi Heinsi, valetudinis rationem diligenter habe, quæ, si quam labem, ea qua nunc es ætate, contraxerit, in reliquam vitam omnem transmittet, non levimentis et studiorum impedimento. Florentiam tibi placere non miror. Quem enim illa splendore, elegantia, tantaque civium principumque humanitate non capiat? Sed ut æstati transigendæ optima est, ita acriori autumni hiemisque aere minus commoda valetudine utentibus noxia. Quo circa ultra kalendas novembres te istic commorari nolim. Sed

(1) Ex Burmanni Sylloge t. V, p. 429.

(2) *peregrinatio*: cf. p. 353.

quis recta inde ad Urbem te accédere vetat? Nec ipsum  
 Ἀsculapium ista suadentem auscultaverim: menses enim  
 frigidiores commodissime hic transiguntur. Tu ergo, ni  
 quid aliud iter impedit aut divertat, recta ad nos pro-  
 ptera, cœli Romani clementiam experturus; utinam et  
 βιβλιοφυλάκιον humanitatem! Sed, quantum quidem in me  
 erit, dabo operam ut hujus commorationis fructus tibi  
 constet. Sane Barberinam bibliothecam manuscriptis codi-  
 cibus non male instructam tibi offero, qua perinde ac tua  
 uteris. Poematum tuorum elegantiam Donius noster jam  
 mihi commendarat. Et quid nisi polita et erudita omnia  
 expectemus ab eo qui in Musarum gremio natus et edu-  
 catus fuit, et cui ipse elegantiarum parens Ovidius nitorem  
 suum debebit? Gronovii emendationes Livianas jam dudum  
 expecto. Earum specimen, cum Romæ nobis adesset, vidi  
 et magnopere probavi: tum enim totus erat in antiquis  
 exemplaribus conferendis (1). Sed quod aliis tum potius  
 quam sibi morem gerere cogeretur, minus sibi satisfecisse  
 videtur. Nam postremis suis indicem ad me misit aliquot  
 locorum primæ Decadis, de quibus antiquum exemplar  
 Mediceum consuli cupid. Autographum ejus ad cl. Donium  
 misi, qui et mei et amici communis causa conferendi labo-  
 rem, ut spero, non recusabit (2): nam a te tuis in studiis  
 occupatissimo id contendere non ausim. Vale, vir egregie,  
 et quam primum ad nos vise. Cl. Allatius sua quoque officia  
 defert, et peramanter te resalutat. Romæ iii id. octob.  
 CCCCCXLVI.

(1) *conferendis*: vide p. 310.

(2) *non recusabit*: cf. Epist. præc. p. 361.

## LXXVII.

CL. ET ADMODUM R. J. SIRMONDO (1)

L. HOLSTENIUS S.

LITERAS tuas, clar. Sirmonde, γλυκυπίκρους eo plane momento accepi, quo cursor discessum parabat sarcinis jām colligatis. Nam ut varii erant argumenti, ita me gaudio pariter metuque complerunt. Et quamvis meliora auguratur animus, non potui tamen non moleste ferre, quod primo ad vos adventu juvenem (2) minus adhuc fortunæ casibus exercitatum sævo quodammodo omine perterritum videam. Tu, quæso, et pro ea qua polles prudentia et pro affectu in me tuo, in bonam eum spem erige, atque effice ut hoc sibi habeat persuassimum me parentis loco ei futurum, nec commissurum ut officia et benevolentiam meam desideret. Mitto Troparia S. Theodori Studitæ (3), quæ sola describenda supererant in collectione ejus operum : Sermones enim Panegyricos jam ad te pervenisse spero. Si quid præterea jusseris, curabo quam potero diligentissime. Tuas sollicito plane desiderio expecto : faxit Deus ut omnia ex voto nuntient, eamque curam levent

*Quæ nunc me coquit et versat sub pectore fixa (4).*

(1) Ex Opp. Sirmondi t. IV, p. 711.

(2) *juvenem*, Lambecium dēmpe. Vide Epist. LXXXIII.

(3) *S. Th. Studitæ*, cuius nonnullis scriptis vertendis multum curæ impedit Sirmondes, quæ in Operum Sirmonianorum tomo quinto fuere recepta. Sed ibi Troparia et Sermones Panegyrici non comparent. Cæterum de Theodoro illo vide p. 4, et Fabric. B. Gr., t. X, p. 436 sqq.

(4) *quæ—fixa*. Ennius Ciceronis de Sen. init.

Si pagellas Diurni (1) suppleveris de tuo exemplari , nova beneficii accessione arctius me tibi obstringes. Vale , cl. Sirmonde , et Lambecium nostrum tibi commendatissimum habe. Romæ. Prid. id. novemb. CIOCXLVI.

## LXXVIII.

## DONIO (2).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO ,

Ebbi li giorni passati con la venuta del signore Heinsio la gratissima di V. S. , la quale ha rallegrato me e tutti li suoi amici , con l'assicurarci della sua salute e prosperità ; poichè qui si era sparso un falso rumore , che alcuni giorni ci fece stare molto solleciti e perplessi. Ora lodato sia Iddio , ch' il nostro timore sia stato vano , e piaccia alla Maestà Divina di conservarla per lungo spazio d'anni. Io ho differito fin ora la risposta ; poichè con diligentissima ricerca m'ho volsuto assicurar di quel quinterno d'inscrizioni (3) , che V. S. crede esser restato alla libreria del signor cardinale nostro : et ora l'assicuro che non vi sia tal cosa. Bisogna dunque che quella buon anima di monsù Bouchard l'abbia ritenuto appresso di se , e che sia in quel fascio d'inscrizioni raccolte da lui , che sua Eminenza non ha mandato mai alla libreria , tenendolo

(1) *Diurni*. Holstenius edidit an. 1660 Librum Diurnum Pontificum Romanorum : sed statim fuit editio suppressa. Plura dabit Mollerus Cimbr. t. III, p. 335.

(2) E Bandinio p. 185 Commercii Doniani.

(3) *quint. d'inscriz.* Cf. p. 361.

appresso di se nel suo gabinetto, comé molte altre scritture d'importanza. Ci vorrà dunque pazienza che Dio conduca sua Eminenza a Roma, che la corte e tutta la città crede che possi esser presto e prima di quello che si pensa. Allora farò tutta la diligenza acciochè ritorni nelle mani di V. S. il suddetto quinterno; e bisognando, lo copierò col mio pugno. Ringrazio fra tanto V. S. di quella inscrizione della Colonia Puteolana, benchè già l'abbia cavata dal Capaccio. La supplico bene di favorirmi delle notizie e memorie che ha non solo delle Colonie, ma anco di tutte l'altre città delle Provincie Suburbicarie, cioè della Tuscia, Umbria, Piceno, Latio, et il resto del Regno di Napoli; che sono quelle Provincie, le cui Colonie, *Municipia*, et altre città si raccontano in quel libro di Frontino falsamente intitolato *de Coloniis* (1). Io spero con un poco d'aiuto di dar la vita a quel libretto, et illustrare molti luoghi d'Italia. Ora la prego se avesse avuto mai qualche notizia della città *Capitolum* posta da Strabone tra Preneste et Anagnia *in montibus Hernicis*, ch' io tengo quasi per certo che non possa esser stata altra che Piglio; come anco del nome antico di Marino *ad montem Albanum*, che fu municipio, come si vede dall' inscrizione trovata nella vigna di monsignor Colonna (2), se quello fosse per sorte quel *Cereate Marianum* (3), già occupato dalla famiglia di Mario Console: io prometto di rimandare a V. S. dell' altre inscrizioni, per ricompен-

(1) *de Colon.* Cf. Epist. LXXV, p. 362.

(2) *inscriz.—Colonna.* Cf. Noster in Annot. ad Cluver. p. 188.

(3) *Cer. Mar.* Cf. Frontin. de Colon. p. 5.

sar abbondantemente il beneficio che riceverò. Il signore Heinsio si loda assai dei favori fattili da V. S. in Firenze. Egli sta tutto nella correzione di Ovidio e di altri suoi poeti. Li comunico tutto quello che avemo, et hora confronta il codice Longobardico dei Fasti tanto da lui desiderato. La sanità non li serve troppo per causa delle ree flussioni che producono li tempi cattivi e piovosi. Se Dio li darà vita, credo che il pubblico li resterà obbligato per la nobile fatica che fa intorno quelli suoi autori. Copiai altra volta dalla libreria di S. Lorenzo l'undecimo libro di quella Topographia (1) cristiana che contiene la descrizione dell' isola di Taprobana o Seilan; et ora mettendo in netto la copia del testo Grecò e della mia versione, mi accorgo che vi è un mancamento di alcune parole, e non sò se sia della freita o inavvertenza mia, o se sia del codice. Supplico dunque V. S. di confrontar le sotto scritte parole coll' originale, che saranno nella seconda pagina dopo il principio della suddetta descrizione di Taprobana, e sono : λοιπός (2) ἔξω ὀς ἀπὸ πέρι τυχθημέραι τῆς σεραῖς εἰς τὴν ὁκεανόν οἴσιν η Σιελεδίβα, τουτίσιν η Ταπροβάνη. Εἶτα λοιπὸν ἴνδοτίραι εἰς τὴν σεραῖν ἐρεπίριον η Μαραλλά, βάλλουσα χοχλίους· οἵστε Καβήρ, βάλλουσα τὰ μέλαθρανδεῖν. Εἶτα ἴφεξῆς λοιπὸν ( qui manca ) τὸ καρύφολλον, καὶ τὸ λοιπὸν η Τρινίσια : qui mancano per il meno

(1) *Topographia*, Cosmæ Indopleustæ. Cf. p. 185.

(2) λοιπός. Haec verba leguntur in edit. Montefalco. p. 337 D. Holstenianus textus exhibebat, culpa typographi, νυχθημέρον et καρύφολλον quae correxi. Textus Montefalconii caret voce ἴνδοτίραι, exhibet ἀλαθανδρίον, οὗτα ιφ. λ. τὸ καρ. καὶ τὸ λ. η Τζηνίσα ( hoc rectius ) τὰ μέταξι βάλλουσα.

due parole , cioè il nome del luogo , e poi βάλλουσα . Io starò aspettando con desiderio quello confronto. Qui è comparso un Glossario Latino - Barbaro del Vossio in quarto , libro molto erudito. Le lettere di S. Ignazio pubblicate dal Vossio giovane (1) non sono anco venute a Roma : benchè il signore Heinsio mi dice d'averle vedute in Firenze. V. S. scusi ch' io l'attedio con tante brighe , e mi continui li suoi favori , mentre la riverisco con ogni affetto. Roma li xxv novembre mdcxlvi. Di V. S. molto illustre divotissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## LXXXIX.

PETRO LAMBECIO (2)

NEPOTI MEO OPTIMO ET ERUDITISSIMO

L. HOLSTENIUS S. P. DICO.

Lutetiam Parisiorum.

VIDEO evenisse quod metuebam , et periisse literas meas , quas nuper recta per tabellarium ad te misi : itaque minus miror te silentium meum ægre ferre. Nolim tamen existimes res tuas minus mihi cordi curæque esse , quin potius affectum meum augeri in dies , parique passum tuo in studiis et virtute profectu crescere scias ; idque satis jam te pèrspexisse credo ex literis illis , quibus domino Priolo (3) te ac tua studia nuper prolixè et quam

(1) dal Vossio giovane. Isaaco Vossio. Cf. Epist. LXVI, p. 343.

(2) Ex Kollarii Annal. Vindob. t. I, p. 1173, et Crugero p. 60.

(3) Priolo , &amp; nempe Benjamino , cuius prudentissimi et elegan-

potui diligentissime commendavi, quamvis nihil fere ullius commendatione accedere possit ad eum, quo te complectitur, affectum. Tu vero meæ exspectationi egregie hæc tensa respondes, quod omnem liberalèm scientiam et veterum reconditam eruditionem tanta animi contentione prosequeris: nam tuæ diligentiae specimen *Gellianæ Lucubrations* (1) mihi præbuerunt; et gaudeo te in isto potissimum scriptore ingenii periculum facere, unde et fructus et gloria tibi provenire possit. Sed de tuis observationibus quid sentiam alias prolixè exponam, et codicem meum ad vetusta exemplaria collatum, ut dum promisi, submittam. Interim de studiorum vitaque instituendæ ratione paucis te monebo, eaque suggeram quæ maxime tuam in rem futura existimo. Monuerat me jam ante cardinalis Barberinus, quod et ipse postremis tuis significas, te Romam iter parare et jam in procinctu esse. Evidem haud dubito quin affectus et mei videndi desiderium hoc tibi consilium suggerat, quod tamen multas ob causas probare non possum, quas singulas enumerare nunc necessum non est. Ea præcipua est quod studia tua, non in umbra et ignavo otio, sed in luce usuque eruditorum hominum formari velim,

« tissimi libri XII Latini Historiarum de rebus Gallicis ab excessu  
 « Ludovici XIII, Sereniss. Reipublicæ Venetæ dedicati, prodierun  
 « in lucem Parisiis apud Fred. Leonardum, an. 1665 in 4°. »  
 LAMB.

(1) *Gell. Lucubr.* « Prodierunt illæ in lucem Parisiis apud Sebast.  
 « Cramoisium, regis et reginæ regentis architypographum et Gabr.  
 « Cramoisium kal. febr. an 1647, cum privilegio regis, in 8°., cur-  
 « rente adhuc anno ætatis decimo nono. » LAMBEC.

quorum nusquam terrarum major quam in Galliis est copia. Humanitatem vero, quæ studiorum anima et vitæ condimentum est, ita propriam ei nationi natura esse voluit, ut omnium mortalium testimonio et consensu constet eam nonnisi a Gallis parari posse. Ad hæc, cum tua te indoles et instinctus ad antiquitates et veteris sapientiæ studium applicarit, quod veterum librorum usu, velut bonæ mentis instrumento, patissimum indiget, neutiquam tibi ab ea statione decedendum patet, ubi et copia eorum maxima in publicis privatisque bibliothecis habetur, et accessum facilem gentis humanitas præbet. Neque vero est quod Romam Lutetiae hoc tempore compares, ubi imperitorum hominum morositas aditum ferme omnem ad istius modi thesauros præcludit. Itaque, si me amas, et studiis tuis recte consultum cupis, Italicae profectionis cogitationem depone, hoc præsertim tempore, quo turbarum et bellorum nimbi undique nobis imminent. Libris multis non est cur te oneres, vel marsupium exaurias; ubi enim ad nos perveneris, habebis bibliothecam satis bene instructam. Itaque eos tantum tibi para, quibus carere non possis; cæteris ab amicis utere. Hæc ideo scripsi ut ad ~~εὐτάπτων~~ illam Stoicam vitam componas, qui vel præcipuuſ ~~ζεντιας~~ fructus est. Anastasiī Bibliothecarii collationes (1) avide exspecto; nam eum te cum regiis codicibus contendere illustres domini Puteani scribunt. Quam vellem lacunas in extrema operis parte expleri posse! De Arriani Dissertationibus

(1) *Anast. Bibl. collationes*, « nempe Historie de Vitis Pontificium. » LAMB. Cf. p. 501, 388.

conferendis scripsi nuperis meis; sed vereor ut recte ad te pervenerint: tu apud tabellariorum et cursorum præfectum inquire. **Hospitium quoque ubi commoraris** indica, ne aliæ posthac aberrent; et, si me amas, consilio domini Prioli utere, qui opportune et fideliter te de omnibus monebit. A parentibus tuis diu est quod nihil literarum accepi; spero tamen omnia satis salva. Illustres fratres Puteanos omni obsequio cultuque tibi devincias, et regiæ bibliothecæ visendæ occasionem, quam eorum humanitas tibi præstat, ne negligas. Vale, et me, quod facis, ama. Romæ. A. cœcæxlvii. Kal. aprilis.

## LXXX.

## NIC. HEINSIO (1).

Neapolim.

Mitto literas, quas promisi, ad eminentissimum cardinalem et archiepiscopum Neapolitanum, cuius auctoritas aditum tibi parare poterit ad bibliothecam Augustinianorum (2), si forte absfuerit pater ille Nicephorus (3) ad

(1) Ex Burm. Sylloge t. V, p. 430.

(2) *bibliothecam Augustinianorum*; cuius Catalogus reperitur in Bibl. Gr. t. V, p. 796. Heinsius ad Gronov. in Syll. Burm. t. III, p. 180: « Bibliothecas paucas hactenus vidi. Commendatione Cl. & Holstenii ad eam admissus suma quam J. Parrhasii legato Augustiniani possident. »

(3) *Nicephorus*, Comnenus, de quo et Epist. seq. Nicephori Melisseni et Chrysostomi, Patrum Augustinianorum, meminit Is. Vossius Syll. Burm. t. III, p. 570.

quem alteras scripsi. Ad D. Joannis bibliothecæ curam habebat P. Joannes Chrysostomus, et in quo nihil officiorum desideres. Eum meo nomine plurimum salutes rogo, ut et P. Bolvitum clericum regularem ad D. Pauli, qui et ipse bibliothecarii munere apud suos fungitur. Memini etiam me aliquot veteres codices vidisse apud Patres Benedictinos ad S. Severinum, ad quos facile accessum tibi parabit P. Nicephorus. Hoc etiam rogo ut officiose a me salutes doctissimos viros Camillum Peregrinum (1) et Camillum Tutinum, qui literarum nomen decusque præcipue tuentur in ea civitate, et cum quibus vetus mihi amicitia est. Vale, cl. Heinsi, et feliciter rem gere, ut salvum te et iucolumem quantocvys recipiamus: id ex animo voveo. VIII. id. april. circ: cxlvii.

## LXXXI.

N. HEINSIO (2).

Neapolim.

GAUDEO profectionem Neapolitanam ex voto tibi provenisse, et tam facile te reperisse aditum ad Carbonianam (3) Bibliothecam. Id doleo P. Nicephori Comneni humanitate te fraudatum, quam Gronovius aliique mea

(1) *Cam. Peregrinum.* Cf. Saxius Onom. t. IV, p. 479; Burmannusque ad Syllog. t. III, p. 566, ubi et de Tutino paucula notat. Peregrini meminit Noster Annot. in Cluver. p. 255.

(2) Ex Burm. ibid. p. 430.

(3) *Carbonianam;* Augustinianorum Bibliothecam S. Joannis ad Carboniarum, de qua Epistolæ superioris initio.

commendatione prolixam experti suut. Nunc cum P. Chrysostomum fatis concessisse nuncies, vellem ejus indicasses nomen qui in bibliothecæ cura ipsi successit; jam enim curassem officiosissimis literis hominem demulceri ab ordinis sui subprefecto, ut facili illo promptoque utaris, quamdiu libuerit. Aeris Campani clementiam tibi placere non miror: nihil enim cœlo illo mitius, nihil suavius; adeoque suaserim, si cum parentis venia fieri possit, ut æstatem isthic exigas, qui valetudinem morbis afflictam confirmes. Magnopere enim thoracem humorum defluxu debilitatum cæteraque pectoris vitia benignioris auræ usus diuturnior corriget. Elegiam (1) ad magni Maronis et Sannazarii manes natam lubentissime viderim, eritque mihi omni Sirenum cantu jucundior. Viros optimos Tutinum, Peregrinum et Bolvitum (2) quam humanissime a me salutes rogo. Inducias Belgicas Galli omni conatu disturbare conantur, et regium oratorem plerasque provincias in partes suas pertraxisse aiant, Hollandis interim firmiter pacis constitutionem urgentibus. Vale, et rem feliciter geret. Romæ die xi. maii ccccxlviij.

(1) *elegiam*, quæ quarta est libri Elegiarum primi, inscriptaque est, *Pausilypus*. Ibi poeta Pausilypi lauream allocutus, ait:

O numquam tauræ garrula silva comes  
Tu mihi concilia somnum ocius; ocius ægro  
Tædis prærupta tu mihi falle via:  
vocis ægro hec Epistola commentarius est.

(2) *Tutin. Peregr. Bolu.* Cf. *Epist. superior.*

## LXXXII.

DOCTISS. PRÆSTANTISS. JUVENI P. LAMBECIO (1)

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Lutetiam Parisiorum.

**H**asce raptim ad te seribo, charissime Petre, ne silentium meum molestiam tibi facessat. Gaudeo meas, quibus iter Italum dissuasi, in tempore ad te perlatas; neque enim sine præsentissimo vitæ periculo hac anni tempestate suscipi poterat. Diligentiae et modestiae tuæ testimonium omnes amicorum literæ præstant. Tu id porro stude, ut doctis probisque te probes. In accessu ad emin. cardinalem Barberinum, omnique deinde congressu eam servato modestiam, quæ et tuam decet ætatem et amplissimæ ejus dignitati convenit. Illustres dominos Puteanos tui amantissimos omni cultu et obseruantia venerare; nihil enim æque studiis tuis prodesse nunc potest atque ipsorum benevolentia. A parentibus tuis literas recentes accepi: ibi omnia satis recte se habent. Tu vale, et me ama. Romæ, d. xx  
maiij cœcœxlvii.

(1) Ex Kollarii Anal. Vindob. t. I, p. 1175, et Crugeriana collectione p. 66.

## LXXXIII.

NIC. HEINSIO (1).

Neapolim.

INVITUS sane scribendi officio ante octiduum defui, quod tardius tuas ad me tunc miserat mercator, tum etiam quod unius horæ angustiis circumscriptus de grammaticis quæ scire avebas expedire non potuerim. De hisce quo studium et consilium tuum dirigere possint, schedula adjuncta exhibet. Putschü etiam *αναγεγόντων*, si jusseris, mittam, ne qua scriptores ab interitu vindicandi occasio tibi pereat. Arausianum Messium (2) integris adhuc Sallustii et Ciceronis scriptis usum vix dubito, multa quoque *τέττας τρισκοπίαις* restitui aut confirmari ejus beneficio posse. Sed tu rectius ista dispexeris, cui bona sors *έργαστος* illud in manus dedit. Parentis tui incredibilis humanitas pudorem meum onerat, qui id mihi gratiæ apponit, quod me haud-

(1) E. Syloge Burm. t. V, p. 431.

(2) *Arausianum Messium*, grammaticum quinti fere saeculi de quo vide Sax. Onom. t. I, p. 511. Qui de eo locuti sunt vel eum ad partes vocarunt, Arusianum appellant non Arausianum. Sed alia est insigniorque nominis varietas. Nam quibusdam Cornelius ille Fronto esse dicitur, *Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum lumen*, quem nuper non minimo nostrarum literarum bono et te-nebris eruit Angeli Maii felicissima industria. Et Maius quidem Frontonis operibus a se editis addidit *Exempla Elocutionum*, ipsum illum libellum, hactenus ineditum, de quo reperto Holstenius Heinsio suo gratulatur. Cf. Heinsius ipse in Syll. Burm. t. III, p. 181, 184, et Gronovius ibidem, Vossiusque p. 569.

quaquam promeruisse scio. Et quis promerendi locus relinquatur mihi tot tantisque nominibus devincto, quæ nec vitæ impendio expunxerim? Illi enim bonam rectamque mentem et veteris sapientiæ amorem acceptum refero, hoc est, summum illud in vita bonum, sine quo vitam vitalem non ducerem. Hoc utrique tamen persuasum cupio, quamvis præstare nihil possim, omnia vestri causa me velle. Sed aliud quoque suavitatis condimentum literæ tuæ habuere, Gronovianam epistolam, quæ tanto majori voluptate me perfudit, quod opportunissima advenit; eodem scilicet momento, quo et alias a Puteanis fratribus acceperam, ad magni illius amici et municipis mei (1) studia spectantes. Eorum rogatu Alexiadem (2) Annæ Comnenæ Lutetiam misi, ut porro inde ad Gronovium curetur, cujus Latinam interpretationem regii typographi efflagitant. Epistolas ab amicis Parisiensibus fasciculo inclusas Christophorus (3), Puteanorum frater, tui amantissimus, mittit. P. Stradæ Decas secunda adhuc sub prælo hæret. Ego non nisi post menses aliquot proditurum existimo, cum figurarum sculptura tardius procedat, quarum lenocinio adornari debet. Scioppium horribilem in eum cudisse librum (4) non ignoras. Illum nunc typis publicandum amici Patavio nuntiant, nec deerunt vapulanti fautores. Modos huic dramati faciet tibiis paribus ludio ille noster

(1) *municipis mei*: etenim Gronovius Hamburgensis fuit, ut Holstenius, quod jam monuimus.

(2) *Alexiadem*: qui codex nunquam ad Gronevium pervenit. Hac de re non semel in sequentibus Epistolis mentio fiet.

(3) *Christophorus*: cf. p. 177, 219.

(4) *librum*; cui titulus: « Insania Famiani Stradæ. »

ex Hetruria. Vale, cl. et amicissime Heinsi, et communes  
jam amicos a me officiose saluta. Romæ, viii kalend. jun.  
anno sexagesimo septuagesimo. Elegiam (1) de Pausilypis laudibus nunc ac-  
cipio: eam Musæ aut Charites, aut Parthenopea Siren tibi  
dictavit. Commodum hoc lenimentum mihi ineptissimis  
quibusdam versibus legendis fesso adfuit, ut tedium in-  
ficiet carminis animo detergeret: adeoque duplices tibi  
gratias ago pro isto Musarum nectare.

## LXXXIV.

OPTIMO DOCTISSIMOQUE JUVENI P. LAMBECIO (2)

NEPOTI MEO.

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Lutetiam Parisiorum.

Quas ante oetiduum ad te dedi, charissime Petre, a  
viro illustri Jac. Puteano quin jam acceperis non dubito.  
Te et valere et studiis gnaviter incumbere gadeo: hoc  
enim ut persuasissimum mihi habeam sermo facit, quem  
illustrium dominorum Puteanorum nepos, regio oratori  
ab epistolis secretis, de te tuoque in literis profectu mecum  
habuit. Idem avunculi utriusque erga te animum et bene-  
volentiam prolixe mihi confirmavit, quamvis ita jam  
perspectam ut nullius egeat confirmatione. Juris utriusque

(1) *Elegiam*: cf. p. 374.

(2) Ex Kollario p. 1176, et Crugero p. 67.

scientiam serio ut amplectaris iterum te moneo, et meo etiam nomine cohortabitur emin. cardinalis Barberinus, et sua quoque auctoritate optimis doctoribus isthic commendabit. Cave tamen ita hoc abs te exigere me putes, ut antiquitatis et sapientiae studium propterea vel abjicias, vel intermittas, sed ut tempus operamque partiaris, vel potius ut Themidem ac Sophiam, οὐς οὐνάσιος καὶ οὐνδότονος Στέας, uno eodemque opere simul colas. *Lucubrations Gellianas* (1) quas te absolvisse scribis, avide exspecto, quamvis gustum earum capita subinde ad me missa præbuerint. In Macrobio (2) emendando multum operæ studiique ponit N. Heinsius, Danielis filius, cui antiquissimi exemplaris Neapolitani indicium feci, in quo conferendo nunc versatur. Tu ne frustra tempus operamque absumas, in Græcis ingenium experiaris potius, unde et uberiorem sapientiae fructum et laboris gloriam sperare poteris. In his præcipue Arrianum (3) tibi commendo, meo quidem judicio sapientiae corculum. Indicavi nuper codices veteres, ex quibus præsidia ad nobilissimum scriptorem restituen-

(1) *Lucubr. Cell.* Cf. p. 370.

(2) *Macrobio.* « Conferebam enim etiam ego tunc temporis Macrobiū cum pervetusto et optimè noto codice Msto. bibliothecā Thuanē, cuius beneficio plurima ejus loca possunt emendari et suppleri. Excerpta illa mea adservantur nunc in augustissima bibliotheca Cæsarea. » LAMB. Heinsius ipse ad Gronovium in Syll. Burm. t. III, p. 181 : « Ubi Macrobii Saturnalia absolvero, quorum veterrimus codex, sed non multum a vulgatis editionibus diversus ad manum nunc est, ad Volusianum describendum transsibo. »

(3) *Arrianum.* « Intelliguntur hic Arriani commentariorum de Epicteti disputationibus libri IV. » LAMB.

dum petas. In Stobæi exemplaria regia inquire , præsertim Eclogarum quas Canterus ex pessimo codice publicavit. Literas hisce inclusas dno. Seb. Cramoisio tradas , qui codices Græcos duos ab illustribus dnis. Puteanis accipiet. Vale , et de privatis r̄ebus , hoc est , περὶ τῶν οἰκονομικῶν , certiore me facito : scire enim cupio , quo loco sumtuque , et quibus cum sociis vivas. Vale. Romæ , d. xxvii maii ccccxlviij.

## LXXXV.

OPTIMO DOCTISSIMOQUE JUVENI P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Lutetiam Parisiorum.

ACCEPI *Lucubrationes Gellianas* (2) per Puteanos fratres ad me missas. Eas ita excepi probaque , ut , quamvis jam ob nostram necessitatem omnia tibi debeam , si quid tamen debere possim amplius , novo nexu me devinctum sentiam , non quod nomen meum libello præscriperis ( hoc enim tralatitium est ), sed quod monita et cohortationes meæ , quibus hactenus adolescentiam tuam ad rectam studiorum rationem et bonam mentem informare studui , eum quem cupiebam locum apud te habuerint : eoque lubentiori

(1) Ex Kollar. Anal. Vind. t. I , p. 1178 , et Crugeri Collectione p. 71.

(2) *Lucubr. Gell.* Cf. p. 379.

animo et meæ sollicitudinis et tuæ diligentia fructum, quamvis præmaturæ præcocem, admitto, et, si porro gnariter exerceas ingenium animumque colas, uberem mihi et bonæ frugis messem polliceri audeo. Nihil autem magis te excitare debet quam doctorum hominum favor, qui hasce industriae tuæ primitias excepit. Magna enim et præclara omnia post ejusmodi promulsidem nos exspectare jubes. Interim tibi mihi gratulor, et me Bono Eventui voti reum gaudeo. Causas Italicæ profectionis facile mihi probas; eas enim affectus erga me tuus, δεινὸς συνῆγορος, commendat. Quoniam ergo studiis rebusque tuis ita conducere existimas, exspectabimus te ad proximas kalendas novembres: neque enim sine periculo hue acceditur ante adultum autumnum, nisi maturiores pluviae ventique frigidiores aerem temperaverint. Sed de discessu et itinere tuo emin. card. Barberinus constituet, quod ex re tua futurum judicaverit: ejus jussis consiliisque in omnibus obtemperabis. Interim hoc te moneo, imo etiam rogo, ne valetudinem vigiliis nocturnis afflictum perditumque eas. Habebis autem curam, si intempestivæ φιλομαθίæ: poenas tota vita tibi persolvendas cogitaveris. Ex Cramosio premium aliquot librorum scire velim, quorum syllabum literis adjunctis inclusi. Eum tu quamprimum ad me remittas, ut quid facto opus sit mature dispiciam ante discessum tuum. Si qui eorum in officina Cramosiana non extent, apud alios perquirito. Vale, et cl. Naudæum et illustres dn. Puteanos officiose a me saluta. Romæ, d. xvii junii  
cœloœxlvii.

## LXXXVI.

DOCTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

Lutetiam Parisiorum.

RECTE te valere, et studiis gnaviter incumbere gaudeo: incusserant enim sollicitudinem aliquam animo meo Puteanorum fratrum literæ, quæ valetudinem tuam vacillare significabant. Ego, quod sæpius jam te monui, nunc iterum inculco, ut ab intempestivis lucubrationibus post cœnam tibi caveas, atque ita cum Musis verseris, ne Hygeam (2) iratam habeas. Ubi enim semel offenderis, haud facile placabilem experiere. Gellianas emendationes, statim ut accepi, amici mei extorserunt e manibus, ut vix fugiente oculo inspicere licuerit. Receptas expendam pressius, et si quid displicuerit indicabo. Eunapium Mediceum (3), cum Florentiæ degerem, non contuli; neque enim ullus ad manum mihi erat excusus codex: sed præstantiorem codicem nusquam reperiri existimo; est enim miræ vetustatis. Ubi ad nos accesseris, licebit eum *in παρέδην* excus-

(1) Ex iisdem fontibus p. 1180; et p. 74.

(2) *Hygeam*: « deam sanitatis præsidem, de qua vide amplissimam & et eruditissimam dissertationem V. Cl. J. H. Meibomii capite VI « doctissimi commentarii in Jusjurandum Hippocratis. » LAMBEC.(3) *Eun. Med.* Cf. p. 359, et Epist. LXXXVIII, et LXXXIX.

tere; neque te operæ aut moræ tantillæ pœnitibit. Proximo cursore submittam collationem exactam codicis Barberinæ Bibliothecæ (1), recentioris quidem sed accurate scripti. Interim Codinum (2) mitto, et συλλογὴ Antiquitatum Constantinopolitanarum atque supplementa ex Vaticanis aliisque codicibus collecta. Ego Syntagmati meo geographicō (3) hæc destinaram, sed rectius Byzantinæ Historiæ corpori inserentur. Multa istorum apud Suidam, plura apud Cedrenum habentur. Tu vide ut Spartam, quam tibi sumpsisti, recte ornes; ita tamen ne aliorum ἀσοχίᾳς sive ἀποτίᾳς insecteris, quod Gretserum (4) fecisse nolle. Julii oratoris sive Ἀθίκη (5) Cosmographiam ex Msto. Palatino depromptam mitto, ut cum vetustissimo exem-

(1) *Cod. Barb. bibl.* Sæpius hunc codicem allegavit Dorvilius ad Charitonem. Cf. infra p. 387.

(2) *Codinum*: Cf. p. 549, 385.

(3) *Synt. meo geogr.* « Vide lib. I, horum Commentariorum [Bibliothecæ Vindobonensis] p. 113 et 114, et paulo post annotationem marginalem [ad Epist. LXXXIX]. » LAMB. Cf. supra p. 71.

(4) *Gretserum*. « Intelliguntur hic R. P. Jac. Gretseri S. J. commentarii in G. Codini librum de Officiis Magnæ Ecclesiæ et Aulæ CP., utpote in quibus in V. Cl. Fr. Junium, qui ante ipsum sub dicto Nadabi Agmonii nomine eundem Codini librum primus Gr. et Lat. cum notis suis in lucem ediderat, innumeris fere locis nimis vehementer ac graviter invehitur: qua de re vide etiam V. Cl. et Ger. Jo. Vossii, qui jam memorati Junii gener fuit, modestissimam querelam lib. 2 de Vitiis sermonis et Glossematis Latino-Barbaris, c. 2, p. 173 et 174. » LAMB.

(5) *Ἀθίκη*. « De Cosmographiæ Ἀθίκηi vetustissimo codice manuscripto Longobardico, qui exstat in augustissima bibliotheca Cesarea, vide lib. II, horum Commentariorum p. 36. » LAMB.

plari dn. Thuani conferas, et folium quod hic deest sup-  
pleas. Codicis illius usum illustris dn. Puteanus tibi impe-  
trabit. Si lectiones plurimum discrepare deprehenderis,  
minus laboris tædiique experiere, si integrum ex Thuani  
codice describas. Exspecto tuas de primo congressu cum  
emin. card. Barberino. Ille pro summa benignitate, qua  
me et studia mea hactenus fovit, ea tibi suggeret consilia,  
quæ et ætati et studiis tuis erunt opportuna. Id sedulo da  
operam ut, qui hactenus mei causa te sibi commendatis-  
simum habuit, is ob tuam modestiam, probitatem, tum  
maxime ob pietatis studium, te habeat commendatiorem.  
Vale, et, quod facis, temporis tui rationem exactam habe.  
Romæ, d. viii julii ccccxlviij.

## LXXXVII.

NIC. HEINSIO (1).

Neapolim.

TARDIUS forte quam par erat suavissimis tuis literis re-  
spondeo, quod pro tua humanitate occupationibus meis  
haud gravatim condonabis. Gaudeo te in evolvendis veteri-  
bus istis grammaticis tam egregium fecisse operæ pre-  
mium (2). Ita plane præsagierat animus. Nec poterat illud  
*ερμηνεια* in meliores manus incidere. Alexiadem (3) meam  
jam ad Gronovium perlatam spero. Hoc enim Puteani

(1) Ex Sylloge Burmanniana t. V, p. 432.

(2) *operæ premium*: cf. p. 376.(3) *Alexiadem*: cf. p. 377, 393.

Fratres, ad quos eam misi, se curaturos promittunt. Qui regio typographio præsunt avide versionem ipsius exspectant: ubi eam acceperint, statim subjicietur prælo. Moluntur magnum et absolutissimum Historiæ Byzantinæ corpus, et subsidia undique conquirunt. Submisi etiam Joannem Sinnatum, qui Alexii tempora proxime excipit, et Calo-Ioannis filii ejus et nepotis Emanuelis res gestas persequitur, in quibus multa extant, quæ regni Neapolitanæ historiam illustrabunt, quod Normanni pugnacissimi homines tunc sibi vindicabant, et fortiter tuebantur adversus Graecos pariter et Germanos armis id sibi repetentes. Misi etiam συλλογὴν Antiquitatum CP<sup>narum</sup> (1) multo copiosorem ea, quam a Dousa et Meursio (2) habemus. Petrus Lambecius, nepos meus, post *Gellianas Lucubrationes*, Eunapii Sophistis ex regio Msto persanandis manum admovit, novam additurus versionem, et post unum alterumque mensem (3), editionem absolutam nos exspectare jubet. Ego interim ingenii ardorem sufflamino illo, σπεῦδε βραδίας, donec Mediceum codicem optimum et antiquissimum inspexerit in suo ad nos accessu. Etenim sub principium octobris eum mihi adfuturum spero. Nam vix continere eum potui quin adulta jam æstate huc properaret. Rumor de tumultu (4) populi apud vos exorto anxium me sollici-

(1) *Antiq. CP.* Cf. p. 383.

(2) *Dousa et Meursio.* Theod. Douza edidit Georgii Logothetas Chronicon, Meursius autem Hesychii Illustris Patria et Excerpta Codini.

(3) *post unum alterumque mensem.* Res est nimis jocosa.

(4) *tumultu:* seditione illa famosissima in qua Masanellus magnas egit partes, et de qua, præter notos fontes, adeundus Nic. Erythræus

tumque tua de salute habet. Non dubito quin genium moresque ejus civitatis jam perspexeris : hoc tamen moneo, dum populus in fermento est, ne temere in publicum prodeas, sed apud mercatorem aut popularem aliquem te contineas. Scatet enim urbs illa hominibus sceleratis, quos ad facinus quocumque perpetrandum et projecta audacia et extrema egestas facile impellit : eo enim, velut in sentinam, totius regni colluvies confluit. Sed non diffido prudentiae tuæ. Doleo tamen temporis et amoenissimæ commorationis fructum tibi interim perire. Vale, amicorum suavissime, et num omnia vobis salva quam primum potes significare. Romæ III id. Julias CœlocXLVII.

## LXXXVIII.

DOCTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO

LUCAS HOLSTENIUS *εὐ πατέρινον.*

Lutetiam Parisiorum.

Mitto nunc collationes Eunapianas quas nuperis meis tibi promiseram (2), cum ejus recensendi edendique consilium te cepisse scribebas. Hoc quoque beneficium, qua-

Epist. ad Tyrrh. t. II, p. 114 seq.; et ipse Heinsius in Syll. Burm. t. III, p. 187, ibidemque Is. Vossius p. 574.

(1) Ex Koll. Anal. Vindob. p. 1182, et Crugeriana collectione p. 79.

(2) *promiseram;* p. 383.

lecumque quidem id fuerit, emin. cardinali (1) debes, ex cuius bibliotheca proficiscitur. Videbis etiam minutissima quædam notari, quod tibi industriae et *ἀκριβίας* indicium erit. Codex recens est et elegantissime scriptus, sed lacunis æque ac editus scatet; videbis tamen loca nonnulla bene suppleta et emendata. Tu si monentem me audieris, editionem premes donec Mediceum codicem inspexeris, quod *ιερά πόλη* fiet, ubi ad nos accesseris. De Codini (2) ætate nihil certi respondere possum, nisi quod eum paulo ante *λατερανον* Constantinopoleos vixisse perspicue apparet. Nec certius mihi de Chronico Constantinopolitano Meursiano (3) ejusque auctore constat. Nam et illud recentissimum puto ob *μιχελοβαρθόλωμον* copiam. Quid si vice versa ille sua ex Codino, Cedreno, Suida, aliisque hauserit? Nam Græculi illi sine fronte et judicio aliena exscribunt et sibi supponunt, nomen tantum mutantes, ut fures signa solent. Sane cum emin. cardinalis jussu Byzantinæ historiæ scriptores hactenus inediti, ad usum bibliothecæ Barberinæ, conquererentur, omnibus minimis maximis in Vaticana et Palatina bibliotheca diligenter excussis, nullum ejusmodi chronicon occurrit, quod transcribi mereretur. De libris quorum syllabum pretiumqne dn. Cramosius misit (4), proxime scribam quid fieri cupiam. Vale, et festinanti veniam habe. Romæ. iv. kal. augusti ccccxlviij.

(1) *cardinali*, « Fr. Barberino. » LAMB.

(2) *Codini*. « Vide dissertat. meam. de G. Codini vita et scriptis, « quæ animadversionibus meis in libros ipsius de Originibus et « Antiq. Constantinopolitanis præfixa est. » LAMB.

(3) *Chron. CP. Meurs.* Cf. p. 385.

(4) *Cramosius misit.* Cf. Epist. LXXXV extrema,

## LXXXIX.

DOCTISSIMO JUVENI P. LAMBECIO (1)

NEPOTI MEO CHARISSIMO

LUCAS HOLSTENIUS S.

Lutetiam Parisiorum.

NULLA ratione tibi tuisque studiis rectius consulere potes, quam ut probatissimis te probare contendas, eoque mihi jucundius accidit testimonium quo emin. card. Barberinus diligentiam modestiamque tuam prosequitur; eoque tibi contendendum est obnixius, ut tanti principis humanitati et egregiae de te expectationi respondeas. Cum cæteris, qui in ejus comitatu vivunt, ita te geras ut obsequio, quod ille ait (2), sine invidia laudem invenias et amicos pares. De Eunapio (3) nihil præfestine facias: nam Medicus codex unus omnium instar tibi erit, et de his rectius coram constituemus. In Anastasio (4) conferendo, nisi vetus et probum exemplar operam exactiorem mereatur, minutias omnes te exsequi nolim. Sed Graecanica illa et mixobarbara potissimum inspice, si quæ lux istis tenebris

(1) Ex laudatis fontibus p. 1183; et p. 82.

(2) *ille ait* : Terentius Andr. I. 1. 41 :

*Hoc tempore  
Obsequium amicos, veritas odium parit.*

(3) *Eunap.* Cf. Epist. LXXXVI, LXXXVIII.(4) *Anastas.* Cf. Epist. LXXIX, p. 371.

parari possit; tum vero ea, quæ in Italicis codicibus desiderantur, quam potes diligentissime excerpte, et lacunas, quæ opus illud deturpant, exple. RR. PP. Sirmondum et Petavium officiosissime a me salutes, qui sibi obstrictiorum me habent neminem. Cl. Naudæo et meo et tuo nomine plurimum debeo; et, cum ejus beneficio liceat, scriptos codices bibliothecæ Mazarinæ (1) excute, et si quid istic ad Pontificum Vitas (2) pertinens observaveris, me mone. Interim cum itineri (3) te accinctum audiām,

(1) *bibl. Mazarinæ*, cui Naudæus præterat.

(2) *ad P. Vitas*. Quo consilio talia sibi peteret disces pag. 280, et e fine notæ proximæ.

(3) *itinieri*, « nempe Romano. Huc etiam pertinet elegantissima et lectu dignissima epistola per illustris et ampliss. V. Cl. Sarravii [vulgo *Sarrazu*], senatoris supremæ curiæ Parisinæ doctissimi et celeberrimi, Lutetia Romam ad me missa kal. maii an. 1648, quæ inter Epistolas ipsius a filio Is. Sarravio an. 1654 Arausione in Gallia in 8°. editas, et seren. Suecorum reginæ Christianæ deditas, exstat p. 229 et 230. Pars istius epistole præcipua hæc est: « Tuam enim ad omnia magna natam indolem et factam, uti et ingenium liberale et solers, laborem improbum, eruditio nem haud vulgarem et supra etatis captum longissime proiectam, su spicio, amo, colo, mi Lambeci. Nec vereor ut Italij jam fere con genita et fatalis ignavia laudabiles impetus conatusque tuos obtundat et moretur. Quin potius ab inquis istis possessoribus erue et eripe defossos pridem bonarum litterarum thesauros, nobisqum aliquando communicando. Hic enim tua peregrinationis fructus ad te redeat oportet, neglecta opera quæ in lustrandis oculis curiosiore vetustis ruderibus frustra plenumque et male collocatur. Cæterum gaudeo impensius et jurisprudentiae nostræ ex anima gratulor, quod Themidis castissimæ divæ sacris volueris initiar. Nec indigna est te sacerdote severa hæc dea, quæ sui studiosos et

iter tibi facillimum faustissimumque opto, ut mihi gratissimo optatissimoque tuo amplexu et contubernio quamprimum frui licet. Vale, Roma. Prid. Kal. octobres  
TITAXCICIA

## XC.

## DONIO (1).

MOLTO ILLUSTRE SIGNORE E PADRONE OSSERVANDISSIMO,

AL mio ritorno dalla provincia d'Abruzzo, dove sono stato alcune settimane per negotio del nostro Capitolo, mi fu presentato dal signor abate Filicai l'eruditissima opera di V. S. sopra la musica degli Antichi (2), insieme con un altro esemplare per l'ementissimo signor cardinale Barberino mio signore, e benchè li molti negozj della suddetta visita, e la venuta d'un mio nipote (3), fin ora

« religiosos vix sinit inhonorates. Te sane Musarum delicium et charis-  
 « simus alumnus complectetur et in sinu sovebit. Ita voveo pre-  
 « corque, et ut me tuorum in numero habeas bonum et fortis. Virum  
 « magnum Holstenium, avunculum tuum, olim mihi apud Antissio-  
 « dorensem episcopum cognitum, queso, ni grave est, nomine meo  
 « saluta. Utinam autem que habet infinita veteri geographia illu-  
 « strandae, tuae fidei committat, dum ille Pontificum Vitis ex anti-  
 « quis monumentis adornandis melius incumbet. Illa enim tua, haec  
 « ejus statu apprime convenient. Vale et me ama. » LAMBS.

(1) E Bandinio p. 216. Commercii Boniani.

(2) degli Antichi. Hoc anno prodierant « Jo. B. Donii, de praes-  
 « stantia Musice veteris libri III, etc. » Cf. Bandin. ibid. p. cvij.  
 Donii Epistola ad Holstenium quam huic tractatu comitem dederat  
 est CLV in collectione Bandiniana.

(3) nipote : P. Lambecius.

non m'au permesso di leggerla tutta seguitamente e con quella attenzione che ricerca la curiosità di sì bella materia , et il dotto e vago modo con che V. S. la tratta , non dimeno da una scorsa non totalmente superficiale ho presso un saggio della sua tanto a me et al mondo già conosciuta erudizione. E tanto più m'è piaciuta la detta opera che , non entrando nelle minuzie e scrupulose differenze di quella scienzia da pochi penetrate , da campo anco all' ingegno e giudizio di quelli che della musica erudita non intendono se non le cose più generali. Non deve temere (1) V. S. l'invidia o mala lingua degli ignoranti che biasimano quello che non intendono ; nè la considerazione del sciarugato secolo in che siamo deve tornare un animo generoso dal ricercare e rimettere in piede le scienze degli Antichi. Il buono non è inteso da tutti. Νοσούσι αἱ φρενες τῷ θεάτρῳ , disse quel musicò (2) che si vidde anteporre un sonatore sciocco e plebeio. In questo mio viaggio ho fatto parecchie belle osservazioni , e buscato alcune memorie circa la Via e Provincia Valeria , principalmente della continuazione di detta strada a Cefennia usque ad ostia Aterni , fatta da Claudio (3) imperadore , che lei

(1) *temere.* Hæc videntur respondere Donianis istis : *La sua cortesia m'assicura poi ch' ella si degnerà di difendere così l'opera stessa, come l'intenzione che ho avuto in publicarla.*

(2) *quel musicò.* Verba sunt Cratini poetæ apud Alianum V. H. II. 13. Historiolam de musicò nescio unde Holstenius habuerit.

(3) *Claudio :* quod patet ex inscriptione , cuius hic particolam adponit Holstenius : integrum autem Annotationibus suis in Italiam Cluverianam inseruit p. 154 , ubi Viam Valeriam doctissime illustrat.

chiamò ~~SIAM CLAVDIAM XALERIAM~~. Però le turbolenze, che vi sono da per tutto, non m'anno permesso di sodisfarmi intieramente. Ringrazio infinitamente V. S. del suo eruditissimo libro e la riverisco con vivo affetto. Roma xxx novembre MDCXLVII. Di V. S. molto illustre affezionatissimo servitore LUCA HOLSTENIO.

## XCI.

## NIC. HEINSIO (1).

Patavium.

Vererer ne *απροηγοφή* diuturnior amicitiae nostrae fraudū esset, nisi meum animum tibi perspectissimum esse crederem, sciremque te affectum potius quam sollicitam officiorum ostentationem ab amicis exigere. Interim tribus tuis responsum debeo. Harum primæ, quas Bononia mense septembri scripseras, sub exitum novembris mihi ex Pelignis et Marracinis redeunti adventoria longe gratissima fuere; quod te ex Neapolitano tumultu (2) feliciter elapsum nunciarent. Paulo post binæ Patavio supervenerunt negotiis Collegii nostri, quorum caussa iter intempestivum susceperam, etiam tum occupatissimo. Hæc longioris silentii caussa, cui veniam, spero, impetrabit ea, 'quam toto illo itinere circumtuli, tui et Nasonis tui memoria. Etenim Sulmone, ubi substi triduum, diligentissime inquisivi in codices schedasque Ciofani (3), magno te gra-

(1) Ex Burmanni Sylloge t. V, p. 433.

(2) *Neapol. tumultu*: Cf. p. 385.(3) *Ciofani*, Sulmonensis, qui omnia Ovidii opera observationibus omnibus illustravit. Vide Epist. XCII, XCIII.

tissimoque munere beaturus, si quid eorum bona sors obtulisset. Sed quod nobilium plebisque factionibus commota civitas tota tunc in fermento esset, haud tutum fuit versari in publico, et privatorum ædes curiosius rimari. Hoc duntaxat rescire potui, ad nescio quem obscurum et ignobilem hypodidascalum pervenisse adversaria Ciofani, qui primarius magister ludi fuerat. Ita quidem re infecta discessi : sed operam mihi sedulam polliciti sunt Jo. Ant. Tabassius canonicus et patricius, et Mutius Febonius (1) chorepiscopus, quos isthic amicos habeo, nec a pervestigando desistent antequam certum quid exploraverint. Favent diligentiae nostræ Ἐπιτήσιον : quidquid ille obtulerit, tuum erit, mi Heinsi. De Alexiade (2) factum nolle; quod tibi nuntianti non credissem, nisi me paulo post submissum a regio typographo Protrepticon confirmasset. Id fidem meam nostramque amicitiam testor, me

(1) *M. Febonius*. Quæro Mutium Phœbonium in Saxii Onomastico. Cf. infra p. 396. Illius et meminit Noster Annot. ad Cluver. p. 139.

(2) *Alexiade*. Codicem Alexiadis Gronovio destinatum (cf. p. 577) Seguierius cancellarius Franciæ Possino vertendum mandaverat. En ipsa Protreptici verba p. 11, §. 13, ad quæ infra adludit Holstenius :

« Regiis typis excusa prodibit integra historia [ Annæ Comnenæ ] ex codice Ms. quem ex Florentino serenissimi Hetruriæ Magni Ducis Ferdinandi II optimæ notæ libro maximam partem descriptum » Roma misit jussu eminent. cardinalis Fr. Barberini Lucas Holstenius. Interpretationem Latinam parat Tolosæ R. P. Petrus Possinus societatis Jesu. » Cæterum Possinus in sua ad Annam præfatione usum esse se profitetur codice Barberino cuius lacunas e Mediceo Holstenius suppleverat. Multi sunt hac de re in mutuis epistolis Gronovius et Heinsius. Vide et Is. Vossium in Syll. Burm. t. III, p. 572, 575.

non alio animo codicem meum Lutetiam misisse, quam ut  
Puteanorum fratrum opera porro ad Gronovium nostrum  
perferretur; idque tuo me fecisse consilio haud dubie re-  
cordaberis. Nunc manu veluti prædæ injecta, et mihi  
beneficium periisse et amicissimo homini editionis spem  
laudemque interceptam video, mirorque plurimum qua  
fronte in Protreptico cardinalis Barberini jussu codicem  
submissum scripserint, quem Gronovio destinatum injecta,  
ut dixi, manu interverterunt. Neque enim ex Barberina,  
sed ex Medicea bibliotheca describendum curavi; eique  
rei hominem Græcum Roma Florentiam meo sumptu per-  
duxeram. Neque vero concoquere potui, quin acriter ea  
de re conquererer apud regii typographii præfectos, quod  
ipsorum culpa fides mea vacillet apud eum cui studia et  
obsequia mea probare impense cupio. Poematum pulcher-  
rimorum editione (1) Musas et Charites omnes tibi de-  
vinxisti, me vero etiam insigni benevolentia testimonio.  
Non poterant se meliori elogio bonis doctisque insinuare,  
quam equitis Puteani illustri et venerando nomine (2).

(1) *editione*, quæ Patavii prodidit an. 1648.

(2) *Puteani — nomine* : editionem hanc Heinsius dedicaverat  
Cassiano Puteano, de quo supra p. 111, epistola quæ, in editione  
Amstelodamensi an. 1666, primo Elegiarum libro præfixa est. Ibi  
clarissimo ac summæ eruditioñis viro L. Holstenio, cum multas  
alias ob causas, tum hoc præsertim nomine devinctissimum se  
profitetur Heinsius, quod primus ad Puteanum aditum ipsi Hol-  
stenius parvit. Hoc est quod vocat Noster insigne benevolentiae  
testimonium. Elegiarum ille liber *Italica* inscribitur, et credo pu-  
tasse tunc nonnullos mendum esse hypotheticum pro *Italia*; Ultimum,  
verbi causa, qui ad Heinsium talia scribit in Syll. Burm. t. III,  
p. 727 : « De ITALIA elegiarum tuarum libro modestia tua, nec

Hoc enim virtutis et humanitatis sacrarium omnes merito amant, colunt, suspiciunt. Operæ pretium haud dubie feceris, si scriptorem illum veterem rerum Berengarii, hactenus nec fama notum; ex tenebris protraxeris. Inscriptiones Zelandicæ pergratæ mihi fuerunt. De Nehellenia (1) frustra inquire puto; fuit enim haud dubie numen nomenque *Ιπιχαπίου*, cuius generis non pauca in magno opere Gruteri extant; de quibus haud (2) temere quisquam, nisi Goropius aut Schrickius, pronuntiaverit. Vale, mi Heinsi, et parentem tuum officiosissime a me saluta. Lambecius nepos meus cum amicissima salute gratias pro

« tenuitas mea et ruditus, quo nunc utor, stylus patiuntur, ut digna loquar; » Gronovium ibid. p. 204 : « *Italiam* illam tuam ipsa « Italia elegantiorem bis accepi; » J. Rhodium ib. t. V, p. 443 : « Nudius quartus Puteanus eques nuntiavit *Italiam* Holstenio mire « placuisse tuam, suum pleno verborum modio in te testatus avi- « mum. » Hæc etsi levissima scripsisse non piget, quod lectoribus prodesse poterunt Sylloges Burmannianæ, quos editor negligentior nullis fere notis juvit.

(1) *Nehallenia*. An. 1646 in litore Zelandicæ monumenta antiqua reperta sunt nonnulla, et inscriptiones Latinæ cum Nehallenia, Deœ ignote et *Ιπιχαπίου*, nomine. Videantur Keysleri Exercitatio de Nehallenia; Clericus in Bibl. Veteri t. VIII, p. 414 sq.; Graverolius post Sorberiana p. 579; Muratorius Thes. Inscr. p. 108, 6, ad quem omnino conferendum Saxii scholium; Sirmundi Opp. t. IV, p. 695.

(2) *Goropius aut Schrickius*: antiquarii ridiculi et iusani, quorum ille Adamum lingua Cimbrica vel Belgica usum fuisse credidit, et absurdum absurdum conumentum nominum etymologiis firmare tentavit; hic Belgicam linguam ab Hebreæ non multum differre scripsit et aliis opinionum portentis fidem facere enixus est: vide de utroque Paquotii Memorias.

munere (1) maximas agit. Romæ ix eid. februari. cœloœxlvix.  
Adjunxi literas ad Fran. Bern. Ferrarium (2) bibliothecæ  
Ambrosianæ præfectum, veterem et optimum meum ami-  
cum : ille unus tibi instar omnium erit.

## XCII.

## N. HEINSIO (3).

Patavium.

Ut videoas quam non sine successu nobis fuerit amico-  
rum diligentia in Ciosani Observationibus (4) pervesti-  
gandis, mitto ad te literas Mutii Febonii chorepiscopi  
Sulmonensis. Is Antuerpiense exemplar (5) apud Fran-  
ciscanos se reperisse nuntiat Ciosani manu passim inter-  
polatum et emendatum. Verum cum exemplar nec prece  
nec pretio obtineri possit, suam in transcribendo operam  
offert; quam ego minime negligendam ratus meum codicem

(1) *munere*. Procul dubio editionis poematum Heinsianorum Pa-  
taviniæ.

(2) *Ferrarium*, autorem libri de Veterum acclamationibus et  
plausu, aliorumquo operum, de quibus cf. Saxii Onomasticon. Is.  
Vossius in Syll. Burm. t. III, p. 577, illum Italorum dñniū longe  
doctissimum vocat ; verbisqne honorificentissimis ejus meminit in  
Syll. Uhlii lib. XI, p. 218, 281, et Burmanni t. III, p. 199, Nic.  
Heinsius, qui et illius effigiem octasticho ornavit, inter Poemata  
reperiendo p. 199.

(3) Ex Burmanni Syll. t. V, p. 434.

(4) *Cios. Observ.* Cf. p. 392.

(5) *Antuerp. exemplar*. Ciosani Observationes in omnia Ovidii  
Opp. prodierunt Antuerpiæ ex officina Plautini an. 1583.

ad ipsum misi, ut in ejus margines accurate quidquid id laboris fuerit transcribat. Rogavi præterea ut porro in perquirendo pergat; idque eum sedulo facturum non dubito. Librum meum, statim ut recepero, ad te perfundendum curabo, et si quid amplius erui in lucem poterit. Literas meas, quas ante paucas septimanas ad te dedi, recte perlatas spero. Adjunxissem alias ad amicos Mediolanenses, si humanitatis ac doctrinæ tuæ præstantia aliorum commendatione egeret. Vale, vir prætantissime, meque tibi omni affectu addictissimum, quod facis, porro ama. Romæ, prid. kal. martias cœlœxlviii.

## XCIII.

NIC. HEINSIO (1).

Mediolanum.

ANXIUM me diu sollicitumque habuit valetudo tua; parum enim commoda Patavii te usum amici nuntiarant. Nunc itineri etiam vires suffecisse cum intelligam, gaudeo sane tibique gratulor: eoque confirmatiorem experieris spero, quo ad patrium coelum accesseris proprius. Interim recte facis, quod lente festinas, gradumque subinde sistis (2), præsertim ubi Musæ de via invitant, et moræ pretium ostendunt; quod Mediolani haud penitendum feres, nisi me

(1) Ex Burmanno ib. p. 434.

(2) *gradum sub. sistis.* Heinsius ipse testis ad Gronov. in Syll. Burm. t. III, p. 199. « Habes hic responsum; nec citius a me mitti « potuit, quod diu satis in itinere versatus sum, dum Mantua, « Verona, Brixia, aliisque civitatibus perlustrandis occupor. »

concepta de Ambrosianæ bibliothecæ præstantia opinio fallit, et eruditorum hominum qui eidem præsent humana-  
ritas. Et quia in Latinis poetis restituendis tua maxime  
versatur opera, excutias, queso, Catulli exemplar quod  
Ripamontius in card. Borromæi Vita mirifice prædicat.  
Ovidianos codices optimos bona favensque Fortuna tibi  
afferat; nam Salmonensis spes (1) plane decollavit, cum  
hactenus summa diligentia effectum sit nihil. Mitto de-  
scriptus operidas, quas ipse (2) Plantiniano Observationum  
exemplari appinxerat. Sed nebulam videbis pictam in pa-  
riete, ita levia sunt et bonæ frugis vacua hæc annota-  
menta, quæ veterum librorum adeo non meminere, ut de  
fide hominis dubitem, verearque ne Msstis. codicibus præ-  
dicandis fumum vendiderit. Interim hoc unum impensi  
laboris pretium nobis erit, ut quod periisse videmus per-  
ditum ducamus, nec frustra quærendo amplius laboremus.  
Opem in libris apud vos parandis quod tam liberaliter et  
benigne offers, gratias quas debo possumque maximas  
ago; nec repudiat beneficium herus (3) meus bonorum  
librorum, quod nosti, cupidissimus. Pollius tuos, puto,  
Amsterodamum misit; id enim se facturum quantocuyus  
promittebat, cum indicem eorum consicerem: eos quoque,  
quos Neapoli reliqueras, salvos tibi futuros confido. Nam  
incendiis ædiumque demolitionibus post discessum tuum  
grassatores (4) illi abstinuerunt. Nummis antiquis onu-

(1) *Sulm. spes*: cf. p. 396.

(2) *ipse*, Ciosanius: cf. p. 396.

(3) *herus*, cardinalis Fr. Barberinus.

(4) *grassatores*; cf. p. 385.

stum (1) ad tuos te redire gaudeo : ita non solum præcelentiam , sed et instrumenta eruditionis perdit Italia. Habeunt enim nostri homines quo semidoctorum antiquariorum fastum retundant. Prostat hic magna numismatum supellex , studio impensaque incredibili conquisita a cardinali Boncompagno (2); sed emptorem vix inveniet Romæ aut alibi per Italiam. Sed quid ais? Allatius noster in Melampygum (3) incidit ? Id sæpe futurum prædixi, quo intempestivam maledicendi pruriginem compescerem. Sed qui alios convitiis defricare amat se ab aliis probe depexum haud ægre feret. Neque enim obstinatam doctos viros , præsertim ὑπερβοέους , suggillandi voluntatem nisi cum vita deponet. Parentis tui summi optimique viri effigiem mihi periisse doleo : etenim lubenter ex tanto intervallo recognoscerem , quam animo adhuc infixam servo. De Alexiade (4) nuper rem ut gesta est planissime exposui : maxime enim fidem et candorem meum tibi et Gronovio nostro probatum cupio. Salutat te Lambecius noster , qui studiis ac famæ tuæ summopere faveat. Vale , amicissime Heinsi , et , quod facis , rem porro feliciter gere , et me tibi addictissimum ama. Romæ idib. maiis ccccxlviii.

(1) *nummis antiq. onustum.* Is. Vossius ad Heinsium in Syll. Burm. t. III, p. 569 : « Quod in nummis antiquis conquirendis tam bona utaris fortuna , et hoc quoque tibi gratulor. »

(2) *supelles—Boncompagno.* Pretiosus ille antiquariæ rei thesaurus nunc est dispersus, et fere periiit.

(3) *Allatius—Melampygum.* Innuitur hoc proverbio notissimo Allatii mescio nunc quis adversarius.

(4) *Alexiade.* Cf. p. 593.

## XCIV.

## LAMBECIO (1).

Tolosam.

CHARISSIME PETRE,

Gaudeo post longas (2) difficillimasque itineris moras te eum subiisse portum, in quo optata studiorum (3) tranquillitate frueris. Illustrissimus archiepiscopus (4) cuius te favori et patrocinio commendaveram, nimia me benevolentia oneravit, ut quibus verbis illi gratias agam plane non inveniam. Tuum erit vitam et studia ita instituere, ut modestiam, humanitatem et industriam tuam sic illi probes, ne aut me commendationis, aut ipsum beneficij in te

(1) E Kollarii Anal. t. I, p. 1185, et Crugero p. 85.

(2) *longas*. « Vide Prolegomena mea, quæ, in libro I Originum et rerum Hamburgensium, Vita S. Anscharii, primi archiepiscopi Hamburgensis, præfixa sunt. » LAMB. Cf. infra p. 409.

(3) *studiorum*; « et quidem in primis jurisprudentiæ, quæ in inclita academia Tolosana semper præcipue floruit et etiam nunc floret. Vide Ampl. Cl. Saravii epistolam de me meisque studiis, missam Lutetia Amstelodamum ad v. cl. Dav. Blondellum d. 22 sept. a. 1656. Exstat autem ea inter Epist. Saravianas p. 306 et 307, ubi ipsa verba ad rem præsentem præ ceteris pertinentia sunt hæc : Tolose totum annum moratus est, et juris studiis diligenter incubuit. » LAMB.

(4) *archiepiscopus*, « nempe Tolosanus, Car. de Montchal, de quo vide plura in Epist. dedicat. ad emin. card. Fr. Barberinum, quæ Syntagmati meo Parisino Originum et Antiquitatum CP<sup>tanarum</sup> præfixa est. » LAMB.

collocati unquam pœnitentia facilius facturum confido, si eam, quam hactenus tenuisti, vivendi rationem constanter serves, et virtutis atque doctrinæ acquisitionem omnium rerum præcipuam ducas. Pietatis et christianæ religionis rite excolendæ præcepta alia non est quæ tibi suggeram, quam ut ea imiteris, quæ intueris quotidie in religiosissimo illo antistite, quem ut perfectissimum virtutum exemplar omnis Gallia miratur. Ex ejus præscripto studia instituas, quem ad tantum dignitatis apicem illustris doctrinæ gloria provexit. Monueram te hinc abeuntem ut S. Ferreoli, Ucetiensis episcopi, Vitam ex Foxiensi Msto mihi impetrares; cujus Regulam monasticam jam excudi curavi cum aliis SS. Patrum Regulis (1). Promisit etiam operam suam R. P. P. Possinus (2), qui obtinendi viam modumque suggeret: nam et istic dracones thesauris incubare audio. Salutant te veteres amici, et in his comes Ubaldinus (3). Tu illustr. præsulem omni obsequio et observantia cole, et mea illi studia et officia venerabundus defer. Vale. Romæ, prid. kal. april. circ. 1611. Tui amantisimus L. HOLSTENIUS.

(1) *P. Regulis.* Cf. p. 345.

(2) *Possinus*, vulgo *Poussines*, &c Soc. J., tunc Tolosæ degens. D  
LAMB.

(3) *Ubaldinus*, de quo p. 317.

## XCV.

V. CL. ET R. JAC. SIRMONDO S. J. PRESB. (1)

LUCAS HOLSTENIUS *in partem.*

Remisi non ita pridem per P. Dinetum, doctum et religiosum virum, Antiquitatum CP. eclogas et Diurnum Pontificum (2): neque est quod recte ad te perlatum dubitem. Gratias pro eo ac meritis ingentes, non meo tantum, sed et Lambecii nostri nomine tibi ago; referre etiam, ubi occasio se dederit, obnixe studebo: et retulissem ex animi tui sententia, nisi iniquitas temporum et rei literariae calamitas voluntatem meam elisisset. Nam de Carthaginiensi Synodo (3) omnem lapidem, sed nullo operae pretio, movimus. Cardinalcm Capponium, quem in Bibliothecarii munere successorem Justinianus (4) accepit, una mecum societatis vestrae Patres primarii et in aula gratiosi, hactenus frustra rationum momentis precipibusque obtundunt. Adfuit nobis cardinalis Spadæ, sacræ antiquitatis scientissimi, opera et auctoritas: sed nec ea

(1) Ex Opp. Sirmondi t. IV., p. 700.

(2) *Antiq. C. P. eclog. et D. Pontif.* Sirmondus epistola ibidem videnda ab Holstenio petierat ut Formulas Romanas et τὰ θεάτρα καὶ τὰ περὶ κτισμάτων restitueret, ipsi commoda data. Cf. sopra p. 366.

(3) *Carthag. Syn.* Sirmondus ibidem: « Synodus Africananam, quam expeti a me non ignoras, qua ratione consequi liceat videamus cum D. cardinale. »

(4) *Justinianus*: cf. p. 257.

Expugnare potuit \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \*

\* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \*

Dinetus in ipso discessu triplicis nummi tui (1) explicationem sane eruditam nobis exhibuit; cui cum meam de ANASTASI paulo diversam sententiam pro re nata indicarem, minime eam visus est improbare. Existimo enim non templum Hierosolymis ab Helena Augusta excitatum; sed ipsam Dominicam Resurrectionem hoc numero exprimi. Etenim ex similibus christianæ antiquitatis monumentis mihi observatum memini priscos fideles totam Christi Servatoris oīcovōpīā in partes actusque certos distribuisse: quorum præcipios nummis ejusmodi, picturis et marmoribus effigiatos suis cum nominibus et appellationibus propriis observavi. Taceo Χαιρετισμὸν, Γένεθλια, Θεοφάνια, Τπαπατηνή, Fugam in Ægyptum, Σταύρωσιν et Ανάληψιν, quorum ectypa passim extant; unam duntaxat commemorabo tabellam æream in cardinalis Barberini timeliis Christi Domini regnum et sessionem ad Patris dexteram συμβολικῶς ita repræsentantem: sellam illa habet

(1) *triplicis n: tui.* Sirmondi Dissertation inscripta *Triplex nummus antiquus, Christi Domini, Perperence civitatis, Hannibaliani regis*, annoque 1650 vulgata, reperitur in 1<sup>o</sup>. ejus operum tomo. Primi nummi, nempe Christiani, & una in parte Christi & Domini plena facies expressa, vivida et gravis, in altera templum & rotundum cum armato utrumque milite, supraque inscriptum & ANACTACIC: verba sunt Sirmondi in *Tripl. Nummo* §. 1, cuius confer et epistolam ad Holstenium Opp. t. IV, p. 700 c. Vocem ANACTACIC intelligebat de templo ac Basilica eo nomine in Resurrectionis ipso loco superstructa, quod Holstenius nunc refutat.

sive thronum pulvillo instratum, cum inscriptione ETOI-MACIC, quo ad psalmum 9, 3. 9; 88, 3. 15; 92, 3. 2, alludi nemo dubitet; præsertim cum in antiquissimo psalmorum codice bibliothecæ Barberinæ, picturis marginibus elegantissimis exornato, thronum illum majestatis eodem modo appictum cernere liceat. Hæc tamen ita scribo, ut nihil contra subactissimi judicii tui (1) sententiam pertendam; indicasse contentus quæ mihi tunc occurabant ex tempore, et doctissimo collegæ tuique amantisimo non improbari videbantur. Comparuit deinde Tristani inclemens sane et inhumana epistola (2), quæ omnes humanitatem cum literis hic profitentes, et nomini laudique ejus cæteroquin faventissimos, non leviter offendit. Quæ enim, bone Deus! animi impotentia est tantillam ob rem tam graviter et acerbè stomachari, et causam non rationibus sed conviciis evincere conari! Quo magis miranda est tua illa prudens in respondendo modestia, digna ætate atque ordine illo, digna fama ac nomine tot meritis in rem literariam parto. Et ne verbis tantum et inani plausu parti tuæ in hac concertatione favere videar, mitto tres alias Perperenorum nummos, invisos hactenus, eoque, ut spero, tibi gratiores. Deprompsi eos et quam potui fidelissime delineavi ex magno opere Pyrrhi Ligorii de nummis Græcorum, quod manuscriptum pictumque accurate in Farnesiana bibliotheca ante paucos dies ~~desponsatus~~

(1) *judicij tui.* De ANASTASI assentiri Holstenio non potuit Sirmondus, cuius lege epistolam aliam ibid. p. 704 B.

(2) *Tristani—epistola*, cui Sirmondus *Anti-Tristanum* opposuit: vide Bailleti *Judicia* t. VI, p. 190.

*τύχη* inspicere licuit. Tuam vero sententiam ita confirmant, ut qui contra hiscere audeat futurum putem neminem. Majorem nummum M. Aur. Antonini Imperatoris ab Achille Maffeo ad Cæsarem Gonzagam principem Mantuanum pervenisse testatur Ligorius; duos minores Commodi Cæsaris a nescio quo Tavera habuit, quem sæpius eodem opere laudat: nec forte memoria ejus, cum tu Romæ commorareris, interciderat. Ligoriū autographum religiose secutus sum: puto tamen in Antonini nummo non IEPOC, sed IEPEOC scriptum scalptumve fuisse: quod, ut oculos Ligoriū fallere potuit, mentem certe non fefellit, dum Glauconem illum Flaminem Augustalem Perpetuum interpretatur. Addit enim explicationem verbosam, cuius summa est: Perperenē claram tunc liberamque civitatem fuisse; hasce enim solas jus cudendæ monetæ habuisse a Romanis; Bacchum vero ejusque symbola nummis insculpsisse ut regionem suam vni feracissimam esse ostenderent; meminisse eorumdem Strabonem et Plinium: hæc Ligorius. Nunc quia viam nobis ad veritatis pervestigationem aperiui, Ptolemæo etiam Perpere ex Palatinis et Barberino MSS. restituenda est. Nam, ubi Περπέρη nunc inter Lydiæ civitates primo loco legitur, Περπέρη in Palatino, Περπέρη autem in Barberino extat: unde verum nomen Περπέρη reponendum nemo, puto, dubitaverit. Sed non ita facile statuerim de Stephani (1) loco, cuius Περπέρη aliorum Περπέρη videtur, adeoque in vitio cubare verba illa, τινὶς δὲ Περίη τοῦτο καλοῦσσι, corrigendumque

(1) Stephani: cf. Noster ad Stephanum p. 246, ubi et quæ præcedunt illustrantur.

*Περπάτην.* Sed de hac correctione sententiam tuam, n*isi* grave est, rescribe. Deus tibi vitam et valetudinem quam diutissime proroget, literarum decus. Vale, Romae idib.  
maiij MDCL.

## XCVI.

V. CL. ET R. JAC. SIRMONDO S. J. THEOL. (1)

LUCAS HOLSTENIUS S. P. D.

NUMMOS Farnesianos opportunitate sua gratos tibi advenisse gaudeo, Cl. Sirmonde, ut hoc saltem officio nostra tibi profuerit amicitia, cui jam pridem ex voto aliquid praestare per tempora studiis parum æqua non licuit. Stabit, spero, invicta Perperenorum caussa tot præsidiis firmata, præsertim cum suppetias nostras ex Ptolemæo et Stephano judicio tuo (2) corroboraveris. Mitto nunc quemq;

(1) Ex Opp. Sirmondi t. IV, p. 705.

(2) *judicio tuo.* Sirmonius Holstenius ibid. p. 703. « . . . . Nam  
« enim, ut opinor, ad cumulum operam debes clientibus tuis Per-  
« peren, quorum tu causam feliciter tutari et ornare orsus es, tum  
« Farnesiano trinummo [ cf. Noster p. 404 ] de quo dixi, tum cer-  
« tissima emendatione Ptolemæi, apud quem Περπάτην restituendum  
« doces pro Τεμάχῳ; quod ipsum nobis, ut quod res est dicam, sub-  
« oluerat, cum in Ms. nostro Περπάτην scriptum cerneremus. Sed de  
« Stephani loco' propria laus est tua; nisi quod timide nimis visus  
« es affirmare. Nam qui dubium esse queat quin Περπάτην χέρα  
« Stephani, quam ab aliis Perperinam vocari monet, ipsa sit que  
« ἡγεμονία Περπατηνῶν in vetere nummo appellatur, cuius universæ  
« caput fuerit Περπάτην? Quare utroque in capite suffragatorem me  
« tibi plausoremque habiturus es. »

petis (1) Hanniballiani nummum ex archetypo musei Barberini accurate depictum. Adhibui et alium amicissimi nostri Gottifredi (2), ut collatione utriusque singulos apices distinctius perspicerem. Posterior tuo illi persimilis videntur, inferiori parte adversæ figuræ ita truncatus ut urnæ amnisque profluentis nullum in eo vestigium appareat, quæ Barberinus perspicue exhibit cum vestigijs literarum CONST, quam fieri potuit simillime hic adumbratis. Eadem Dionysius Sada (3), celebris olim antiquarius, in suo sibi nummo lectas descriptis in Supplemento Occqiano, quod manuscriptum amicus nobis ostendit. Juncum ad lævam fluvii recubantis surgentem, quem in Barberito æruscator incautus plane extrivit, ex Gottifrediano ad junxi; ita ut dubitandum non sit quin Euphratem exprimat hic nummus; idque Sadam suo in libro notasse video. In Hanniballiani prænomine distinguendo aqua mihi hæsit. Nam nummus cardinalis nostri CL ita exhibit, ut dijudicari oculis non possit, utrum C sinuatum in angulos, an vero F crure inferiori curtatum repræsentet; sed Gottifredianus et meo et amicorum, quos spectatores admisi,

(1) quem petis. Sirmondus ibid. « Nummi alterius, quem penes optimum hūmanissimumque cardinalē nostrū [ Fr. Barberini numm ] esse audī, Hanniballiani regis ἱκτυπον quoque impetrat mihi, ex quo quid in meo desit, quem H. Valesius in Notis ad Marcellinū [ ipso statim initio ] edidit, cognoscere ac supplere liceat. Memini namque opificem, cum hunc in æs incidet, studio quædam omisiisse quæ non satis expressa et perspicua erant in archetypo. »

(2) Gottifredi, Alexandri, Jesuitæ, de quo vide Apes Allatianas.

(3) Dion. Sada de quo Saxius Onom.

judicio, FL. habet: neuter duplex nomen FL. CL., uti nec Sada agnoscit, quale Tristanus in suo posuit, quodque in eadem gente Juliano Aug. usurpatum scimus, ut non uno eodemque typo omnes istos nummos effigiatos crediderim. De Plinii loco (1) duos tantum recentiores codices bibliothecæ Barberinæ inspexi, qui *Præparentium* vulgato errore præferunt. Ubi Vaticanos ipse, Insubricos autem et Venetos per amicos consuluerο, certiora perscribam. Quid de postremo Tristani responso (2) sentiam, simul ac Romam perlatum fuit, ad communem amicum Raphaelem du *Fresne* perscripti; nec dubito quin, quod me cuperem significaram, vel literas ipsas tibi exhibuerit legendas, vel argumentum earumdem exposuerit. Tres enim novas quas affert de Anastasi assertiones minus mihi probari ostendi, quod Anastasin Hierosolymitanam sacellum haud magnum, et majoris ecclesiæ appendiculam fuisse pertendat, non recte percepto Eusebii (3) testimonio, quam ecclesiam metropolitanaam et caput universi patriarchatus fuisse ex concilio Chalcedon. Act. VII. certo constat, ubi Juvenalis episcopus tres Provincias Palestinæ suæ sedi subjectas, πρὸς τὴν ἀγίαν τοῦ Χριστοῦ ἀράσην pertinere assertat, eamdemque Maximus Antiochenus thronum Hie-

(1) *Plinii loco.* Lib. XIV, c. vii, ubi pro *Præparentium* Sirmondus *Perperenum* legebat, quam emendationem eruditæ asseruit in *Triplici Nummo* §. 2. Hodie scriptum est *Peparethium*.

(2) *Tristani responso*, quod *Antidotum* inscripsit, et cui Sirmondus opposuit *Anti-Tristanum Secundum*. Vide Sirm. I. c. p. 704 E, et Bailleum t. VI, p. 190.

(3) *Eusebii*, Vit. Const. III, 40. Cf. Sirmondus Anti-Trist. II, p. 463 D.

rosolymitanum vocat; tum vero quod ex inepta Cedreni (1) versione nescio quod sanctum sepulcrum in Blachernensi ecclesia soli sibi reperisse videtur, ubi τὴν ἀγίαν σορὸν τὴν ἐπάφια στήρυγμα B. Virginis a Pulcheria Aug. reposita fuisse ex Nicephoro aliisque (2) notissimum est. Omitto quæ de ecclesia in Chalcoprateis (3) idem Nicephorus prodit, cui τῆς ἀγίας σορᾶς nomen eadem Pulcheria fecit a capsâ, in qua B. Virginis zona recondita servabatur. Sed tu, mi Sirmonde, rectissime et tuo nomini consules et ipsius pudori, si aut nihil, aut quam brevissime responderis. Multa enim nec gravitas tua neque ipsa res postulat. Lambecium nostrum belli civilis metu Tolosa ad vos reversum pristino affectu complectere, tuoque consilio in CP. Antiquitatibus edendis dirige, et me tibi devinclissimum ama. Vale. Romæ x kal. septemb. ciroct.

## XCVII.

## N. HEINSIO (4).

Leidam.

Quo te hactenus regna et provincias exteras obeuntem  
constanter prosecutus sum affectu, amicissime Heinsi,  
eo nunc redditum tibi ad Batavos tuos gratulor, teque in  
suavissimum illum Musarum sinum, in quo natus es, et

(1) *Cedreni*, p. 344 D.(2) *Nicephoro aliisque*: vide quæ collegit magna cum diligentia Cangius CP. Christiana IV, 2, 6.(3) *in Chalcoprateis*: cf. Cang. ibid. §. 9.

(4) Ex Burmanni Sylloge t. V, p. 435.

parenti optimo restitutum gaudeo. Id nunquam tibi obscurum fuisse existimo, quantæ nobis venerationi virtus tua et summa humanitas interim fuerit; quamvis silentio eam magis quam ambitioso literarum officio coluerim. Hoc enim vere tibi affirmo, eorum, qui a multis annis ad Urbem accessere, fama faventiore usum neminem, neque memoriam altius impressam omnium animis reliquisse, quod ad paterni ingenii laudem et illustrem tanti nominis gloriam felici æmulatione te non contendere, sed pervenisse cognoscerent. Mihi autem præcipua causa est, cur præ cæteris obnixe te omniq[ue] obsequio colam, parentis tui, summi viri, æterna in me studiaque meæ beneficia: cui ego quidquid in veterum sapientia cognoscenda hactenus assecutus videor, totum me debere profiteor. Claudio tuum (1), munus longe gratissimum, ab illustrissimo equite Puteano (2) accepi; idemque cardinali Barberino tuo nomine exemplar elegantissime compactum obtulit, quod, pro eo amore quo optima studia complectitur, accepit legitque lubentissime, ita ut ingenii tui sollertia et ~~expeditas~~ judicij in eo scriptore restituendo summopere probarit. Et sane tantum te præstissette judico, ut cæteri ante te nihil egisse videantur, neque quod alii post te amplius agant vel tantillum reliqueris: eoque magnam nobis Ovidianæ editionis exspectationem commovisti, quo nullum præstantius eruditioñis tuæ monumentum consecrare poteris posteritati. Atque hoc etiam nomine in Belgium te rediisse gaudeo, ubi ista bono publico

(1) *Claudianum*, qui prodiit Leidæ an. 1650.

(2) *Puteano*, de quo p. 394.

procures, nam valetudini tuae ab arctoi cœli (1) inclem-  
tia non leviter metuebam, ulcumque benignam regii  
favoris auram te expertum non dubitem. Vale, et paren-  
tem tuum veteresque amicos quam officiosissime a me  
saluta, Romæ iii kal. mai. ciociocli.

## XCVIII.

## AD JOANNEM RHODIUM (2)

## DE MONUMENTO MAGURIANO.

MALO parcius solvere quam longiore procrastinatione  
debitum augere. Promissam tibi Magurianæ inscriptio-  
nis (3) explicationem; sive divinationem potius meam ad  
antiquum illud ænigma, nunc exhibeo; ubi illud jure meo ab  
humanitate tua postulo, ne mihi culpæ aut vitio vertas, si

(1) *arctoi cœli*: nempe Holmiae in Christinæ aula per aliquod tempus Heinsius habitaverat. Cf. Burmann. Vit. Heins. p. 14—18.

(2) Ex Thesauro Novo Sallengriano t. I, p. 583, et Sert. Ursati Monumentis Patavinis p. 351.

(3) *Mag. Inscript.* In hortis Sert. Ursati, Patavini nobilis, ad thermas Aponas repertus fuit an. 1641 lapis cum hac inscriptione obscurissima :

Q. MAGVRIVS. Q. F. FAB.

PEROX

LVS. EPIDIXIB. ET CETAES. I. II. III. IN

GREG. VETVRIANQVAE. ET. IVNI

ORVM. A. A. DICAVIT. EVRAS. VIII.

ET. FERTIC. VNCINOR. XII. N. CCL. IX.

Ursatus, Fort. Licetus, Holstenius, Reinesius explicationes varias  
hujus ænigmatis proposuerunt, legendas apud Sallengrium l. c.,  
inter quas vero propior esse videtur Reinesiana.

a doctissimi amici nostri (1) expositione tantum ~~recedam~~  
quantum

*Dissidet Hesperiis Gadibus Eridanus.*

Ego enim Patavinam inscriptionem existimo *Magurii* civis Patavini, Aquis Aponis dedicatam, in quarum margine repertam scribis. Magurius ille in xysto sive porticu aquis imminentि de suo posuerat *Eurus* illas et *perticas* quas lapis commemorat, ut *lusoribus gregis Veturiace*, quae grex etiam juniorum dicebatur, eorumque exhibitionibus sive exercitiis servirent, quae singillatim explicare operae pretium fuerit.

Q. Magurium Patavinum fuisse ostendit tribus *Fabia*, in quam omnes Transpadanę civitates relatae fuere, cum Romana civitate donarentur. De Brixia, Verona, Mantua multi lapides id testantur apud Rossium, Panvinium et Gruterum. De Patavio idem Gruterus aliquot affert ex Scardeonio, quos videre est cccxl, 4. Dccc, 12. Dcccxxv, 3. Dccc, 1. Dccccxi, 19. Dccccxl, 4. et apud Montem Silicis eccc, 5. Neque hac de re quisquam in his studiis paulo versatior dubitabit.

*Ferocis* cognomen saepius antiqui lapides exhibent. Sic Annius Ferox Senior est Junior apud Gruterum ~~Mlxxxix~~, 6; ut alios taceam.

LUS. EPIDIXIB. ET. CETAES. I. II. III. de Lusorum Epidixibus et Zetas, sive diaetiis tribus intelligo; ideoque in voce CETAES errorem quadratarii, vel potius scriptoris Patavinitatem agnosco, qui pro Z posuit C, forte quod vocis originem et orthographiam ignoraret. *Lusorum*

(1) amici nostri; nempe Fortunii Liceti.

*epidixes* in thermis et xystis olim exhibitas notius est quam ut indicari a me debeat post Mercurialem , Fabrum et alios. Epidixes autem de omnium generum ludis et artificiis, non de solis poetarum et rhetorum recitationibus accipi, cum aliis, tum Cresollius in *Veterum Rhetorum Theatro* prolixo docet. Porticum vero illam mille pedum , cuius vestigia juxta Aquas Aponi Scardeonius et Pignorius extare affirmant, ædificia sive distincta cubicula ( has enim zetas veteres dixerunt ) quam plurima habuisse ignorare non potest qui Vitruvium legerit libr. v, cap. xi, ubi de pæstris et xystis agit.

GREG. VETVRIAN. integris vocibus *Gregis Veterianos* explico. Ubi illud primum moueo *gredem* feminino genere olim dictum fuisse , quod Lucretii exemplo et auctoritate firmat Nonius , apud quem *Buceriaque greges* lib. 2 legitur : sic quoque in magno Inscriptionum opere cccxxxviii, 5, GREX RVSSATA habetur. Veteriana autem dicebatur, quod a Veturio aliquo instituta fuerit. Hanc enim Veterianam familiam Patavii fuisse docent lapides antiqui apud Gruterum DCCCLVII, 10 et DCCCXCV, 1, et alias qui Vigintotti exstat DLXVIII, 2 ex Scardeonio. Vicentiae quoque Viturios fuisse ostendit lapis DCCXLVIII, 8. Eadem grex sive schola lusorum etiam *Juniorum* appellabatur , sive quod non nisi juvenes ad eam admitterentur , sicuti apud Gruterum LVSVS IVVENUM legitur ; sive potius quod jam ante alia schola sive gredem lusorum fuisse in iisdem thermis instituta , ut apud Gruterum DCCXI, 2 Tribules corpori Juniorum in tribu Palatina, et MCXV, 8 Tribules corporis Seniorum clientium tribus Palatiæ ; atque ita passim in *Noititia Imperii* schola militum juniorum et seniorum leguntur.

A. A. Aquis Aponis intelligo, atque ita Scaliger in inde dice magni operis inscriptionem Patavinam apud Gruterum DCCCCXVIII, 3, *Vale ad Aquas*, recte *Aponas* explicat. Fontibus autem sive aquis, præsertim medicatis, quod sacrae haberentur, varia dedicata constat ex antiquis monumentis: sic apud eminentissimum card. Barberinum in pyramide marmorea AQVIS. ALBVLIS. SANCTISSIMIS. etc. (1)

EVRAS nos intelligere unus Pollux docet, cui varia curruum ferramenta explicanti libr. I, cap. 10, *Eurae* sunt ferramenta quibus axes curruum muniuntur et quæ rotis atteruntur; Romæ vulgo *sprangas* ferreas vocant. Ego hoc loco ferramenta vel muro vel trabibus ligneis infixa accipio, qua perticas uncinis clavatas sustinerent, ea scilicet forma qua hic appinxi. Perticarum autem et uncinorum usum eum fuisse puto, ut vel lavantium, vel potius ludo sese exercentiam vestimenta sustinerent. Hunc obscurissimæ inscriptionis sensum existimaverim, donec viri doctiores veriora me docuerint. Romæ xxiv. august. ccc. lcc. lli.

(1) *SANCT.* Inscriptionem integrum vide apud Nostrum Annot. ad Cluver. p. 131. His Aquis olim Celadus dedicaverat lapidem istum Tiburtinum, nunc mutilem,

• • • EVLIS DD

• • • ELADVS AUG. L

quem Volpius servavit in Diss. Acad. Corton. t. II, p. 181. Cf. Fontaninius Aut. Hort. p. 151.

EPISTOLARUM HOLSTENII FINIS.

**AD INSCRIPTIONEM ACTIACAM  
COMMENTATIO**

**D D**

**V. REV. P. P. DOBRAEO  
REI EPIGRAPHICAE  
PERITISSIMO  
ALMAE CANTABRIGIENSIS  
ORNAMENTO.**



# COMMENTATIO

AD

## INSCRIPTIONEM ACTIACAM.

— — — — —

VR doctissimus, Facultatis Literarum Parisinæ Decanus, et Academiæ; quæ ab Inscriptionibus Humanioribusque Literis nomen habet, socius, Barbiæus de Bocagio, singulari, quæ ipsi ingenita est, humanitate, inscriptionem Græcam, a V. Cl. Pouquevillio, Gallico Consule, anno MCCCCXIII Actii inventam, mecum communicavit, quam, si vellem, explicarem et commentario illustrarem. Occasionem excolendi studii epigraphici, quo fui semper misericorde delectatus, oblatam omittere nolui, et intra octoduum in consessu Academiæ hoc qualecumque demum est dissertationis vernaculo sermone recitavi, quam nunc edo Latine, nonnullis subinde auctam observatiunculis. Sed, inquis, quorsum hæc temporis mentio in opere non coacto? Ut, re non feliciter gesta, excusatior ideo videar, cum paucos saltem male perdiderim dies. En ipsa inscriptionis verba, ex Pouquevilliano autographo descripta fideliter.

1. ΕΙΓΙ ΙΕΡΑΓΟΛΟΤ ΤΟΙ ΑΓΟΛΑΩΝΙ ΤΩΙ ΑΞΤΙΩΙ  
ΟΣ  
ΦΙΛΗΜΟΝΟΣ ΓΡΟΜΝΑΜ
  2. ΔΕ ΑΓΗΤΑΡΟΧΟΥ ΝΙΚΙΑ ΛΛΤΖΕΙΟΤ ΣΤΜΓΡΟΜΝΑ-  
ΜΟΝΩΝ ΔΕ ΝΑΤ
  3. ΣΙΜΑΧΟΤ ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΣ ΑΣΤΑΚΟΥ ΦΙΛΟΣΖΕ-  
ΝΟΥ ΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙ
  4. ΤΟΥ ΦΟΙΤΙΑΝΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΟΣ ΔΕ ΤΑΙ ΒΟΥΛΑΙ  
ΓΡΟΙΤΟΤ ΤΟΥ ΔΙΟ
  5. ΓΡΕΙΘΕΟΣ ΜΑΤΡΟΓΟΛΙΤΑ ΚΟΥΡΟΓΟΥ Ω ΕΔΟΣΕ ΤΑΙ  
ΒΟΥΛΑΙ ΚΑΙ
  6. ΤΩΙ ΚΟΙΝΩΙ ΤΩΝ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ ΠΡΟΞΕΝΟΤΣ ΕΙΜΕΝ  
ΚΑΙ
  7. ΕΤΕΡΓΕΤΑΣ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ ΚΑΤΑ
  8. ΤΟΝ ΝΟΜΟΝ ΑΓΑΣΙΑΝ ΟΑΤΜΓΙΩΝΟΣ ΓΑΤΡΗ Γ
  9. ΟΓΛΙΟΝ ΛΕΤΚΙΟΝ ΤΟΤΣ ΓΟΓΛΙΟΥ ΑΚΙΛΙΟΥΣ ΡΩ-  
ΜΑΙΟΥΣ
  10. ΚΛΙ ΕΙΜΕΝ ΑΤΤΟΙΣ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΕΝ ΑΚΑΡΝΑΝ-  
ΑΙ ΑΣΦΑΔΕ
- I
11. ΙΑΝ ΚΑΙ ΑΤΤΟΣ ΚΑΙ ΧΡΗΜΑΣΙ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΓΑΝ  
ΚΑΙ ΚΑΤΑ
  12. ΘΑΛΑΣΣΑΝ ΚΑΙ ΓΟΛΕΜΟΥ ΚΑΙ ΕΙΡΑΝΑΣ ΚΑΙ  
ΓΑΣ ΚΑΙ
  13. ΟΙΚΙΑΣ ΕΙΚΤΙΣΙΝ ΚΑΙ ΤΑ ΆΛΛΑ ΤΙΜΙΑ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝ-  
ΘΡΩΓΑ
  14. ΓΑΝΤΑ ΟΣΑ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΜΟΙΣ ΠΡΟΞΕΝΟΙΣ ΚΑΙ
  15. ΕΤΕΡΓΕΤΑΙΣ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ
  16. ΤΓΙΑΡΧΕΙ

1. Hierapolo Apollinis Actiaci Philemone , Promnemone
2. autem Agetaracho Niciæ F. Alycio , Sympromne-  
monibus autem Nau-
3. simacho Aristoclis F. Astacio , Philoxeno Heracli-
4. ti F. Phœtiane ; Ab actis autem Senatui Præto Dio-
5. pithis F. Matropolita ; Curopi... Placuit Senatui et
6. Communi Acarnanensium Hospites esse et
7. Benefactores Communis Acarnanensium secundum .
8. legem Agasiam Olympionis F. Patrensem , P-
9. ubrium , Lucium , Publpii FF. , Acilios , Romanos ,
10. et esse ipsis posterisque in Acarnania securita-
11. tem et ipsis et rebus ipsorum , terra atque
12. mari , et in bello et in pace , et soli et
13. domicilii possessionem , et cætera honorifica atque  
commoda
14. omnia quæcumque et aliis Hospitibus et
15. Benefactoribus Communis Acarnanensium
16. contingunt.

ACARANANENSIMUM hoc decretum, ni fallor, usque dum unicum est. Ex Thucydide (1) novimus quidem ipsis **cum** Atheniensibus atque Ambraciots foedera fuisse pacta, sed ipsa foederum acta perierunt. Non diffiteor rem ipsam de qua decernitur, *προξενία* nempe et *εὐεργεσία*, vulgarem esse et jam aliarum notam inscriptionum formulis; **sed si** nihil via obtulerit quod sit notabile, per diverticula forte oberravisse proderit.

*Vers. 1. ΕΠΙ ΙΕΡΑΠΟΛΟΥ.* Etsi *ἱεραπόλεις* ipsa formationis vi possit esse omnino *sacerdos* et *sacrificulus*, crediderim tamen hic esse proprium *χατ' ἔξοχην* sacerdotis Apollinis Actiaci nomen. Idem nomen titulusve reperitur in pulchro Geloorum decreto (2) cuius adponam prima verba:

**ΕΠΙ ΙΕΡΑΠΟΛΟΥ ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ  
ΤΟΥ ΙΣΤΙΕΟΥ**

Agnoscitur et in hac Sicula inscriptione (3):

ΕΠΙ ΙΕΡΑΠΟΛΟΥ . . .  
ΤΟΥ ΦΙΛΟΔΑ . . .

Sic *ἱεροθύτης* pro titulo est, in duobus decretis, altero Agrigentinorum (4),

ΕΠΙ ΙΕΡΟΘΥΤΑ  
ΝΥΜΦΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΩΝΟΣ,

(1) II, 68; III, 114. (2) Ap. Castell. Inscr. Sic. p. 78; Taylor. ad Demosth. Coron. p. 189, Harl.; etc. (3) Ap. Castell. p. 81, etc.  
(4) Grut. p. 401; Castell p. 73; etc.

altero Melitensium (1) :

**ΕΠΙ ΙΕΡΟΘΥΤΟΥ ΙΚΕΤΟΥ.**

Et cum Philemon Hierapolis in ipsa decreti fronte primus nominetur, statuendum est apud Acarnanenses Hierapolum esse eponymum, quemadmodum Athenis Archontum primus fuit eponymus (2); Spartæ primus Ephorum (3); Agrigenti et Melitæ Hierothytes, Gelæ Hierapolis, ut patet ex modo adlatis inscriptionibus; Byzantii Hieromnemon, quod notissimum est ex Decreto illo insigni apud Demosthenem (4), ἐπὶ ιερομετάμονος Βοσπορίχα- Van Dalius (5), Falconerius (6), Patinus (7), alia exhibent horum eonymorum exempla.

*Vers. 1. ΙΕΡΑΓΟΛΟΥ ΤΟΙ ΑΓΩΛΛΩΝΙ.* Nullus dubito quin pro ΤΟΙ reponendum sit ΤΩΙ. ΤΟΙ errore legitur vel lapidicidæ vel descriptoris. Τὸ Ω per omnes versus conspicitur : ΤΟΙ forma est scribendi longe antiquior nec hujus loci. Notanda syntaxis, ιεραπόλου τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Ακτίῳ, pro ιερ. τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου : quo etiam modo inferius legitur vers. 4, γραμματέως τῷ βουλᾶ, pro γρ. τᾶς βουλᾶς. Ille dativi usus loco genitivi et in optimis inventitur scriptoribus. Vir Græce doctissimus hanc syntaxim apud Thucydidem non semel animadverit, quam et ali-

(1) Grut. p. 400; Castell. p. 76; etc. (2) Cf. Wessel. Observ. II, c. 25; Villoison, *Mém. de l'Acad. des B. L.*, t. XLVII, p. 295. (3) Cf. Van Dal. I. c. p. 757. (4) De Corona §. 27. (5) Dal. I. c. p. 230. Cf. Castel. I. c. p. lxiv. (6) Inscr. Athlet. t. VIII, Thea- Gron. p. 2316 D. (7) in Suppl. Poleni t. II, p. 1067.

cubi elegantiam vocat. Recentiores sæpicule elegantias dicendi quasdam in veterum scriptis sibi fingunt, quæ nullæ sunt: equidem in hoc dativo varietatem syntaxeos, non elegantiam esse dixerim. Quidquid id est, Plato nonnunquam tertio casu sic utitur, et Heindorfius, optimus Philosophi editor, ex ejus scriptis exempla collegit (1); utuntur et Demosthenes (2), Plutarchus (3), Dionysius Halicarnassensis (4), Pindarus frequenter (5), Euripides, Aristophanes (6), alii. In Argumento Pluti Chremylus dicitur ad Apollinis venisse μέτρα τίνος αὐτῷ θεάσαστος, ubi Hemsterhusius, asserto dativo, addit: « eruditos viros « nonnunquam sefellit hæc loquendi ratio. » Et re vera Taylorum sefellit, qui, cum in Leocratea Lycurgi (7) τὰς συνηγόρους αὐτῷ τις legisset, et ad dativum offendisset, genitivum αὐτοῦ reponere voluit. Augerius, qui quos editi scriptores egregie corrupit, a sanissimis his verbis manum non continuit emendatuirientem, et textui pessimum suamque lectionem, τὰς συνηγόρουστας αὐτῷ intulit. At alibi Lycurgus (8) dixit, τὶς πατέρα αὐτῷ, quod Augerius intactum reliquit. Marklandus, Tayloro Græce doctor criticusque felicior et prudentior, ad eamdem formulam impegit. Nam, apud Lysiam (9), πρὸς τὸν πατέρα ἡμῶν legendum esse conjecit pro vulgato ἡμῖν. Saltem loci sententiam probe intellexit, a qua erravit Latinus interpres. Positheus in fabula Cervi (10) scripsit, ἐμπλακέστας αὐτῷ

(1) Ad Theæt. §. 5. Cf. et ad Sophist. §. 2. (2) Leptin. §. 39, ubi Wolf. p. 274. (3) de Aud. Poet. c. 5, ubi Krebs. p. 180. (4) De Compos. 19, ubi Schæf. p. 268. (5) Ol. 9, 24. P. 9, 192, 215. Cf. Boeckh. ad N. 3, 10. (6) Cf. Brunck. ad Thesm. 10. 54. (7) §. 16. (8) §. 35. (9) contra Alcib., λεπτοτ. init. (10) ap. Valck. Opusc. t. I, p. 249.

τῶν κεράτων εἰλα, ubi Valckenaerii editio αὐτοῦ exhibit, non satis diligenter. Cæterum hic locus parum facit ad rem; nam αὐτῷ aptius forte struetur cum ἐμπλακέσθων quam cum κεράτων. Inscriptionis Corcyraeæ, quam Montefalconius (1) edidit primus, hoc est initium: Ἀριστομένης Ἀριστολαιδαῖος δίδωτι τῷ πόλει τῶν Κορκυραίων εἰς τὰ τῶν τεχνῶν μισθώσι τῷ Διονύσῳ ἀργυρίου Κορινθίου μινᾶς ἔξηκοντα. Editor vertit: « Aristomenes Aristolaïdaleus dat urbi « Corcyraeorum et Baccho in mercedem operariorum ar- « genti Corinthii minas LX. » Addidit et ante *Baccho*, quod dative τῷ Διονύσῳ rationem non caperet. Aristomenes ille minas LX non urbi dedit et *Baccho*, sed urbi tan- tum, in mercedem τῶν τεχνῶν τῷ Διονύσῳ *operariorum Baccho* vel *Bacchi*. Jam norunt omnes, qui fuerint ho- mines illi veteribus οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται dicti, et οἱ περὶ Διονύσου τεχνῖται, οἱ τεχνῖται τοῦ Διονύσου ( vel ut hic τῷ Διονύσῳ ), οἱ Διονυσοκόλακες; et si quis non statim memi- nerit, adeat Morisanum (2), Chishullium (3), Maf- feium (4), Corayum (5), et Wyttenbachium (6) in pri- mis. Muratorius (7) quidem pro τῷ Διονύσῳ edidit ΤΩ ΔΙΟΝΥΣΩ, Dorica secundi casus *forsa*, et Mustoxydios, vir doctissimus, hanc lectionem nuper est secutus (8). Sed non satis cautus uterque fuit. Nam in reliqua in- scriptione, quamvis Dorica, genitivi comparent Ἑλλη- νικοὶ, τοῦ τόκου, Θεοδάρου, Μερτίλου, Αλκίμου, εἰκάστου,

(1) Diar. Ital. p. 412. (2) ad Marm. Regin, p. 62 sqq. (3) Antiq. Asiat. p. 107. (4) Tradutt. Ital. p. 123. (5) ad Plut. Alex. 72. (6) Anim. ad Plut. de Util. cap. p. 87 F. (7) Thes. Inscr. p. 633, 2. (8) Illustraz. Corcyr. p. 171.

ιππαρτοῦ, etc. Scripsisset auctor τοῦ Διονύσου, non τῷ Διονύσῳ, si voluisset uti genitivo : servanda ergo primæ editionis optima lectio τῷ Διονύσῳ. Observandum insuper Corcyraeas inscriptiones, quas usque dum habemus, omnes formam genitivi communem ubique exhibere, Doricam nuspiam. Etenim qui Dorice loquebantur populi, non omnibus omnes Doricis formis utebantur; sua sibi quisque habebant propria. Actiaca nostra inscriptio in genitivo diphthongum εὐ præfert constanter; et Pindarus quoque genitivum Δερικάτηρος in ε desinentem fugisse videtur (1). Manuscripti codices nonnunquam in utraque scriptura variant, et plerumque tertius casus, utpote rarius (2), eligendus est. In Leptinea (3) libri nonnulli pro τῷ πόλι οὐκ exhibit τῷ πόλι οὐκεῖ, ubi criticus summus οὐκεῖ retinuit. Achillis Tatii vulgatus textus (4) exhibit, τῷ Θεραύδρου χωρίαν : malim codicum lectionem Θεραύδρῳ. Et alibi idem auctor scripsit (5) δούλῃ τῷ θεῷ, quod prætulerunt editores varietati codicum τῷ θεῷ, quam ipse reperi in codice Veneto CDIX. Colophonienses hac syntaxi maxime delectatos fuisse et sibi quasi peculiarem habuisse e Lesbonacte (6) conjicere possumus, cui σχῆμα Κολοφώνια dicitur; et hæc adfert exempla : χάλινα τῷ ἵππῳ, ἀτὶ τοῦ ἵππου ἡ κεφαλὴ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀτὶ τοῦ ἀνθρώπου. Forte pronomen *mihi* hoc est σχῆμα intelligendum Militis Plautinæ initio :

« Nam ego hanc machæram *mihi* consolari volo. »

(1) Cf. Herm. de Dial. Pindari p. 11; Bœckh. ad Nem. 3. 10.

(2) Cf. Schaeff. ad Dionys. Hal. de Comp. p. 268. (3) §. 39. Wolf.

(4) VII, 7. (5) VII, 13. (6) Περὶ Σχῆμα. p. 181. Cf. Brunck. ad Thesm. 1054.

**Quidni? cum eadem sit in eadem fabula (1) constructio :**

« Nam illic est *Philocomasio* cuestus meus conservus. »

**Et rursus (2) :**

« Quis erat igitur? — *Philocomasio* amator. »

M Martianus Capella sic legitur in Gœziana (3) : « Non  
« dispar illum (Mercurium) formæ desiderabilis grataque  
« luculentas in Manticen quoque succederat. Nam et  
« nobilitas generis illam, quippe *Pronœa* major est filia-  
« rum, et prævidum perspicacioris prudentiæ commen-  
« dabat ingenium » : quæ ultima vox male fuit ab editore  
omissa. Si Martianus Græca voluisse Latinis literis re-  
præsentare, *Pronœa* esset pro Προνοίᾳ; sed res non ita se  
habet. Varietas *Pronœa* quam Walthardi textus exhibet ad  
veram lectionem *Pronœa* ducere debuit editores. Man-  
tice, Μαντική, *Pronœæ*, Προνοίας, filia natu major Mar-  
tiano dicitur, ingeniose satis. Sed antequam alio pergam,  
adponam ineditam, ni fallor, inscriptionem Artæ anno  
MDCCXIV repertam in templo τῆς Περηγορίας a V. Cl. Hu-  
gone Pouquevillio, Pouquevillii supra laudati fratre, cu-  
jusque apographum a Barbæo de Bocagio viro benignis-  
simō habui :

ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΔΙΑΚΟΝΩΝ ΣΑΡΑΠΕΙ ΙΣΕΙ  
ΑΝΟΥΒΕΙ ΑΠΟΧΡΑΤΕΙ ΚΑΝΩΠΟΣ ΙΕΡΕΥΣ  
ΣΩΤΩΝ ΚΑΛΛΙΣΤΡΑΤΟΥ ΔΙΟΔΩΡΟΣ  
ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ

(1) f. 271. (2) f. 1415. (3) P. 15 : coll. Walth. p. 6.

ΠΑΣΙΩΝΟΣ ΕΤΝΟΥΣ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΕΟΣ  
 ΚΡΑΤΗΣ ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ  
 ΚΡΑΤΗΤΟΣ ΆΓΑΘΙΔΑΣ ΚΑΛΛΙΚΡΑΤ  
 ΕΟΣ ΤΙΜΟΔΑΜΟΣ ΣΩΣΙΣΤΑΡΑΤΟΥ  
 ΔΙΟΙΣΙΟΥ..... ...

Illa, de qua agimus, syntaxis tertii casus **pro secundo** conspiciatur in verbis ΔΙΑΚΟΝΩΝ ΣΑΡΑΠΕΙ κτλ. Legendum ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ, quod nomen non semel in inscriptiōnibus corruptum est (1); et forte ΣΩΤΙΩΝ pro ΣΩΤΩΝ; delendumque in ΣΩΣΙΣΤΑΡΑΤΟΥ prius ἄλφα. In vitiōsa voce ΔΙΟΙΣΙΟΥ latet forsitan vel ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ, vel potius ΔΑΙΣΙΟΥ mensis nomen.

*Vers. 1. ΤΩΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΤΩΙ ΑΚΤΙΩΙ.* De Apolline Actiaco nihil habeo quod afferam novi: videndi sunt igitur Suetonii interpres (2), Fabricius ad Dionem Cassium (3), Tristanus ad Augusti nummos, cæteri.

## ΟΣ

*Vers. 1. ΠΡΟΜΝΑΜ,* compendio facile obvio pro Προμνάμοντος. Sic ΑΓΟΡΑΝ<sup>O</sup> pro ἀγοραῖμον legitur in inscriptione quadam Fourmontiana (4). Philemonis τοῦ Προμνάμοντος, et collegarum Nausimachi et Philoxeni, τῶν Συρεπρομνάμ-

(1) Cf. Gruter. p. 84, 4; Spon. Miscell. I, art. 5, p. 685. Polen.; Cuper. Harpoecr. p. 505, 506 Poleni. (2) August. c. 17, 18.

(3) Lib. 51, §. 1. (4) Ap. Corsin. post Notas Græcor. Diss. 5, p. lxxxiv.

*νων (quas voces nondum innotuisse puto), munus cuius fuerit generis dicere non valeo. Nuperrime Letronnius, vir egregie doctus, cum sibi Hieromnemonis officium denuo tractandum sumisset, obscurum argumentum multa luce perfudit, simulque nostros illos Προμηθεούς attigit.*

---

*Vers. 2. ΑΓΗΤΑΡΟΧΟΥ ΝΙΚΙΑ : forte, Ἀγηταρόχου?*

In hac elliptica formula auctor inscriptionis non sibi constat, articulo modo addito, modo omissio. Sic in inscriptione Messanensi (1) antè patris nomen articulus modo legitur, modo non. H. Stephanus (2) articuli omissionem apud poetas licentiae, apud prosaicos scriptores librariorum oscitantiae fere semper tribuendam esse credebat; quod vix admiserim: tot enim sunt exempla, ut neglectum articuli auctoriibus ipsis plerumque imputari velim. Deest et articulus in hac inscriptione Thermitana (3):

ΔΗΜΟΣΘΕΝΗ  
ΑΡΧΕΒΟΤΑΛΑΣ  
ΧΑΙΡΕ

Latinus interpres absurde vertit: « Demosthenes princeps », « senatus salve », Demosthenis hujus mater Archebula vocabatur. Nec comparet articulus in illo Smyrnensi lapide forte non genuino :

(1) Castelli Inscr. pag. 8. (2) ad Thucyd. init. (3) ap. Castell. Inscr. p. 44, 17.

## COMMENTATIO

ΒΟΥΛΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

ΣΜΥΡΝΕΟΤ

ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑΛΗΝ ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΤΙΤΤΕΙ

ΑΝΔΡΩΝ ΗΡΩΩΝ ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ ΘΕΙΟΝ ΟΜΗΡΟΝ

ΒΟΥΛΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

ΜΕΛΙΤΑΣ

Poinsinetus de Sivriaco (1) extrema pessime vertit : « Boulus faciebat Melitensis. » Cumque fuisse ob id merito reprehensus, contendit ΜΕΛΙΤΑΣ esse pro ΜΕΛΙΤ. ΑΣΙΟΣ : quod est absurdum omnino. Μελίτας nomen est Buli matris. In fronte epigraphes Smyrnæum patrem, in infima parte matrem Melitam Bulus nominavit. Nugulas ineptas (ut cum Capella (2) loquar, qui nec hic satis est sanus, saltem in Gœsiano exemplo), et deliria deridicula Poinsineti et Swinii omitto, quos transversos egit levissimum apographi mendum, ΤΑΙΑ pro ΓΑΙΑ, quod facile corrigere potuissent si linguam Græcam primoribus attigissent labris, vel Anthologiam (3) inspexissent, ubi hi duo versus emendatores duolum leguntur. Leguntur et in aliis nec raris libris, quos indicat vir eruditissimus in Commentario ad Analecta Brunckiana, quem tamen Gruteri p. 1129, 11, mentionem omisisse velim : nam ibi tantum reperi P. Titidii Capitonis epitaphium, quod jam Gruterus lectoribus apposuerat p. 1043, 2, cuique primus Homericæ illius inscriptionis versus fuit assutus. Capitonis hoc epitaphium μετρικὸν καὶ ἀμετρον describam, in quod, post factas emendationes, nonnulla restant adhuc observanda :

(1) *Nouv. Recherch.* p. 139, 162. (2) pag. 5 Gœs. (3) Epigr. adiōt. 500.

ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑΛΗΝ  
 ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΤΠΤΕΙ  
 ΑΝΔΡΟΣ ΘΕΙΟΥ ΠΟΥΒΑΙΟΥ  
 ΤΙΤΙΔΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ  
 ΟΣ ΠΕΡΙ ΜΕΝ ΝΟΟΝ ΕΣΚΕ ΒΡΟ  
 ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΔΙΡΑ ΘΕΟΙΣΙΝ  
 ΛΘΑΝΑΤΟΙΣ ΔΕΔΩΚΕΝ ΤΟΙ ΟΓ  
 ΡΑΝΟΝ ΕΤΡΥΝ ΕΧΟΥΣΙΝ  
 ΤΕΤΖΕ ΔΕ ΤΟΝΔΕ ΤΑΦΟΝ ΣΟΣΘΡΕ  
 ΠΤΟΣ ΝΩΝΙΟΣ ΑΡΤΕΜΩΝ

Pro ἀθανάτοις δίδακτι, proponit editor ἀθανάτοισιν ἔδωκε.  
 Fateor sic quidem melius procedere versum; sed ad minutias metricas parum attendisse auctor videtur. Nihil ergo mutarem in Græcis. Sed latina sunt pessima : « ...Qui ultra  
 « mentem habuit mortales , ultra sacra Diis immortalibus  
 « dedit qui latum cœlum habitant. Ædificavit autem hanc  
 « sepulturam Sostreptus Nonius Artemon. » Verterim hoc  
 fere modo : « qui homines ingenio superavit , et eximio  
 « cultu Diis immortalibus debita sacra persolvit. Posuit  
 « autem hoc sepulcrum tuus alumnus Nonius Arte-  
 « mon. » Σὶς θρησκείας divisim legendum. Frequens in  
 inscriptionibus alumnorum vernarumve mentio. Unam  
 adferam in Glyconem (1), quæ est celeberrima , et , ni  
 fallor , falso suspecta :

*Verna puer, puer o mi verna, quis, ah! quis ab aura  
 Te in tenebras rapuit? Perditus heu! morerer,  
 Ni tecum assidue loquerer, ni sōpe jocando  
 Fallerer. Hinc dum te continuo aspicio,*

(1) Anth. Lat. IV, 349.

*Semper ero tecum : et si me sopor occupet, umbram  
Te umbra petam. Ergo unquam ne metue abs te abeam.*

Nonnullæ sunt in variis apographis scripturæ varietates ; quæ mihi placuit elegi lectionem. In verbis *hinc dum te continuo aspicio* mirabile est Burmanni Secundi acumen. Cum in medio lapide circulus exstet depressior cum foramine vel foraminibus, credidit, et Reinesius quoque crediderat, hæc foramina facta fuisse ad immittenda suspiria lacrymasque; et *hinc*, id est, ab hoc foramine, Bæbium Rufum Glyconem suum continuo aspicere. Quid fuit unquam ridiculum magis, quam hunc Bæbium, hominem, puto, sanæ mentis, sibi singere, qui, ore foramini adposito, suspiria eructabat, cavens anxie ne extra fistulæ marginem evolarent; vel qui sedulo oculum cavo applicabat, ut manaret per jussam rimam lacrymula, vel suum, si posset, Glyconem aspiceret? Tam inepta cura a dolore aliena est. Credo per hoc foramen liquores forte fusos fuisse, vel florum caules ad tempus insertos. Versiculus,

*Hinc dum te continuo aspicio,*

alio modo capiendus videtur, isto scilicet : « **E**x hoc loco,  
« **e**x hoc sepulcro tuo, cui insideo, te continuo aspicio,  
« **t**e, cujus suavissima imago meis usque obversatur  
« **oculis.** »

---

*Vers. 2. ΑΛΤΖΕΙΟΤ.* Acarqaniæ urbs Ἀλύζεια ex Stephano et aliis nota est. Stephanus ἐθνικὸν exhibit Ἀλυζεὺς et Ἀλυζαιός; ex nostra inscriptione aliam formam discimus. Si Berkelio ad Stephanum credendum est, forma Ἀλυζαιός

in Thucydidis libro VII exstat, quam tamen frustra quæsiveris. Berkelium in errorem traxit Palmerii male intellecta nota ad Diodorum (1). Vocem in Diodoro corruptam Κλυζαῖοι Palmerius emendandam censebat legendo *ex Thucydide l. viii, Αλυζιαῖοι*. Non invenerat nomen Αλυζιαῖοι Palmerius in Thucydide (2) sed Αλυζία, et hinc τὸ ἔθνος Αλυζιαῖοι ducere volebat. Cæterum Diodoro formam Αλυζαῖοι recte restituit Wesselingius.

*Vers. 3. ΑΣΤΑΚΟΥ.* Notissima est, vel ex Stephano, Acarnaniæ urbs Αστακος, cuius inter ἔθνη est nomen Ασάκιος: et hic fere puto legendum ΑΣΤΑΚΙΟΥ; nam hominibus reliquis epithetum gentile jungitur, non ipsum urbis nomen. Nomen urbis eodem modo reponere voluit, sed frustra, vir doctus (3) in hac inscriptione Clarkiana:

ΤΕΙΜΟΘΕΟΣ ΔΑΣΕΙΟΣ ΧΑΙΡΕ  
ΤΕΙΜΟΘΕΟΣ Ο ΠΑΤΡΑΣ ΟΣΙΟΣ ΦΩΣ ΠΑΙΣΔΕ ΔΑΣΕΙΟΣ  
ΤΡΙΣ ΔΕΚΑΤΑΣ ΕΤΕΩΝ ΤΕΡΜΑΤΙΣΑΣ ΕΘΑΝΕΣ  
Α ΤΑΛΑΝ ΟΙΚΤΕΙΡΩ ΣΕ ΠΟΛΥΚΛΑΤΣΤΩΙ ΕΠΙ ΤΤΥΜΒΩΙ  
ΝΤΝ ΔΕ ΣΥΜΗΡΩΩΝ ΧΩΡΩΝ ΕΧΟΙΣ ΦΘΙΜΕΝΟΣ.

Versu secundo τρίτης δεκάδας, et quarto σύν' ἡράων legit feliciter, sed in primo infeliciter Τιμόθεος Πάτρας, οσιος φως, παις δὲ Δασείου. *Timotheus of Patra*, quæ est ipsius versio, firmari videtur allegato Strabone (4); sed Straboni Πατραῖος, non Πάτρα urbs vocatur. Num Strabo quoque

(1) Exercit. p. 140. ad Diod. 18, c. 11. (2) 7. c. 31. (3) Mus. Critic. Cantabrig. t. I, p. 226. (4) XI. c. 2. §. 8.

erit corrigendus, et Πάτρα legendum pro Πατραῖς? Servanda Geographici, servanda et lapidis lectio vertendaque: *Timotheus patrīe pius civis, vel Patræ, si urbs Patra quædam exstitit; quod nunc quærere non vacat.* Οὐσες φᾶς dicitur eo modo quo κραταὶ φᾶς, non φᾶς, quod male editur, in hoc Theodosii Diaconi versu (1):

"Αρτι, κραταὶ φᾶς, ἄναξ σίκουμένης.

Fogginus vertit, *o potens lumen*, confusis diversi generis nominibus i φᾶς et τὸ φᾶς: ut Latina cum Græcis convenirent, vertere debuit, *o potens vir.* Conferri potest locutio non absimilis βιολόγος φᾶς in pulcherrima inscriptione quam, post Corayum (2), edidit Jacobsius et optime interpretatus est (3), quamque iterum exhibebo, paucula etiam notaturus.

ΤΗΝ ΠΟΛΛΟΙΣ ΔΗΜΟΙΣΙ ΠΆΡΟΣ ΠΟΛΛΑΙΣ ΔΕ ΠΟΛΕΣΣΙ  
ΔΟΞΑΝ ΦΩΝΑΕΣΣΑΝ ΕΝΙ ΣΚΗΝΑΙΣΙ ΛΑΒΟΥΣΑΝ  
ΠΑΝΤΟΙΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝ ΜΕΙΜΟΙΣ ΕΙΤΑ ΧΟΡΟΙΣΙ  
ΠΟΛΛΑΚΙΣ ΕΝ ΘΥΜΕΛΑΙΣ ΑΛΛΟΥΧ ΟΥΤΩ ΔΕ ΘΑΝΟΥΣΗ  
ΤΗ ΔΕΚΑΤΗ ΜΟΥΣΗ ΤΟ ΛΑΛΕΙΝ ΣΟΦΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ  
ΜΕΙΜΑΔΙ ΒΑΣΙΛΛΗ ΣΤΗΛΗΝ ΘΕΤΟ ΒΙΟΛΟΓΟΣ ΦΩΣ  
ΗΔΗ ΚΑΙ ΝΕΚΤΣ ΟΥΣΑ ΙΣΗΝ ΒΙΟΥ ΕΛΛΑΧΕ ΤΙΜΗΝ  
ΜΟΤΣΙΚΟΝ ΕΙΣ ΔΑΠΕΔΟΝ ΣΩΜ ΑΝΑΠΑΤΣΑΜΕΝΗ.

#### ΤΑΤΤΑ

ΟΙ ΣΤΣΚΗΝΟΙ ΣΟΥ ΛΕΓΟΥΣΙΝ  
ΕΥΨΥΧΕΙ ΒΑΣΙΛΛΑ ΟΥΔΕΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ

(1) *Acroas.* IV, 1. (2) ad Plutarch. t. IV, p. 351. (3) *Litterarische Anal.* t. I, p. 104.

Corayus conjectit legendum TH Ν, id est τῆς, et ΛΑΒΟΥΣΗ, ut syntaxis sequentibus conveniat. Sed mutatio ΣΗ pro ΣΑΝ, ad quam in auctore scripto non multum offendetur, ob intriciora s̄āpe finalium compendia, in lapide audacior nimis esse videtur. Jacobius hanc conjecturam calculo suo comprobat; saltem non refutat: equidem nihil mutaverim. Non raro auctores illi saxeī constructionem invertunt, et a casu alio ad aliū delabuntur. Mutantur casus in lapide quem V. Ampliss. Faurisius de S. Vincente in libello rarissimo vulgavit (1) :

## Θ Κ

ΑΤΡΑΙΟΥ ΔΙΟΚΛΕΙΔΟΥ  
ΟΣΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΕΑ ΙΖ  
ΗΜΕΡΩΝ ΔΕΚΑΠΕΝΤΕ  
ΑΤΡΑΙ ΔΙΟΚΛΗΣ ΚΑΙ  
ΑΤΡΑΙΑ ΤΕΡΤΙΑ ΓΟΝΕΙΣ  
ΧΑΡΙΝ ΜΝΗΜΗΣ ΕΘΗΚΑΝ  
ΓΕΓΝΝΗΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΟΤΕ (Leg. ΓΕΓΗ...)  
ΝΕΡΙΣ ΟΠΟΥ ΗΡΑΚΛΗΣ  
ΗΜΕΡΑ ΑΦΡΟΔΕΙΤΗΣ ΗΡ  
ΠΑΓΗ ΤΠΟ ΘΕΩΝ ΚΑΛΟΥ  
ΜΕΝΩΝ ΠΤΩΙΩΝ

Post τέταν vitio constructionis inducitur ημερᾶ. Inscriptio Syracusana (2) eamdem exhibet enallagen :

ΧΕΩΖΟΥΣΑ ΧΡΗΣΤΗ Θ (3)  
ΚΑΙ ΑΜΕΜΠΤΟΣ ΕΖΗΣΕ  
ΕΤΗ Ε ΜΗΝΕΣ Δ ΗΜΕΡΑ  
ΙΣ Ζ

(1) *Notice sur J. Fr. St.-Vincens.* (2) Castell. p. 168, 29.

(3) Formula x θ, id est, χθονίος θεοῖς, fuit illustrata a Marino,

Usus sum lectione optima apographi Mariniani (1). Castellus edidit ΧΕΩΖΟΥΣΑ, et prodigioso nomini prodigiosam apposuit versionem *Cheozusa*. Σωζονται est probum genuinumque probæ fœminæ nomen. Participia saepè pro nominibus propriis fuerunt usurpata. Insectum quoddam veteribus dictum fuit Ἐπιβαλλον, quod nomen Bastius (2) aliquamdiu corruptum putavit. Ἐρμίππου τοῦ Ἐπιτυχάντος nomen exstat in Reinesii Syntagmate (3), et ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΝ in inscriptione nuper vulgata (4). Apud Reinesium legitur (5) inscriptio monumenti quod Euticus *Eronti* (Ἐρόντη) suo vernæ alumno (Θρησκευτῷ) posuit. Apud Fabrettum (6) Cæsaris villicus quidam *Astrapton* (Ἀστράπτων) vocatur. Ibidem Frontina (7) Corneliae *Auxanuse* (Αὐξανούσῃ), et Gemin. (8) *Ælia Auxanuse*, et Menophilus (9) *Auxanonti* filio, et apud Sandrium (10) Πειθημέτη Agathopodi dicant monumenta. Nominantur alibi *Vibia Colenda* (11), *Benegestus* (12). Et huc referenda Ακουμηνὸς, Αλεξαμενὸς,

Inscr. Alban. p. 183, qui hinc lapidem exhibit :

ΘΕΟΙΣ ΧΘΟΝΙΟΙΣ  
Π. ΠΛΩΤΙΟΣ ΙΟΥΣΤΟΣ  
Π. ΠΛΩΤΙΩ ΖΩCIMA  
ΔΔΕΛΦΩ ΖΗCANTI  
ETH IA. MHNAC EE  
MNHMHC XAPIN

Pro ZΩCIMA legere vult Ζωσμᾶς : sed potuit esse nomen Ζωσμᾶς : quidni ? cum alibi occurrat. Suidas : Ζωσμᾶς ὄνομα κύριον.  
 (1) *Iscriz. Allane*, p. 183. (2) *Epist. Crit.* p. 26. (3) P. 503, 29.  
 (4) *Classical Journ.* vol. 5, p. 144. (5) Pag. 625, 47. (6) *Inscr. dom.* p. 3, 9. (7) P. 141, xvii. (8) P. 141; 150. (9) P. 589, civ.  
 (10) Post Oderici *Dissert.* p. 370. (11) *Fabr.* *ibid.* p. 254, 57.  
 (12) *Ibid.* p. 251, 30.

*Διεξαμενός*, et suspectum viris doctis, at sanum, ut videatur, *Φεραῖς* (1); atque illa vulgariora, *Restitutus*, *Restituta*, *Benedictus*, *Benedicta*. Quodque ad rem plus etiam facit, fuere, Stephano teste, tres urbes *Σαζουσαη* dictæ. Addere fert animus epigraphen aliam, ubi *Anatellon* (*Ανατέλλων*) nominatur, quam cum non omnino fideliter et lectionis varietate incertam Gruterus (2) ediderit, diligenter ad ipsa saxa quæ in Museo Regio Parisino (3) servantur, collatam bis exhibeo; eam enim bis in monumento Anatellon incidi curaverat; de qua inscriptionum iteratione egregia cum industria Marinus non uno in loco ad suos Arvales egit :

D	M	D	+	M	*
M. AVRELIUS		M. AVRELIUS.	AVG.	L	
ANATELLON		ANATELLON			
AVG. LIBVIVVS FEC		VIVVS. FECIT. SIBI. ET			
SIBI. ET AEFLANIAE		AEFLANIAE. DEBLIA			
DEBEIA. CONIVGI BENÈ		CONIVGE BEÑE. MERENTI			
MERENTI ET LIBERIS		ET LIBERIS. ITEM. LIBERTIS			
ITEM LIBERTIS LIBER		LIBERTABVSQVE			
TAAVSEBVSQ POSTERISQ		POSTERISQVE EORVM			
EORVM					

Non procul ab epitaphio Anatellontis lapidem (4) alium legi ob nomen Diadumeni (*Διαδούμενον*) huc referendum, quemque inteditum esse puto :

(1) Anal. Epigr. inc. 721 b. (2) P. 608, 3. (3) Num. 98 et 102.

(4) Num. 113.

## COMMENTATIO

DIS MANIEVS  
 LVCIO. VNGONIO  
 DIADVMENO  
 MANLIA. SEXTI. FILIA.  
 FLORA. CONIVGI  
 SVO. BENEMERENTI  
 FECIT

Addam vicinum (1) lapidem jam a Sponio (2) editum, sed non satis diligenter:

DIS MANIEVS  
 CALAIL. APONI DIS  
 PENSATDRI. VAN XXXX  
 POSVIT IANVARIVS  
 ET SYNERVSA  
 CONTVBERNALI  
 BENE MERENTI

Sponius dedit v. a. XXXI et SYNERVS. Lapis præfert quæ protuli. Synerusa est Συνερύσσα. Sponius quoque scripsit emendatius DISPENSATORI: at in lapide o accedit ad formam literæ D; quod facile est obvium, jamque fuit animadversum a Marino (3); et vice versa o pro D scribent, ut in inscriptione illa operis musivi doctissime a Viscontio V. S. illustrati:

PED  
 X  
 PEO  
 XX

(1) Num. 112. (2) Miscell. sect. vij. p. 1073, 4. edit. Polen.  
 (3) Præfat. ad Arval. p. 39.

At si cui non satis apte vindicata videbitur enallage syntaxeos in λαβούσων, et θαυμόνη hac varietate casuum in saxis ignorabilibus, adponam Sophoclis, scriptoris castigatissimi, ex Electra (1) verba :

Τπεῖ μοι Θράσος  
ἀδυκτίων κλύσουσας  
άρτιως ὄνειράτων.

Nec melior est casuum concordia in hoc Antigonæ loco (2) :

Αγνῶτ' ακούω φθόγγον ὄρνιθαν, κακῷ  
κλάζοντας οἴστρῳ καὶ βεβαρβαρώμενῳ.

Jam esset ulterius progrediendum; volo tamen, antequam a Basillæ monumento discedam, Jacobsii notata symbola mea augere, verbum solemne εὐψύχει temere sollicitatum, et formulam οὐδεὶς ἀθάνατος illustrandi causa. Gruterus (3) protulit lapidem extremis his inscriptum verbis, quæ iota-cismus adulterat : ΕΥΨΥΧΙ ΤΕΚΝΟΝ ΟΥΔΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ. Et apud Bonarottum (4) legere est : ΕΥΨΥΧΙ ΣΕΚΟΥΝΔΑ ΟΥΔΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ ΡΗΓΙΤΑΝΑ. Auctor inscriptionis, apud Odericum (5), pro imperativo infinitivum adhibuit, raro in lapidibus exemplo : Θ. ΕΥ+ΨΥΧΙΝ Κ. Sandrius (6) Jacobsius (7) et Marinus (8) alia dabunt, hic autem exquisita. Non abludit ex alio lapide (9) versus iste :

Οὐδεὶς γὰρ δύναται Μοιρᾶν μήτοι τέκναλυσα.

(1) f. 472 ubi Brunck. (2) f. 1001. (3) P. 701, 6. (4) Vide Oderic. Diss. p. 36; Morisan. Marm. Regin. p. 480. (5) Diss. p. 181. (6) Post Oderic. p. 382. (7) ad Aanal. Epigr. inc. 721 b. (8) Iscriz. Alb. p. 98, 129: Frat. Arv. p. 342. (9) Ap. Marin. Iscr. Alb. p. 180.

Scripsi **Μοιρᾶν** pro vitioso **ΜΟΙΛΩΝ**. **Νηματα** et **λίσα Μοιρᾶν** illustravi ad Eunapium (1). **Μοιρᾶν κλωσῆρε** dixit alias epitaphista (2); et illum ipsum **Μοιρᾶν μήτοι** saepius exhibit index Analectorum Jacobianus, et nuper obtulit **nobis** vir egregius in epigrammate Fourmontiano (3). Conferam etiam primum elegantissimi Severæ epitaphii (4) distichum :

'Αθάνατος μερόπων αὐδεῖς ἔφεν. Τοῦδε, Σεβῆρα,  
Θησεὺς, Αιακίδαι μάρτυρες τοιού λόγου.

Ignoscat mihi humanus lector observationem unam insuper addenti de Psello, quem illa locutio monumenti Actiaci, **Ναυτιμαχος Ἀσάκου**, mihi in mentem revocat, et cui obiter prodero. Sub finem libelli de Lapidibus, scriptores recenset qui lapidum virtutes explicare conati sunt, inter quos e recentioribus memoratur i<sup>z</sup> τῆς Ἀφροδίτιας Ἀλεξανδρος : codex Parisinus 1630 tollit præpositiōnem, et optimam restituit formam Ἀφροδισιάδος.

**Vers. 4. ΦΟΙΤΙΑΝΟΣ.** Phœtius Philoxenus ille fuit oriundus. **Φοιτίας**, πόλις Ἀκαρναίας, Stephano Byzantio teste. At in Ætolia ponit Polybius (1). Pinedus et Holsteinus Stephanum esse corruptum putant, atque e Polybio emendandum. Sed quod saepius critici faciunt, emendant quæ non egent emendatione. Polybius enim ipse Stephano favet; quippe qui Ætoliae **Φοιτίας** adscribit, quod fuerat

(1) P. 224, 225, 576. (2) Jacobs. Anal. t. XIII, p. 819. (3) Wolf, *Litterar. Analykt.* t. I, p. 96. (4) Anal. Epigr. inc, 648. (5) IV, c. 53, 7. cum nota Schw.

hac tempestate urbs illa Acaeanensibus armorum vi ab Ætolis erepta. Alioqui notissimum est eas urbes, quæ regionis suæ finibus sunt proximæ, sæpiissime ab auctoribus regioni vicinæ adscribi (1). Epitheta gentilia φοιτεῖς et φοιτιοὶ a Stephano receusentur, quibus ex hac epigraphe tertium addamus, φοιτιά (2). Lingua Graeca alia habet ejusdem formæ gentilia, Ἀκαρνᾶς, Αἰγαῖς, Ἀττικᾶς, Ἀθαμᾶς, Ἀζάρ. Superest adhuc Achæi fragmentum εἰς Ἀζάρι (3): credo Ἀζάριas tragœdiam fuisse chorus εἰς Ἀζάριas constabat.

---

*Vers. 4. ΤΑΙ ΒΟΥΛΑΙ*, adscripto *ιῶτα*, quod neutiquam notavisse, ni meminassem inscriptionis, in qua vertenda vir doctus ob hujus scripturæ vulgatissimæ ignorationem prorsus cœcutivit. Lapis mutilus his incipit verbis (4), ΙΑΙΕΙ ΚΑΙ ΠΟΛΕΙ ΚΟΙΝΩΝΟΥΣΑΙ ΤΗΣ ΟΣΙΑΣ, quæ sic vertuntur: *Iliensi et urbi participes sacrorum*. Credidit interpres a mulieribus κοινωνούσαι monumentum ponit: sed qui credere potuit, cum statim Ἰππαρχος nominetur? ΚΟΙΝΩΝΟΥΣΑΙ, nempe κοινωνούσαι, pendet a voce πόλει, vertendumque, suppleto ΔΗΜΩΙ ante ΙΑΙΕΙ: *Populo Iliensi et urbi participi sacrorum*.

---

*Vers. 5. ΜΑΤΡΟΠΟΛΙΤΑ.* Ματρόπολις, urbs Acarnaniæ, et gentile Ματροπολίτης e Stephano nota sunt.

(1) Cf. *Belleys Académ. des B. L.*, t. XXX, p. 263. (2) Cf. Lettron. in Diario doctorum Jan. 1817, p. 41. (3) Schol. ad Orest. f. 383. (4) *Voyage de la Troade*, t. III, p. 50.

*Vers. 5. ΚΟΥΡΟΠΩΝ Ω.* Hic loci temporis mentionem factam fuisse puto, et Κουροπῶν mensem esse Acarnanen-sium quemdam. Multa jam mensium nomina nummi nos et marmora docuerunt: in litera Ω latet forte diei notatio. Nec omissendum in apographo aliquid lacunosi esse videri inter ΚΟΥΡΟΠΩΝ et Ω.

---

*Vers. 6. ΤΩΙ ΚΟΙΝΩΙ.* Τὸ κοινόν, commune Acarnanen-sium. Τὸ Καινόν, ἡ Κοινωνία, ubique hoc sensu reperiuntur in nummis, lapidibus, librisque. Reinesius (1), Wol-fius (2), Schwebelius (3), Fischerus (4), alii, de hac re scripserunt, et ipse nonnulla olim monui ad Phaestra-tum (5).

---

*Vers. 6. ΠΡΟΣΕΝΟΥΣ ΕΙΜΕΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑΣ.* De προ-  
ζένοις lectorem remittam ad Larcherum (6); et ad Κοε-  
nium (7), Beckiumque (8), qui multos ipsi indicaverunt  
scriptores, a quibus hoc muneric fuit diligenter illustra-  
tum. Glossæ Herodoteæ ad librum vi: Πρόξενοι οἱ προσάται  
πόλεων καὶ φροντισταὶ καὶ ξένοις ὑποδεχόμενοι. Codex Parisinus  
1630, idem codici illi Antonii Eparchi cuius Wesselin-  
gius in præfatione ad has Glossas meminit, et de quo  
legenda omnino Letronnii viri amicissimi et doctissimi  
nota in Diario doctorum (9); codex igitur 1630, pro

(1) Synt. Inscr. p. 368. (2) ad Liban. Epist. p. 30. (3) ad Onos. p. 107. (4) ad Criton. 11. (5) P. 343. (6) ad Herodot. VI. §. 57, not. 83. (7) ad Gregor. Corinth. Dial. Ien. §. 162. (8) ad Aves. 1022. (9) Févr. 1817. p. 101.

**ζένες** vitiōse habet **ξενίας**. De altero titulo **Εὐτεγέτου** præ-clara est Wolfii ad Leptineam (1) annotatio. In lapidibus literatis frequenter illi duo tituli, ut in hoc nostro decreto juncti reperiuntur; v. c. in Agrigentinorum decreto supra adlato (2), **ἱδοξε τῷ ἀλισ.... ΕΙΜΕΙΝ ΠΡΟΖΕΝΟΝ ΚΑΙ ΕΤΕΡΓΕΤΑΝ Δημητριον**. Eumdem Demetrium Melitenses decreverunt (3) **ΠΡΟΖΕΝΟΝ ΕΙΝΑΙ ΚΑΙ ΕΤΕΡΓΕΤΗΝ**. Delii parem Clinodemo Siphnio honorem publice tribuunt (4). Conferendæ sunt, si tamen in re non obscura tantam diligentiam adhibere necesse est, inscriptiones Corcyreæ plurimæ a doctissimo Mustoxydio collectæ (5), in quarum una vox **Πρόξενος** a Polycarpo Bulgari, Corcyreorum episcopo, italice vertitur *cittadino*, quod Ciampius jure reprehendit. Nuper a Leakio viro honoratissimo vulgata est (6) de eodem argumento inscriptio, quam et hic exhibeo ob eximum dialecti Boeoticæ exemplum, et miram in plurimis cum nostro lapide conspirationem :

Θ Ι Ο Σ  
ΤΙΟΥΧΑΝ ΑΓΑΘΑΝ ΑΛΕΥΑΡΑ  
ΧΟΝΤΟΣ ΕΔΟΣΕ ΤΤ ΔΑΜΥΤΕ<sup>ς</sup>  
ΧΟΜΕΝΙΩΝ ΑΓΕΔΙΚΟΝ ΔΑ  
ΦΙΤΑΟ ΗΟΛΕΙΑ ΑΠΑΛΕΖΑΝ  
ΔΡΕΙΑΣ ΠΡΟΖΕΝΙΟΝ ΕΙΜΕΝ ✲  
Η ΕΤΕΡΓΕΤΑΝ ΤΑΣ ΠΟΛΙΟΣ Ε<sup>ρ</sup>  
ΧΟΜΕΝΙΩΝ ΚΗ ΑΤΤΟΝ ΚΗ ΕΣ

(1) P. 282. (2) P. 420. (3) Cf. supra p. 421. (4) Marm. Oxon. p. 156. (5) *Illustraz. Corcir.* p. 188, 192, 196, 201. (6) *Classical. Journ.* t. XIII, p. 532; t. XV, p. 164.

ΓΟΝΩΣ ΚΗ ΕΙΜΕΝ ΑΥΤΥ ΓΑΣ  
 καὶ ΦΥΚΙΑΣ ΕΠΑΣΙΝ ΚΗ ΑΣΦΑΛΙ  
 αν ΚΗ ΑτΕΛΙΑΝ ΚΗ ΑΣΟΥΛΙΑν  
 αὶ ΚΑΤΑΓΑΝ ΚΗ ΚΑΤΑ ΘΑΛΑΤ  
 τεΝ ΚΗ ΠΟΛΕΜΩ ΚΗ ΚΑΤΑΣΙΟ  
 πΑΣ εΗΤΑΑΛΛΑ ΟΠΟΤΤΑ  
 ΤΤΣ ΑΛΛΑΤΣ ΠΡΟΖΕΝΤΣ καὶ  
 ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ

Adponam editoris doctissimi interpretationem : Θεὸς τύχη<sup>ν</sup>  
 ἀγαθήν. Άλιενά ἄρχοντος, ἐδόκε τῷ δῆμῳ Ὀρχομενίων Ἀγέδιπος  
 Δαφίτου Λιολέα ἀπ' Ἀλεξανδρείας πρόξενος εἶναι καὶ εὑεργέτης  
 τῆς πόλεως Ὀρχομενίων καὶ αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, καὶ εἶναι αὐτῷ  
 γῆς καὶ οἰκίας ἵμβασιν, καὶ αὐφάλειαν, καὶ ἀτέλειαν, καὶ  
 ἀσυλίαν, καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, καὶ πολέμου καὶ  
 καταστατῆς, καὶ τὰ ἔλλα ικόνα τοῖς ἄλλοις πρόξενος καὶ εὐερ-  
 γέταις. Cuncta fere eruditissime vertit vir honoratissimus.  
 Θεὸς pro Θεὶς Boeotorum esse et Cretensium novimus ex  
 Apollonio Dyscolo et Hesychio. Τιούχων admirationem mo-  
 vet. τ pro ω in ΤΤ ΔΑΜΥ et in ΑΥΤΥ, alibi in Εολικις  
 locum habere ostenderunt grammatici; et apud Visconti-  
 um V. S. inscriptionem aliam Orchomeniam vidi in  
 qua Ευβαλν est pro Εύβούλω et ει Erchomeni pro ει Ἐρχομενῷ.  
 De ΗΟΛΕΙΑ fateor me adhuc dubitare. Κη pro καὶ exstat et  
 in inscriptione illa apud Viscontium. In ΕΣΓΟΝΩΣ credo  
 esse σφάλμα vel typographi, vel scalptoris, et legendum  
 ΕΚΓΟΝΩΣ. ΦΥΚΙΑΣ pro οἰκίας vulgarem exhibet τοῦ δι-  
 γαμμα formam et permutationem vocalis υ et diphthongi  
 οι, ut infra in ΤΤΣ ΑΛΛΥΣ pro τοῖς ἄλλοις. At moratur  
 me vox ΕΠΑΣΙΝ, cuius rationem originemque non ca-

pio : cæteroquin sensus non est incertus, cum tot sint formulæ similes, ut mox plenius notabitur ad versum Actiaci nostri lapidis decimum tertium. In versione pro ἔμβασι, malim ὕγετοι, quæ vox est in talibus propria; et forte in ipso textu reponendum ΕΓΚΤΑΣΙΝ. Jam si forte lapidicida dederit ΕΓΤΑΣΙΝ, vel quod imprudens a vera lectione aberraverit, vel quod Bœoti homines sic scriberent et pronuntiarent, quis non intelligit quanta in his literarum ductibus attritis et fere erasis similitudo sit ΕΓΤΑΣΙΝ inter et ΕΠΑΣΙΝ? Cum voce Ασυλίαν contulerim τὸ συγγράφως, pro συγγράφους, inscriptionis Orchomeniæ quam Viscontius mihi olim legendam permisit. ΚΑΤΑΣΙΩΠΑΣ divisim scribere malim, κατὰ σιωπᾶς, vel κατὰ σιωπᾶς.

---

*Vers. 8. ΠΑΤΡΗ. Πατρίος fuit Agasias, quod est gentile urbis Achaicæ Πατρῶν.*

---

*Vers. 9. ΠΟΠΛΙΟΝ ΛΕΥΚΙΩΝ ΤΟΥΣ ΠΟΠΛΙΟΥΣ ΑΚΙΛΙΟΥΣ.* Non deest copula inter Πόπλιον, Λεύκιον: nam supra Ναυσιμάχου, Φιλοξένου nomina non arctius juncta sunt. — Acilia gens in historia celeberrima est; sed Publius et Lucius Acillii ipsi sunt ignoti, mihi saltem. Ad constructionem, Πόπλιον, Λεύκιον Ακιλίους, nemo, puto, offendet. Barthelemitus inscriptionem Latinam, in qua explicanda multi cæcutiebant, sex. l. m. IVLIEI C. F. PARENTIBVS SVEIS, recte legit (1) *SEXtus, Lucius, Marcus,*

(1) *Mém. de l'Acad. des Inscr.* t. XXVIII, p. 579, et *Voy. en Italie*, p. 331.

*Iulii*; aliamque contulit. Addam Ciceronis (1) verba pari structa modo: « Duo propugnacula belli Punici, Caius et Publius Scipiones. »

---

*Vers. 10, 11, 12. ΑΣΦΑΛΕΙΑΝ.... ΕΙΡΑΝΑΣ.* In his formulæ sunt styli politici et actorum publicorum. *Ætolorum* decretum (2) Teiis ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν tribuit. Et Hellanico (3), cui tam antiqua facta tam diserte narrantur fides vix esse potest, Græci dicuntur, post Trojæ expugnationem, Άλεεαι et fugæ sociis παρατητοῦ τὴν ἀσφάλειαν εἰς ἀπάντης ἡς ἵκρατου γῆς καὶ θαλάσσης. Est et aliud decretum (4) quo Hermio cuidam civitas quædam permittit εισπλοῦν καὶ εκπλοῦν καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης ἀσυλεῖ καὶ ἀσπονδεῖ. Vide et supra inscriptionem Orchomeniam p. 442.

---

*Vers. 13. ΚΑΙ ΓΑΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΙΚΤΙΣΙΝ.* Legendum omnino ΕΓΚΤΗΣΙΝ. Prius iātra deleto τοῦ γάμημα capite exstitit; alterum peperit scalptoris inscritia et pravus iotaismi usus. Quam sæpe sic permutata fuerint η et ι quis nescit? Hac observatione utar ut emendem Porphyrium ad Marcellam (5) sic editum: Έὰν οὖν ἀεὶ μημεούνται οἵτι, ὅπου ἀνὴρ ψυχὴ σου περιπατᾷ καὶ τὸ σῶμα ἴνεργόν ἀποτελῆ, Θεὸς παρέστη μὲν ἔφορος ἐν πάσαις σου βουλαῖς καὶ ταῖς πράξεσι: legerim πάρεστι, quod firmatur his verbis ejusdem libri (6): πάσης πράξεως καὶ παττὸς ἔργου καὶ λόγου θεῖς ἐπόπτης παρέστω καὶ ἔφορος. Sed gravius uleus inest Frontonis (7) huic loco: [εἰ δὲ] παρὰ [τοῦ] πεμφθέντας παιδας

(1) Parad. I. (2) Chish. Antiq. Asiatic. (3) Frag. 69. (4) §. 20.  
(5) §. 12. (6) Gruter. p. 419, 2. (7) P. 448 Maii. p. 237 Nieb.

*εδόμενος προ [σέμην]*... Interpres cl. vertit : « Quod si, per-  
 « pensis his omnibus, mancipia nihilominus a te missa  
 « receperissem. » *Ιδόμενος* interpretatur *perpensis his*  
*omnibus*, quod nemini probabit, nec ipse sibi, puto,  
 probavit. Locus integritati fere restituetur, legendo *ιδό-*  
*μενος*, id est : « Si missa abs te mancipia *libens libensque*  
 « receperissem. » Statim Italus editor lacunam his verbis  
 textui temere insertis supplevit : *ποίας φροντίσιν ἐμὲ δάκνε-*  
*θα χρῆν*; *πᾶς δὲ ἀμειβησάμενος*; Profitetur quidem Fronto  
 alicubi (1) se *τὴν φωνὴν ὀλίγου δεῖν βάρβαρον esse*; attamen  
 nimium ejus patientia modestiaque abutitur editor, im-  
 mani isto barbarismo *ἀμειβησάμενος* sophistæ non inelegantis  
 orationem fœde maculans. Eadem permutatio *τῶν η* et *ι*  
 barbaram vocem *φωνήντα* pro *φωνήντα* peperit in inscrip-  
 tione Memnoniae statuæ, quam Instituti Ægyptiaci socii,  
 V. Cl., in præclarissimo opere *vulgaverunt* (2). Sed cum  
 non uno hoc levissimoque vitio inscriptio laboret, illam  
 obiter emendabo et interpretabor. Versus quatuor primos,  
 nam cæteros ut insanabiles omitto, sic legentibus appo-  
 suerunt viri clarissimi, *avec quelques-uns des mots séparés*  
 et restitués :

ΘΗΚΕΣ ΕΦΩΝΙΕΝΤΑ ΘΕΑ ΡΟΔΟΔΑΚΤΥΛΟΣ ΗΩΣ  
 ΣΗ ΜΗΤΕΡ ΚΛΥΤΕ ΜΕΜΝΟΝΕ ΕΑΔΟΜΕΝΩΝ ΟΙ ΑΚΟΤΣΑΙ  
 ΣΗ ΕΦΩΝΕΙ ΔΥΚΑΒΑΝΤΙ ΠΕΡΙ ΚΛΥΤΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΤ  
 ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΜΕΝ ΥΠΑΤΩΝ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑ  
 ΕΧΟΝΤΙ.

Versibus tam barbare et tam *ἀμέτρας* restitutis notam

(1) P. 380 M. p. 34 Nieb. (2) *Descript. Génér. de Thèbes*, p. 106.

hanc adscriperunt : *Il résulte de l'examen de cette inscription, qu'un personnage, dont le nom est probablement effacé, est venu pour entendre, οἱ ακαυσα, la voix et les oracles du célèbre Memnon, fils de l'Aurore, déesse aux doigts de rose, sous le règne du très-illustre empereur Antonin, lorsque ce souverain étoit consul pour la treizième fois : λυκέβεντ: περὶ κλυτοῦ Αρραβίου ὑπετῶν τρὶς καὶ δέκα ἵχοντι.* Quis Antoninorum toties consul fuit? Sed tali interpretationi refellendæ non perdendum est otolum. Ut inspexi tres priores versus, ut correxi; et Caussino, viro literarum Aràbicarum et Græcarum peritissimo, αὐτοσχίδιοι emendationem statim ostendi:

**ΘΗΚΕ ΣΕ ΦΩΝΗΣΤΑ ΘΕΑ ΓΟΔΟΔΑΚΤΥΛΟΣ ΗΩΣ  
ΣΗ ΜΗΤΗΡ ΚΑΥΤΤΕ ΜΕΜΝΟΝ ΕΕΛΔΟΜΕΝΩ ΜΟΙ ΑΚΟΥΣΑΙ  
ΣΗΣ ΦΩΝΗΣ ΛΥΚΑΒΑΝΤΙ ΠΕΡΙΚΑΥΤΤΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ**

Sed in ultima linea mihi hærebant aqua. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ metro adversabatur; in KAMEN, vocem μὴ latere suspicabar; ΥΠΑΤΩΝ chronologici quid innuehat: sed me non extricabam. Confugi ad lapidis delineationem quam Girardus, vir cl., diligentissimo graphio exhibuit, non multum inde subsidii sperans; nam vix credebam commentatores, Girardi socios, non potuisse omnino verba lapidis legere, et portenosas voces αὐτοκράτορος, καμεν, ὑπάτων ex ingenio protulisse. Vidi non sine gudio lapidem ipsum meam trium priorum versum lectionem plane firmare, et hoc ipsum φανήσα habere. Pro ΜΗΤΗΡ lapis quidem præfert MHTEIP, alio iotaismi genere, quo EI locum τοῦ η occupat, quodque plurimi jam illustraverunt, inter quos Viscontius, V. S., ad Herodis Trio-

**pium** (1). Lapis exhibet ΕΒΑΔΟΜΕΝΩ, frequenti τῶν Α et Λ, ob formæ similitudinem, permutatione, de qua Viscontius eodem in opere (2) et Villoisonus (3) egerant. ΠΡΟΣΗΣ ΦΩΝΗΣ ΛΤΚΑΒΑΝΤΙ, in lapide mutilo et corrupto legi, ΣΗΕ ΦΩΝ ΤΚΑΒΑΝΤΙ. Quam feci restitutio certissima est : nam Σ et Ε facile posse confundi quis non videt? et notavit dudum Viscontius ibidem (4). Zosimo (5), ut quidem nunc editum legimus, Ἐπιτίμιος vocatur Romanus homo, qui Aur. Vietori (6), in veteribus editionibus, Septimius dicitur. Pravam lectionem, Ἐπιτίμιος, quod nomen nunquam Romanum fuit nec esse potuit, peperit forma τοῦ σιγμα lunata. Scripserat Zosimus ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ,

(1) Pag. 62. Theodosius Diaconus hoc vitio purgaudus est, Expugn. Crete III, 123 :

Πλούταρχον ἐξαίροντα Ρωμαίον κράτες.

Emendant κράτος, bene ad sensum : sed facilior et verior est emendatio mea, κράτη. Porphyrius ad Marcellam §. 21. Στῶν μὲν συνόντων πρᾶξη τὰ ἀγαθά : scribe, πράξει. Alibi alio iotaclismi modo in hac diphthongo peccatum est. Marinus in Arvalibus p. 238 edidit inscriptionem, cuius hic est versus :

ΝΗΛΗΣΟ ΘΑΝΑΤΟΣ ΠΟΛΤ ΜΕΙΑ ΚΑΙΡΙΟΣ ΗΚΕΙΣ.

Rossius legit μὲν ἀκαίρος, certamente importuna, quod est certamente pessimum. Lege omnino μοις ἀκαίρος. Nam constanter ει et οι permuntantur. Hujus inscriptionis versus aliud lacunula laborat ;

MOTNON ΔΗΜΕΤΕΡΟΝ ΒΑΙΗ

ΟΤΝΟΜΑ ΦΩΝΟΙ.

Rossius conjicit ΒΑΙΗ ΠΕΤΡ, sono ingratissimo. Inserta vox λιθος auribus erit gravior. (2) Pag. 68. (3) Mém. de l'Inst. classe d'hist. t. II, p. 120. (4) P. 71. (5) I. c. 49. (6) Epit. 35, 3.

quod abiit in ΕΕΠΤΙΜΙΟΣ, mox e correctione in ΕΠΤΙΜΙΟC, et dein in ΕΙΙΤΙΜΙΟC ex alia correctione. Quartum autem versum sic in lapide inveni : post lacunulam, litera exstat quæ ad τῷ P quidem accedit, sed τῷ Ε similius est syllabæ ΜΕ in ΕΕΛΔΟΜΕΝΩ; deinceps legi perspicue, ΚΑΤΩ ΚΑΜΕΝΙ ΠΑΧΩΝ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑ EXONTI. Lacunulam suppleo insertis syllabis ΤΩ ΔΕ; in ΚΑ pro ΚΑΙ erasum I restituo; pro ΜΕΝΙ, credo lapidem olim exhibuisse vel exhibere debuisse ΜΕΝΙ, pro ΜΗΝΙ; et jam habemus integrum et optimum versum :

τῷ δὲ ΚΑΤΩ ΚΑΙ ΜΕΝΙ ΠΑΧΩΝ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑ EXONTI

Ita autem hos versus, quibus viator Memnonis statuam alloquitur, vertendos censuerim : « Fecit te vocalem dea « roseos habens digitos Aurora, tua mater, nobilis Mem- « non, aventi mihi audire tuam vocem, auno nobilissimi « Antonini decimo, menseque Pachon diem decimum ter- « tium numerante. » Dies Pachon xiii cum maii octavo fere convenit (1) : sed quis sit Antoninus ille ex hac sola temporis nota indicare non valeo. Idem ille mensis Grutero fuit incognitus (2), qui lapidis cuiusdam ΠΑΧΩΝΙΑ vertit *Pachonia*: recte Scaliger die τ. Pachon undecimum esse intellexit, Παχώνια. Jablonskius, quod miror, credere videtur mensem Παχώνια in hoc lapide vocari Παχωνία (3). Eodem fere modo tempus signatur in alia Mem-

(1) Vide *La Nauze*, *Acad. des B. L.*, t. XVI M. p. 189; Morcelli *Menol.* t. II, p. 102. (2) P. 314, 2. (3) *Glossar. voc. Agypt. in Thes. H. Stephani* t. I, p. ccij edit. novæ Londineensis.

nonii inscriptione , cujus ultimos tantum adponam versus (1) :

Κοιράνω Αδριάνω πέμπτη δεκάτη ειναιτεῖ.  
 (Φωτ) ἡ δὲ ἔχεσκεν Ἀθυρ ἄποστολος καὶ πίστυρας  
 εἰκοσατέλη πέμπτη δὲ ἀμφιτι μηνὸς Ἀθυρ.

Cur autem tertius versus superioribus sit additus , aliis eruendum reliquit Jacobsius. Novi virum doctum qui inde novis quibusdam opinacionibus fundamentum quærebat. Evidem rem esse non difficilem admodum reor. P. Balbinus , cujus hæc est inscriptio , Memnonem audierat die mensis Athyr xxiv , et die insequenti xxv lapide versiculos inscripsit; vel , cum scripto illo versu quo diem xxiv signabat , comperisset se erravisse , altero versu verum diem , nempe xxv , restituit. Non pauci exstant lapides sic facti correctiores. In lapide nostro Actiaco versu decimo iātā fuit additum. De emendationibus hisce videndus est Marinus in Inscriptionum Albanarum Syntagmate (2). Vir doctissimus istum ibi apposuit lapidem (3) :

Q. HORTENSIVS. Q. DL

ALEXANDER

SEXTILIA P. L. MOSCHIS

SEXTILIA. P. L. ALBA. MATER


P. SEXTILIUS. PANCHRES. Tvs

P CALLVS

« *Forse, inquit Marinus, q. HORTENSIVS Quinti et Decimi  
 libertus, e PANCHRESTVS Pater : ma l'ultima voce*

(1) Jacobs. Anal. t. VIII , p. 823. (2) P. 24. (3) P. 88.

« *CALLVS, che si sta sola, cosa vorrà ella significare?* » Equidem puto hic esse lapidicidæ emendationem. Cum scripsisset imprudens vulgare nomen *Panchrestus* (Πάγκρεστος), meminit serius homini non *Panchresto*, sed *Pancalo*, (Πάγκαλος) esse nomen, et in ipsa correctione erravit, L male duplicato. Legitur et ibidem ille lapis (1):



Ad ultima Marinus hanc adscripsit notulam: « *Leggo cum Patre, con cui Felicula passò 20 anni, e 21 col marito, avendone avuti di vita 41. M'imbroglia la riga penultima, e parrà difficile a credersi che ci sia per errore.* » Et hic esse puto emendationes. Non annis XXI vixerat cum Felicula conjugе Flavius Vestalis, sed XX; jamque

(1) P. 27.

insculpto priore numero, alter, qui erat verus, e corre-  
ctione fuit additus. Et verba COMPATE, explico non *cum patre*; nam sic perit *A*; sed *cum patera*, quod esse for-  
mulam puto dedicationis.

Insuper notabo in extremis inscriptionis Memnonii vocibus, τρὶς καὶ δίκαια ἔχοντι, elisionem neglectam fuisse. Hagenbuchius (1) animadvertisit Græcos vocales, quas synalœphæ elidunt, scribere numquam esse solitos. Sed ipsi adversatur Memnonium hoc hemistichium; adversantur, et Gruterianum epigramma ab ipso tractatum (2), ubi Ἡράκλειποντας ἀρέτας in principio dactylii legitur; et marmor Taurinense (3) ubi δεύτερα ἔτετο; et lapis Muratorianus (4) ubi ταῦτα ἐπέγραψε πατήσ. Sic autem incipit illud epigramma apud Muratorium:

ΠΗΝΟΣ μὲν γενετῆρες, ἵπεὶ γερας ἐσὶ θαυμῶν,  
κείροτες κλαίεσκον ἀνασθήτω περὶ τύμβῳ.  
Ψυχὴ δὲ εἰς τὸ δίκαιον (5) ἔβη.

Jacobsius e conjectura sua edidit παιδός, et imprudens θαυμῶν. Quid non recepit Fleetwoodii conjecturam, σκη-

(1) Epist. Epigr. p. 35. 72. (2) P. 152. (3) Marm. Taurin. t. I., p. 169; Anal. ἀδεσπ. 563. Cf. et Jacobs. ad 561. (4) P. 2061, 1. — Jacobs. Anal. t. XIII, p. 802. (5) Hæc locutio non facile obvia, apte conferetur cum istis Philonis V. Mos. p. 624 C. προσπίξεντος καὶ τὴν χεῖρα ὑπερίχοντος τοῦ δικαίου. Mangeus edidit ῥιπίχοντος, et proponit ὑπερίχοντος, quam conjecturam recepit Dahlius in Chrestomathia p. 157. Sed jam editio Parisina, e qua locum descripsti, ὑπερίχοντος recte exhibebat. Verba ὑπερίχοντος τὴν χεῖρα docte illustravit Hemsterhusius ad Luciani Tim. §. 10, cui adde Jacobium ad Phædri Epigr. 3; Westerhovium ad Ter. Andr. II, 1, 40.

nos, quæ et mihi dudum in mentem venerat? Certe ΣΚΗΝΟΣ propius ad ΠΗΝΟΣ accedit quam πατέρος. Σκῆνος, quod Hesychius vertit per σῆμα, reperitur, sed cum mendo scripturæ, in hac metrica lapidis Townleyani epigraphæ (1) :

ΕΙΠΕΙΝ ΤΙΣ ΔΥΝΑΤΑΙ  
ΣΚΕΝΟΣ ΛΙΠΟΣΑΡΚΟΝ  
ΑΘΡΗΣΑΣ ΕΙΠΕΡ ΥΛΑΣ  
Η ΘΕΡΣΙΤΗΣ ΗΝ Ω  
ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ

Cæterum σκῆνος a Fischero (2) et Jacobsio (3) fuit illustratum, ut nihil addere habeam, illud tamen, nempe σῆμα vel σκῆνος et ψυχὴ sæpiissime in lapidibus opponi, quod etiam Fleetwoodium juvat. Exempli causa adferam inscriptionem parum adhuc notam, quam Leakius V. D. Egis Macedoniae descriptis, atque nuper Ephemeridi Valpyanae inseruit (4) :

Ἡδὲ πίγρος κεύθει Γραφικοῦ δίμας, τις Μάκαρων δὲ  
Ψυχὴν θεσπεσίην θῆκε Θεὸς πατέρος,  
Οὐεκετὴν πανάρισος, εἰς ἡγαθοῖς δὲ πολίτεω  
Πρῶτα φέρων (5), πιστής κῦδος ἐκπροσώπει.

(1) *Dallaway Anecd. of the arts*, p. 330. (2) Indice ad Axioch.

(3) *Anal. t. XII*, p. 30. (4) *T. XIII*, p. 343; *t. XV*, p. 164.

(5) πρῶτα φέρων pro φερόμενος locutio est a multis usurpata scriptoribus. Doctissimus Timarionis interpres, qui nullius meminera<sup>t</sup> loci cum haec auctoris sui §. 8 verba ederet, πάππος αὐτῷ τὰ πρῶτα φέρων, plurima invenit exempla in incis ad Eunapium annotationibus p. 175 et 567; quibus addo τὰ πρῶτα φέρου ex Horopolline c. 27, ac scholiaste Euripideo ad Orest, 909, videndo et ad

Ευξατο δὲ αὐτὸν Μακάρεσσι καὶ ἡμέρην παράκοιτην  
Τοῦδε λαχεῖν τύμβου, γῆρας εὗτε τύχας.  
Χαῖρε Γραφίκε.

Et hic sponte ponendum se præbet lapis ille Ravennensis  
nec semel nec bene tentatus (1) :

. . . ΕΝ ΣΩΜΑ ΚΡΥΠΤΕΤΑΙ ΚΑΤ  
. . . ΣΤΟ ΘΕΙΟΝ Η ΨΥΧΗ ΜΕΙ

Commenta interpretum non vacat repetere. Propono :

(Τὸ παιδίον μ) ἐν σῶμα κρύπτεται κάτω,  
(ἔβη δὲ πρὸ) τὸ Θεῖον η ψυχὴ μέ (τα).

Tmesis ἔβη—μέτρα pro μετέβη lectorem, puto, non morabitur. Locutio proba est, et alibi (2) occurrit :

Οὐκ ἔθανες, Πράτη, μετέβης δὲ εἰς ἀμείνονα χῶρον.

Nec omittendus marmoris Elginiani insignis in Athenienses ad Potidæam cæsps versus, a Thierschio, viro eruditissimo, feliciter restitutus (3) :

ΑΙΘΕΡ ΜΕΜ ΦΣΥΧΑΣ ΤΠΕΔΕΞΑΤΟ ΣΟματα δὲ χθωρι :

prout dixit incertus poeta in Analæctis (4) :

Χθωρι μὲν ἔχει δέμας επιλόν, ἔχει πολλὰ εὑρανὸς ηγορ.

γ. 1247; locutionemque non absimilem, ἄκρα φίρων οσφίς, ē Gregorio Naz. in Murat. Anecd. Gr. p. 56 : conseratur quoque Iacovius V. D. in *Litterarische Anal.* t. I, p. 102. (1) Cf. Rubbius ap. Oderic. Diss. p. 288. (2) Anal. Brunk. Epigr. inc. 727. (3) Acta philolog. Monac. t. II, p. 415; *Classical Journ.* t. XIV, p. 186. (4) Epigr. 689.

Alia hujus *arridioris* exempla præbent Analectorum epigrammata incerta 680, 688, 700, 721 b, 722, ad quorum ultimum confer. Jacobsium. Adde Philippi Epigr. 84, et e Latinis poetas Anthologiæ Burmannianæ (1).

Syllabæ in elisione scriptæ aliud etiam exemplum exhibeo ex inscriptione ab Akerbladio, viro doctissimo et amicissimo, vulgata (2) ubi *χήρυξι Αθανάτου*, in quo notanda synalœphe rarissima vocalis *ἰῶτα* in dativo. Atque ibidem legitur *χίονος δὲ αὐτοῖς*. Sed utilior mea erit opera, si versum imperfectum,

. . . κασίγνητοι παιδεῖς πατρὸς ἐξ Ἀγασίκησου,

supplebo. Quæ fuit proposita emendatio, Δέος κασίγνητοι, manum poetæ nobis non exhibet; nam est *ἀπερτός*. Malim Οἴδη κασίγνητοι, *hi fratres*, Agasicrates nempe et Agasicles, qui statim nominantur. Nec non in scriptis codicibus apostrophus negligitur, quod jam observavit ad Plutum (3) Hemsterhusius.

Tandem ad ΕΓΚΤΗΣΙΝ decreti Acarnanensis redeo, observaturus, quo emendationem stabiliam, vocem illam hic esse omnino propriam et peculiarèm. Clinodemus jam (4) adlatus a Deliis ΓΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΝΚΤΗΣΙΝ obtinet, ut et Hermius, quem et supra adduxi (5), ἐγείων ἔγκτησιν. Byzantii in decreto apud Demosthenem (6) Atheniensibus dant γυκτασιν γὰς καὶ σικιᾶν. Conferenda insuper tria Coreyraeorum acta publica apud Mustoxy-

(1) IV, 2 et 57. (2) *Dis. sopra due laminette*, p. 22. (3) f. 133.  
(4) Pag. 441. (5) Pag. 442. (6) *De Corca* f. 27.

dium (1), ubi similem reperire est formulam, et lapis Orchomenius quem supra (2) descripsi. His scriptis, accepi a Letronnio, viro amicissimo, qui mea recitantis audierat, notulam, qua in usum lectorum utar. « *Hero-dote* (3) : ἀνδρὶ Ἑλληνι διηρῆ τε καὶ σοφῷ δόὺς ἐγκτίσαθαι πόλιν εἰν Θρηίκῃ. Cette leçon a été reçue par M. Schweig-  
 « haeuser, au lieu de ἐγκτίσαθαι, déjà blâmé par Val-  
 « ckenær. Au reste, la confusion de κτήσις, κτίσις,  
 « κτῆμα, κτίσμα n'est pas moins commune. Il y a un  
 « exemple de la première dans Strabon (4) : νῦν δὲ  
 « κτῆμα, κτίσις idiorū. Il faut lire κτήσις avec Sieben-  
 « kees. Voy. Dutheil, notes de la traduction. Dans  
 « Isidore de Charax (5), je lis, Ἰχιαὶ πόλις Ἑλληνῖς, Μακε-  
 « δίναι κτίσμα, ταῦ lieu de κτῆμα. » Hactenus vir doctissi-  
 mus, qui rursus Strabonem suum adducere poterat, ubi (6)  
 nuper Corayus κτῆμα pro κτίσμα, e Cluverii et Siebenkesii  
 conjectura, reposuit. Et permutationem vocum κτίσις et  
 κτῆσις illustravit Sturzius (7), qui in Stephano Byzantino,  
 pro Ἑλλανίκος εἰς Κτήσεοις ἴστιαι καὶ πόλεων, nihil fortassis  
 interesse credit utrum κτίσισιν an κτήσεοιν legatur : equi-  
 dem Κτίσισι verum esse puto, et unice verum.

*Vers. 13. ΤΑ ΆΛΛΑ ΤΙΜΙΑ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΑ ΠΑΝΤΑ ΟΣΑ.... ΤΠΑΡΧΕΙ.* Verba illa τὰ τίμια καὶ φιλανθρώπα in his formulis sunt propriæ et sæpe occurrunt : rarior est locu-

(1) *Illustr. Corcir.* p. 188, 197, 201. (2) *Pag. 442.* (3) *V, 25, 1.*

(4) *V, c. 5, §. 2, p. 152.* Sieb. p. 308, *Cor.* (5) *T. II, Geogr. Min.* p. 5. (6) *V. p. 203.* Sieb. p. 333 *Cor.* (7) *ad Hellan.* p. 87, 88.

tio, πάντα τὰ φιλάνθρωπα καὶ καλῶς ἔχοντα, in Fœdere inter Marmora Oxoniensia. Romani Teiis scribunt (1) conatus esse se τάξις τὸν θεὸν τίμια καὶ τὰ εἰς ὑμᾶς φιλάνθρωπα συνεπαύειν : sic Ἀτόλι (2) decreta omnia sanciunt in Teiorum gratiam facta περὶ τῶν φιλανθρώπων. Polybius (3) ait se de Locris bene fuisse meritum, παρεσκήθας χρεῖας αὐτοῖς ἀναγκαῖας, propter quod ipsum Locri πάσιν ἡμίψυχοι τιμίοις καὶ φιλανθρώποις. Quo loco fere crediderim ipsa nobis apposuisse Locrorum decreti verba. Nam formulæ id genus in hac re peculiares erant, Clinodemus (4) enim a Deliis honoribus mactatur, ἐπειδὴ χρεῖας παρέχεται καὶ ποιῆται πόλεις καὶ ἴδιᾳ τοῖς ἵτουγχάνουσιν : Mendiceus (5), quod χρεῖας διατίτλης παρεχόμενος τοῖς ἵτουγχάνουσιν : Demetrius ab Agrigentinis (6), cum certiores facti essent ipsum πολλὰς καὶ μεγάλας χρεῖας παρεσκήθας : Atheniensis populus a Byzantiis (7), quia πολλὰς καὶ μεγάλας χρεῖας παρέχεται. Quid sint illa τίμια καὶ φιλάνθρωπα inquirenti, monstrabo decretum Delphorum (8) qui Philippo cuidam Calymnio et posteris ejus dant προξενίας, προμαντείας, προεδρίας, προδικίας, αὐτοικίας, απέλεισις πάνταν, denique τὰ ἄλλα ἵστα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὑεργέταις et hic obiter notandum deesse ve ut πάρχῃ ut in nostra inscriptione ; vel δέδοται, ut in decreto Deliorum de Clinodemo, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἵστα δέδοται καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὑεργέταις, vel γέγρα-

(1) Chish. Antiq. p. 105; Hessel. præf. ad Gud. Inscr. \*\*\* 4; Cuper. *Lettres*, p. 195. (2) Chish. p. 104. (3) 12. c. 5. (4) l. ind. supra p. 441. (5) Marm. Oxon. 157. (6) Supra p. 441. (7) Demosth. Coron. §. 27. (8) Villois. *Acad. Inscript. M. t.* XLVII, p. 326; Wessel. ad Herod. I, 54. — Vide et Mustox. *Illustr. Corc.* p. 191.

πται, ut in binis Corcyraeis inscriptionibus (1); non autem ὑπάρχονται, ut in hoc Corcyraeo lapide (2), καὶ τὰ ἄλλα τίμια ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις ὑπάρχονται, ubi legendum forte ὑπάρχοντι. Cæterum in illo decreto Delphorum nihil est fortasse manu supplendum, estque ellipsis, ut in illo Corcyraeo (3), τίμεν δὲ αὐτοῖς γὰς καὶ οἰκιας ἔγκτησιν, καὶ τὰ ἄλλα τίμια ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις, et ut in decreto Orchomeniorum quod adtuli p. 442. Intelligo igitur τὰ τίμια καὶ φιλάνθρωπα de honoribus illis et prærogativis quorum in Delphico lapide mentio fit, ad quem conferendum est Bysantiorum decreta apud Demosthenem, et illud quo jam supra (4) usus sum, ubi civitas Hermio tribuit προξενίαν, πολιτείαν, προεδρίαν, ἀτέλειαν χρημάτων πάταγον ἢν ἢν εἰσάγωσι καὶ ἐξάγωσι ἐπὶ κτήσει, ἴγγειν ἔγκτησιν, δίκας προδίκους, ἔφοδος ἐπὶ τὴν Βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πράτοις μετὰ τὰ ιερά : quæ postrema iis addantur exemplis quibus similis formula in decreto Byzantiorum Demosthenico a Tayloro vindicata fuit et asserta.

*Vers. 14. ΑΔΔΟΙΣ.* Duo λάμβδα sic copulata, ut ad formam τοῦ Μ accedant, pepererunt alibi vocum ΑΛΛΑ et ΑΜΑ permutationem, de qua supra monui (5). Hinc corrigenda inscriptio Sicula male edita (6),

ΚΑΜΙΣ  
ΤΡΑΤΟΣ  
ΡΑΤΟΡΟΣ

(1) Mustox. l. c. p. 188, 192. (2) Mustox. p. 201. (3) Mustox. p. 197. (4) Pag. 444. (5) P. 13. Vide ad Pseudodiogen. in Notitiis Must. t. X, p. 225. (6) Castell. p. 168, 27.

458 COMMENTATIO EPIGRAPHICA.

et male versa : *Camistratus Ratoris F. Scribe ΚΑΛΛΙΣΤΡΑΤΟΣ*, et *ΡΑΤΟΡΟΣ* verte *Rhetoris*. In Gruteriano lapide (1) variatur inter *ΓΡΑΤΙΛΛΗ* et *ΓΡΑΤΙΜΗ* : illud prætulerim.

(1) P. 685, 12.

FINIS COMMENTATIONIS EPIGRAPHICÆ.

# LUCÆ HOLSTENII

## EPISTOLARUM APPENDIX.

---

### XCIX.

\* P. PUTEANO.

AMPLISSIME DOMINE (1), quam multa dictu gravia, per-  
pessu aspera hoc itinere mihi evenerint, jam vos satis  
superque intellexisse existimo, et ampliss. dni. Thuəni  
literis et sermonibus dni. Aubrii; nec animus mihi est re-  
censere ea, et malorum iliadem texere: quomodo, sub-  
verso curru, per præcipitum devolutus, profundæ puti-  
dæque voragini ferme nomen dederim; quomodo in Ilva  
insula, nescio Cyclopum an Sirenum scopulis dicam, xi  
dies hæserim; quomodo minimo minus in piratarum manus  
inciderim: ut reliquas communes viatorum calamitates  
taceam, effusissimos per Campaniam et Burgundiam im-  
bres, æstum sævissimum et viarum difficultates in Alpium  
transitu; dein nauseam nauticam et sentineæ fœtorem olen-  
tissimum; tum pulioum cimicumque copiam, et culicum  
examina, quæ diurno labore fessum noctu, velut œstro  
percitum, exegerunt, aut, ni cederem, soricina nænia con-  
fossiorem (2) et magis variegatum Libyca panthera reddide-

(1) Initium est epistolæ VI, p. 50.

(2) Plaut. Bacch. IV, 8, 48.

runt. Gratias tamen Deo O. M. ago habeoque, quod ei maximis periculis nihil præter metum experti fuerimus. Itineris nostri ductum et quomodo illustr. cardinalis exceptus fuerit scripsi illustr. dno. Residenti, neque hic repetere libet.

Romam ut veni, etc.

### C.

#### \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

PRIORES illas (1) nupero cursore tibi destinaram; sed celerrimus ejus discessus spem atque voluntatem meum tum frustrata fuit: nunc, ne sine interusurio aliquo id temporis effluxerit, secundas hasce addo ut officiosissimi animi et gratissimæ recordationis testes atque obsides.

Mitto carmen in Nuptias d. Thaddæi Barberini cum Anna Columna, quod cum venia leges ut properantis ingenii abortum. Scripsi non prurigine poetica, nec eo fine ut placerem illo studiorum genere quo infelicissimus semper fui, sed ne in tanta scripturientium turba siluisse noceret, aut ne officii neglecti reus agerer ab iis qui externis istis omnia metiuntur. Vale, Romæ a. d. viii februarii MDCXXVIII.

Epigramma hoc nuper in apparatus nauticum S. Ces. Majestatis scripsi: quod consilium unice me probare omnium optime nosti, in quo Germanicæ salutem et Imperii incolumitatem consistere semper existimavi:

(1) Nempe epistolam IX, p. 41.

*Cuncta tibi fausto promittunt omne divi :  
 Perge modo, Cæsar maxime; cuncta feres.  
 Jam cœlum fama, terras victricibus armis  
 Imples; pars restat tertia sola maris.  
 Jupiter ætherias meritis ingentibus arces,  
 Armis terrarum Mars dedit imperium;  
 Nunc tibi Neptunus sponte offert æquora, Cæsar :  
 Divisum imperium cum tribus unus habes.*

## CI.

\* P. PUTEANO.

Lutetiam!

De rerum mearum successu et vivendi conditione apud illustr. cardinalem aliunde haud dubie cl. et amicissimus noster Setonius vos edocuit. Unde haud difficile pro prudenter tua conjectare poteris quid mihi in posterum sperrandum ab illustr. mæcenatis benevolentia, quam augeri quotidie sentio et ipse omnibus modis testatam cupit. Et fructus jam egregios percepi optimi erga me affectus. Paucis enim abhinc septimanis una vice quinque beneficia in patria mea mihi contulit, videlicet canonicatum cathedralis ecclesiæ Bremensis, scholastriam cathedralis ecclesiæ Lubecensis, et canonicatum collegiatæ ecclesiæ Eutinensis in Lubecensi dioecesi, tum duo simplicia beneficia in cathedrali Lubecensi. Ea beneficia coacervarat nobilis quidam Bremensis satrapa (1), seu præfectus in *Ottersberg*, quod munitissimum castellum est in Bremensi archiepiscopatu, et ipsi archiepiscopo fuit a cubiculo. Quæ quum a multis avidissime expeterentur, inscio

(1) Vide p. 49, ubi multa de his beneficiis.

mihi nec petenti a S. Pontifice et illustr. cardinale collata fuere a. d. xv januarii. Quumque ante xxiiii februarii bullas, ut vocant, pontificias Bremensi et Lubeeensi capitulis exhiberi oporteat, incredibili diligentia illustr. cardinalis gratis mihi eas expediri curavit, et quidem geminatis exemplaribus, quorum alterum Coloniam missum fuit ad fidissimum hominem, alterum breviori via Heripolim ad episcopum ducemque Franconiae cum literis illustr. cardinalis et oratoris Cæsarei, quibus ejus negotii executio ipsi demandata fuit: is certum hominem Bremam et Lubecam eo nomine ablegabit. Neque id solum sed et alias adjunxerant, cum illustr. cardinalis, tum princeps Sabelius, Cæsaris legatus, et Cribellius, agens in rebus Bavariae, ad comitem *Tilly* et Anhaltinum, ut suam auctoritatem in eo negotio apud episcopos atque capitula interponant, si usus et rei necessitas id requirat. Si tranquillam possessionem, quod spero, impetravero, næ ego omnium hominum felicissimus sum, cui Fortuna honestissimum locum in patria et apud meos paravit, ubi studia in otio recolere aliquando liceat, et patriæ atque amicis operam impendere. De reditu nihil dum certi affirmare possum, quem mille scutatorum summam exceedere puto; nisi quid accisum fuerit hisce tumultibus, quibus ager Saxonicus misere vastatus fuit. Nunc sollicite exspecto responsum, num tempore delatae eo fuerint literæ: in eo enim cardine tota res atque fortuna mea volvitur.

Mitto nunc carmen nuptiale (1) cuius exemplar misisse se scribit illustr. d. *Peiresc*. Pudet me illepidæ et insulsæ

(1) Vide supra p. 55, 114, 460.

scriptionis quam uno die effudisse testari poterit Setonius; ideoque veritus fui infelicem abortum doctissimorum hominum conspectui auribusque obtrudere. Legatur ergo cum venia, quum non genius sed necessitas a sterili et inculto genio extorserit. Prohibet brevi volumen *ἰγκωδίστατος*, quod plastrum ipsum variorum carminum completitur in nuptias Barberinas (1), ne quid profuturum seculo lateat.

Cardani *Proxenetam* abs te transmissum maximam partem legi. Utilis liber et pene necessarius homini inter Italos victuro. Verum et genuinum opus esse facile perspexi ex inaequali et inconstanti scribendi ratione, quam nemo assequi alias posset, etiamsi maxime allaboraret.

Ampl. d. Grotii libellum *de Veritate religionis christianæ* illustr. cardinalis mirum in modum deperit, gerisque semper in manibus, imo in oculis.

Porphyrius meus lento admodum molimine prodit; et inscitia typographorum omnia erroribus foedat, ut me editionis susceptæ jam poeniteat: pergendum tamen ut potero.

De Porphyrii vita et scriptis quum nuper commentarer aliquid, incidi in Baronii *περὶ θάνατον* opinionem, qui philosophum illum ex Phœnico Judæum, ex Tyrio Bataneotem facit, idque D. Hieronymi auctoritate, ut videbis ad ann. Chr. ccxi, n°. lii: de quo loco vellem te ampl. Grotii et Rigaltii sententiam exquirere. Neque enim ullus aut sacer aut profanus auctor simile quid unquam somniavit. In Vaticanis MSS. *Biataneotes* et *Bethaneotes* scriptum re-

(1) Vide p. 114.

peri levi variatione (1); quorum tamen primum ad *Baronii* accedere videtur. Mirum cur Bataneoten et sceleratum conjungat. Nam quid probri ex patriæ nomine? Porphyriuni atra laborasse bile eaque percitum sibimet ipsi manus inferre voluisse, ipse, in Plotini Vita (2), de se scriptum reliquit. An Bataneotæ insigni aliquo flagitiō locum proverbio fecere? ut Chaldæi, Ægyptii, et in sacris Sodomitæ et Capernaïtæ; illi ob peccatum *ἀλογίας*, hi ob profanam de esu carnis Dominicæ opinionem. Mihi aqua hæret, et magnam debebo gratiam, si quis in re incerta certi aliquid ostenderit. Nam Baronii sententia, quum contra auctorum omnium sententiam sit excogitata, nequaquam mihi videtur admittenda. Nisi tamen quid probabile contra afferam, religio mihi fuerit Baronii sententiam in dubium vocare et auctoritatem laceressere. Roma MDCXXVIII a. d. ix februarii.

## CII.

\* P. PUTEANO.

Quum nuper frater tuus (3) salutem mihi abs te nunciarer, et magno te desiderio teneri ostenderet certi aliquid de rebus meis cognoscendi, sensi profecto me neglecti officii haud obscure conveniri; cuius equidem culpæ me ipsum

(1) Ad marginem adscripta est hæc notula « V. C. Th. n°. 655. *Bythaneotes* » quam sic interpretor, « *vetus codex* Thuani... » credoque a Puteano fuisse additam.

(2) §. 11. Cæterum ad rem cf. Holstenianam Porphyrii Vit. c. 5.

(3) Christophorus Puteanus: cf. p. 377.

jam pridem reum peregeram. Quocirca ut cum bonæ fidei debitore rem tibi esse videres, voluntati tuæ satisfacendum existimavi; quamvis de publicis meisve rebus nihil adeo habeam quod magnopere te delectare possit, nisi id fortassis quod illustriss. cardinalis constanti affectu me prosequatur, et data occasione testetur sibi fortunarum mearum promotionem in primis cordi esse. Nam, quum sæpius egregiæ illius erga me voluntatis et benevolentiae fructum perceperim, nuper sane uberrimum sum expertus; dum Hamburgensis ecclesiæ præpositoram, magno multorum petitam ambitu, mihi contulit, dignitatem apud meos cives primariam, qua studiis meis optime prospectum erit. Neque solum de S. Pontificis collatione, sed et Cæsaris consensu et approbatione, quod quidem potissimum est, securus sum, ut clementissimo ejus favore et subsidio facile me jure meo potitum sperem. Jam enim famam apud vos percrebuisse existimo de Cæsareo edicto nuper rime promulgato, quo controversi aliquot articuli constitutionis imperialis de Pace Religionis ab Imperatore declarantur, et a Lutheranis omnia bona ecclesiastica, post Passaviensem conventum occupata, repetuntur. Nosti quid de leonis divisione Phædrus fabuletur: similem profecto hanc declarationem dixeris. Abbatias imperiales repetit, quia Cæsar; episcopatus catholicis vindicat, quia victor: reliqua beneficia qui non restituerit, malum dabit. Nec minor spes est obtinendi canonicatum Lubecensem cum scholasteria, de quibus superiori anno mihi provisum fait, cum Lutherani eam quoque ecclesiam post Passaviensem transactionem invaserint. Et nisi fama publica fallat, jam Cæsaris commissarii eo profecti sunt, qui inquis possesso-

ribus beneficia ecclesiastica abrogent. Quidquid sit, spem optimam ex illustriss. nuncii Viennensis literis concepi, qui semel atque iterum id negotium Cæsari commendavit. Hæc serme præcipua sunt, quæ tibi, pro benevolentia illa qua me hactenus prosecutus fuisti, scitu haud ingrata futura arbitror.

Literarum studia mirum in modum hic frigent, et supra quam vel ego dicam vel tu credas. Nam quum antea satis languerent, cl. Aleandri obitu (1) plane intermortua et extincta videntur. Plerique omnes, qui studia profitentur et ingenio laudem querunt, conjurasse videntur, ne quisquam serium aliquid aut publice profuturum tractet: ita vel carmen vulgari lingua pangunt, vel de quæstiunculis paradoxis μετεμφοροῦσθαι, quas nos Hyperborei quum non curemus vel etiam minus capiamus, noctuæ inter aquilas aut inter lynces verveces videmur: et, nisi animus me vehementer fallat, literarum neglectus in pejus quotidie proruget, quum ii, quibus aliqua juvandi voluntas est, ab imperitis et invidis hominibus omni conatu prohibeantur. Ita scilicet egregii literarum promicundi, ut sapere videantur et quidem soli, draconum instar alios a publicæ doctrinæ thesauris arcent, ne quis forte leoninam pellem Cumano pectori detrahatur. Sed frustra de hac temporum et literarum calamitate querimur, quam ego fatalem esse judico, quum optimam principum voluntatem et præser-tim illustriss. cardinalis nostri nemo, nisi iniquissimus, accusare possit: sed ferenda quæ mutare non licet, et de quibus mutire coram plebeio piaculum est.

(1) Quod notavi p. 133 de Aleandri mortis tempore et hac epistola firmatur.

Tertullianum ampliss. d. Rigaltii in fratribus manibus obiter et raptim inspexi, quum illustriss. cardinali eum offerret; literas autem elegantissimas Donii nostri beneficio legi, et scio cardinalem nostrum summopere eas mirari. Sane omnis horum hominum fastus et animi confidentia facile unica illa epistola retunditur.

Apud Bordelotum (1) puto me fidem jam dudum decoxisse. Is, ante multos menses, iteratis literis a me petiit ut decem et amplius integros auctores cum Vaticanis codicibus conferrem. Quid facerem? Morem gerere, διὰ τὴν τοῦ φύλακος (2) θραυστηρα, amico non licebat; nec dengare volebam, quod conqueri apud omnes publice minus tutum sit; nec verba dare et hiantes corvos deludere consuevi.

Ampliss. d. Grotio diligenter studia mea commendari velim. Allatus nuper fuit libellus *de maris libertate* (3) inter alios præstantissimos libros Leidenses; quem a monachorum censura vindicavi, quod Venetorum prætextus de imperio Adriatici sinus eo convelli dicerem, et Pontificis cæterorumque principum jura stabiliri; et tantum effeci ut publice hic prostet. In altero opere *de jure pacis et belli* duo tantum loca animadversa fuere, cur lectionem ejus prohiberent (4), quorum quidem altero parabolas sacras *fabulas* vocavit; altero de conciliis generalibus ecclesiæ minus commode ad catholicorum aures locutus est. Quam culpam levissima mutatione redimere poterit in secunda editione. Romæ MDCXXIX eidib. maii.

(1) Vulgo *Bourdelot*.

(2) Vide p. 103. (3) Vide p. 60.

(4) Cf. Burigny, *Vie de Grot.*, t. I, p. 247.

## CIII.

## \* PEIRESCIO.

TRIBUS tuis responsum debeo, quod paulo longius dilatum una vice nunc solvam, et quidem *καὶ τὸν ὑπερόπτηρον*; neque enim multum referre existimo quod postrema primis præferam.

Philonis Byzantii opusculum (1) recepi: verum id remitti haud opus erat, quum aliud mihi exemplar servaverim; tibi autem transcribendi laborem imminuere vel plane compendifacere potuisse. Opellam a me in vertendo præstitam exigui sane momenti nimis profecto magnifice prædicas; neque enim tam Suffenus mihi sum (2) ut maguam laudem inde sperem ubi parum præstisti. Gaudeo tamen et scriptum ipsum et versionem meam accuratissimi tui judicii censuram sustinuisse, ita ut non verear jam publice omnium oculis eam exponere. Spero autem totum illud *σύνταξις geographicum* tibi probatum iri; nam in cæteris, mere geographicis, aliquid amplius mihi tribuo, neque adeo publicum judicium timeo; cuperem tamen tuum de singulis prius experiri. Sed de Philonis ætate quod quæris, id certo affirmare possum, Athenæi, Eutocii et Heronis testimoniis, vetustissimum esse auctorem et Aristotelis *γνώριμον*, quod vel discipulum vel familiarem interpretari licet: et, nisi plane *ἄσοχος* sim in conject-

(1) Vide p. 246. (2) Respicit Catulli Suffenum illum qui

*« Tam gaudet in se tamque se ipse miratur. »*

tando, affirmaverim hoc opusculum scriptum ante conflagrationem templi Ephesini; quod incendium contigit anno i olympiadis cvi, eodem anno ac die quo Alexander Macedo natus fuit.

De Marmorea Pyramidum incrustatione curiosa sane observatio tua est; conjectura autem verissima mihi videtur qua lapides postea sublatos et in alium usum conversos suspicaris: nimis enim securus, ne dicam supinus, auctor ille (1) fuisset, si tam clara in re tam turpiter errasset. Nam, etiam si demus ipsum nunquam penetrasse superiorem Ægyptum, habere certe potuit sua ab iis qui coram inspexerant; præsertim quum Græcis familiare admodum in Ægyptum iter fuerit, maxime iis qui exterorum usu sapientiam vel rerum humanarum peritiam sibi parare studebant: tum vero insana hæc barbarorum regum structura totum orbem ad spectandum pertrahiebat. Quis vero oredat mathematicum celeberrimum, qui hanc *πιθεὶς* artis ac professionis suæ scripsisse videtur, adeo fuisse incuriosum ut tam docto sæculo ea proderet de operibus toto orbe celeberrimis, in quibus imperitiæ a quovis coargui convincique potuisset? Neque mirabitur quis aut dubitabit detegi potuisse pyramides, quum tot præclara antiquitatis monumenta hic passim in Urbe, et jam olim et superiori sæculo, detecta videamus? Et vel solum Domitiani amphitheatrum exemplo esse poterit, quod cum barbaris Ægypti miraculis Martialis (2)

(1) Philo Byz. de VII Miraculis in Thes. Gronoviano t. VIII, p. 2259. Cf. omnius Leironnus in doctissimis de Dicuilo disquisitionibus p. 102 seq. (2) Lib. de Spectac. Epigr. 1.

jam olim comparavit : id latericum ferme ab una parte appareat , detracta exteriori illa lapidea facie et in alias usus conversa.

De fragmuento Græco in Matthæum inquiramus , et puto me pervestigaturum auctorem ; sunt enim sigma et *γαμπι-*  
*ουετη* satis manifesta , unde agnosci haud difficulter possit. Velle ut paulo liberior Vaticanorum codicum inspicien-  
dorum atque evolvendorum facultas nobis concederetur ,  
præsertim ubi per multos codices circumvolitandum. Neque  
tu ignorare potes quam duros ac difficiles in exhibendo  
custodes illi se præbeant ; tum vero jam non semel expertus  
est Bochardus (1) noster , etiam ubi tuo nomine petuit.

Excerpta illa de ponderibus et mensuris (2) nescio utrum magnopere tibi profuerint : sane Eusebiana illa sunt exigui momenti et protrita admodum. Magis proderunt , ni fallor , Heronis excerpta quæ mitto. Codex Mstus. pessima manu descriptus est , et notas *τιχνητας* habet atque abbreviaturas satis obscuras et intricatas quæ me a vertendo deterue-  
runt. Si quid tamen bonæ frugis in hisce latere existima-  
veris , hahebis integriora omnia ab illustr. archiepiscopo Tholosate (3) , in cuius bibliotheca exemplar optimum me vidisse memini , cùm Latina versione Jos. Auriæ , paratum editioni.

Sam. Petitum , ex quo Miscellanea et Varias Lectiones ejus vidi , summopere aestimare coepi. Habet ille magnam profundæ eruditioñis copiam , et judicio edecumato valet ; quod ego omnis doctrinæ condimentum , imo vitam et animam judico. Hactenus tamen morosissimi nostri cen-

(1) vulgo *Bouchard* : cf. p. 213. (2) Vide p. 245. (3) V. ibidem.

**sores neutrum opus**, nescio quam ob causam, publico usui fruendum permettere voluerunt; ita fit ut nulla in Italiam exemplaria inferantur. Atque ita se optimorum librorum usu, doctissimos autem homines merita laude ac fama privat.

Transeo ad alteram: hac enim nimis forte copiose postremæ tuæ respondi.

In Dionysio Byzantio investigando næ tu nimium laboris insumpsisti, et doleo profecto me tantum molestiæ importuno meo desiderio tibi exhibuisse. Nunc frustra consumpta opera, penitus periisse hunc auctorem existimo: nam eam in perquiendo diligentiam adhibuisti, ut,

*Si acum, credo, quereres,  
Acum invenisses, si appareret;*

( inquit servus ille comicus )

*tam diu  
Hominem inter vivos quæreramus mortuum:  
Nam invenissemus jam diu, si viveret (1).*

Idem ego de Dionysii nostri Ἀράνθῳ dixerim. Quocirca rogo ut pervestigare desinas, et quod video periisse perditum ducas. Sed tu, quæso, hac opportunitate indicem MSS. codicum illius bibliothecæ (2) nobis procura. Puto enim nonnulla istic latere quæ institutum nostrum adjuvare possint, quum Gillius (3) idem hoc studiorum genus,

(1) Plaut. Men. II, 1, 13. Vide supra p. 100, 244, 251, etc.

(2) Episcopi nempe Rutenensis: cf. p. 85, 270

(3) Vide p. 34, et adde Maltretum ap. Fabric. Bibl. Gr. t. VII, p. 55g.

iu quo ego labore, sedule excoluerit. Tum vero **opera tua**, quam in sphæricis scriptoribus procurandis **impendisti**, longe mihi gratissima est. Quam vellem ut, eorum loco, Theonis libros de locis mathematicis in Timæo Platonis nancisci potuissem! Proinde majorem in modum **rogo**, si res adhuc integra est, ut eos potius ab illustr. d. archiepiscopo (1) mihi procures: nihil mihi gratius aut studiis meis commodius accidere poterit: nunc enim totus sum in Iamblichō, ad cuius difficultem et abstrusam doctrinam eruendam hujusmodi manuductione in primis egeo. Si obtinuero, una cum Iamblichō eum producam.

Mitto Græcum exemplar Cyrilli (2) tam diu desideratum, quod bona fide ac diligentia curari publice interest, quoniam unicum hoc exemplar in Italia extet: curavi describi per amanuensem Græcæ linguæ satis peritum; sed codex ipse Ms. adeo inepte, insulse ac barbare scriptus erat ut nihil simile in omni vita me vidisse meminerim. Sed operæ premium est te universam hanc historiam penitissime cognoscere; ita facile judicabis quid factu opus sit, ne fides nostra sugilletur. Venit ante quadriennium Romam Societatis Jesu theologus Siculus (3), qui, quod rarum hic in illis Patribus, et Græcas literas callebat, et vetustos codices Græcos perquirebat. Is codicem pervetustum ex illa insula

(1) Tholosate scilicet. Cf. p. 233, 151.

(2) Vide p. 151.

(3) Hic adscriptam inveni, manu, ut videtur, Bulherii, hanc notulam, qua mea p. 151 stabilitur: « Scilicet Jo. B. Jattinus, qui « Cyrilli libros V et VI in Joannem Græce exaratos et in Chio in « sula repertos Romanam advexit. Vide Cornel. a Lapide Præfat. in « Joannis Evang. »

secum attulit, in quo describendo et transferendo diu multumque, sed frustra, insudaverat. Nam contextus Græcus vitiosissime scriptus erat, haud dubie ex dictantis ore, ab homine omnis græcismi plane ignaro, qui portentosam errorum orthographicorum segetem pulcherrimo operi offuderat, ita ut non nisi ab homine Græce doctissimo, imo *αὐτοχθόνι* aliquo restitui posset. Erat tum commodum in Urbe juvenis Germanus, qui literas Græcas satis scite pingebat, et meo ferme sumptu vivebat, eo quod in scribendis Græcis ac Latinis operam mihi commodaret. Huic jesuita thesaurum suum ostendit, et pretium honestum pollicetur, si codicem ad veras orthographiæ leges describere velit. Ille, spe lucelli, operam promptissimam addidit; sed mox inter errorum dumeta impeditus hærere cœpit. Ibi me accedit, rogatque ut consilio auxilioque juvem. Ego, quum unicum hoc in Europa exemplar extare certo crederem, et quum animo perpendarem quam ingens damnum ex codicis illius interitu ad rem christianam pervenire posset, tum etiam quod, ex specimine aliquo versionis Latinæ, bonum illum patrem tanto oneri imparem viderem, præsentissimum in re ancipi consilium cepi. Vivebat tum forte in Urbe sacerdos Græcus Coryræus, homo cum cætera doctus, tum vero et Græcae linguae et theologiæ peritissimus, et manu in primis promptius ad scribendum, sed in re admodum angusta et afflcta. Huic ego codicem describendum trado, et pensum quotidianum a Germano illo transscribi curo satis nitide pro patre illo jesuita: atque ita, aliquot septimanarum spatio, totum opus feliciter absolutum fuit; et jesuita paulo post codicem autographum una cum suo sibi exemplo in Siciliam iterum

asportavit, ut ibi versionem Latinam procuderet, tum etiam ut reliquos duos libros ~~ārædītōv~~ pervestigaret. Neque ille hactenus Romam rediit. Mihi autem exemplar ab homine illo Græco descriptum servavi, ut, oblata occasione, publici juris fieret. Habet historiam Cyrilli liberati, unde facile judicabis haudquaquam evulgandum quomodo in manus nostras pervenerit, ne fabulam nos faciant. Ego vero semper summo studio id cavi, ne qua re quemquam ex societate illa offendicerem, quæ causas particulares publicas facit, sed omni observantia et officiorum genere colo, eique non parum me debere profiteor. Proinde ex re et nostra et publica futurum existimo, ut exemplar hic ab amanuensi illo Germano redemptum dicamus, aut ut ex eminentissimi cardinalis nostri bibliotheca profectum credatur: sed utcumque credatur, pia fraus ea in re commissa est. Non deerunt homines eruditii qui in linguam Latinam transferant; præsertim quum nuper in Catena Græca a Corderio edita excerpta continua satis prolixia prodierint. Velim scire qua via exemplar nostrum ad illustriss. archiepiscopum curaveris, et quam sibi gratum id habuerit. Si Theonem ab se impetrari patiatur, mittam lubens alium aliquem codicem Græcum ~~ārīdāpov iōesātor~~; et si forte Græci scriptoris copia non suppetat, satis mihi habebo solam Latinam versionem fideliter transcriptam, Græca autem ex MSS. Vaticanis petam. Tu, quæso, hac quoque in re suadam atque auctoritatem tuam adhibere non graveris.

Ab eruditissimo Gassendo responsum expecto, et Gordū illius nodi, quem ex Procli Vita et anonymo Cosmographo

christiano (1) proposui, resolutionem (2). Sane, nisi ille lucem aliquam affulgeat, frustra spissas hasce tenebras discutere laboraverim. Nunc, ut aurem vellam, mitto alia quædam *Ἐπικούρεια* (3), in quæ forte legendo incidi. Plura habebit, ubi hæc ad institutum ejus facere intellexero. Tu memoriam nostri illi refrica, si forte exciderit.

De novo typographiæ invento, ubi prælum non vi brachii humani, sed aquæ beneficio movetur, non habeo quod scribam, quum novum illud artificium simul natum atque neglectum fuerit, eo quod hujus modi consiliis studiisque nunc vacare non liceat. Ipsum vero hoc artificium sive typographicæ artis compendium tale est, ut post ipsam artem inventam, vix quidquam rei literariæ utilius exco-gitatum fuerit; quod paucis tibi utcumque adumbrare conabor. Totum hoc instrumentum molæ asinariæ simile videtur. In medio, axis versatilis ad perpendicularum erigitur, circa quem fixus atque immobilis stat orbis, in modum lignei horizontis qui globos cosægraphicos circumambit, multis itidem suffultus pedibus, nisi quod hic multo major et latior. Orbi huic imponuntur formæ literarum ita compositæ, ut vulgo prælo supponi solent. Possunt autem imponi sex, vel octo, aut decem, aut plures etiam, eodem tempore, pro majori aut minori orbis illius capacitate. Singulis duabus aut tribus formis præficitur unus qui chartam imponat, vel impressam eximat, et atramento characterum formas inficiat, plane eodem modo ut vulgo in *τυπογραφίαις* fieri videmus. Interim impressionis munere

(1) Cosma indopleusta. (2) Vide p. 259. (3) Gassendius multum studii posuit in illustranda Epicuri doctrina.

fungitur cylindrus plumbeus, quem paxillo transverso infixum axis ille versatilis in gyrum, motu admodum æquabili et moderato, circumagit, ut pondere ac mole sua, ordine, omnes suppositas formas comprimat. Hunc pone sequuntur duo alii transversi paxilli, quorum alter transenam illam sive crucem ferream, cui charta imprimenda sufficitur, attollit ut folium impressum eximatur; alter, supposita iterum charta, formisque atramento illitis, eamdem claudit. Atque ita machina hæc, et præli ducendi atque remittendi, tum claudendæ atque aperiendæ formæ, laborem compendifacit. Tum vero, ubi in typographieis vulgaribus non nisi unum prælum a duobus trahitur, hic commode quatuor formæ ab uno eodemque tractantur. Accedit et hoc quod vulgaris ille excudendi modus varie peccet aut nigredine aut albedine nimia, pro ut is qui prælum ducit segnius fortiusve attrahit; hic vero, si atramentum commode suppetat, eodem semper modo res procedit. Vertitur autem volviturque axis ille medius rota aliqua inferiori, quæ aqua circumagit, more molarum quibus vulgo utimur. Cæterum et aquam pro magnitudine totius machinæ certa mensura admittere convenit: tum vero et cylindrus ille plumbeus certa proportione eidem machinæ respondeat, ne suppositam formam plus minusve justo comprimat; quæ ratio etiam vulgo in prælorum pondere observatur. Ego duas hujusmodi machinas vidi, alteram forma minori, ut S. Pontifici et eminentiss. cardinali nostro artis hujus specimen exhiberetur, quam facile quis una manu circumagebat; alteram majorem Brugiottus, typographus Rev. Cameræ, domi suæ ceperat, forma justa, sed et ipsam humana opera, non decidentis aquæ vi, cir-

cumagendam : ea postea , ut dixi , intermissa ac neglecta fuit. Auctor fuit juvenis Romanus , mechanicus insignis , Franc. Continus. Et placuit principio inventum hoc et S. Pontifici et emin. nostro patrono , qui consilium plane heroicum tum cepere de restituenda Vaticana typographia (1) , quum in adjunctis hortis magna suppetat aquæ copia et commoditas : sed mox idem consilium refrixit , et nunc plane jacet. Causam quæris ? Eadem illa , quæ tot bona incepta et cogitata hujus pontificatus subvertit , hoc quoque consilium hactenus impedivit ; summa ignorantia illorum qui præcipuis muneribus in Pontificis aula funguntur , hominum scilicet qui nec suam nec principum famam curant , qui literas non tantum non intelligunt , sed etiam oderunt , quique omnia post pecuniam ponunt. Hi principio , ubi quid a principibus probari vident , applaudunt ; mox , ubi rem perficiendam sibi commissam habent , inani spe aliquamdiu lactant urgentes , deinde fastidiose rejiciunt , aut ut ineptiarum architectos irrident ; præsertim ubi de rebus agitur quæ ad literas pertinent. Ego quum emin. cardinalē nostrum summo favore hoc negotium complecti viderem , suggesti de novis typis formandis , atque ultro hoc negotium in me suscepi. Atque hactenus mea pecunia unum characterem Latinum incidendum curavi , cuius specimen hisce adjunctum videbis. Nunc totus sum in charaktere Græco Regio imitando , quo Rob. Stephanus Philonem , Henricus Platonem , aliosque auctores Græcos edidere. Totus ille character literis nexibusque literarum ccclxx constat , ex quibus vix L nunc incidendi restant. Iis quoque absolutis , mittam specimen ad te , ut

(1) Vide p. 277.

dispicias quam bene nobis conatus noster successerit. Ut or  
hac in re opera aurifabri Germani, hominis mire ingeniosi  
atque elegantis, qui integro septennio Arabicos, Syriacos,  
Ægyptiacos, Ibericos et Armenicos characteres hic scul-  
psit in usum Congregationis Propagandæ Fidei, ut hic  
vocant. Rident hic multi incœptum, qui Regios charac-  
teres imitando mihi proposuerim : sed profecto si prin-  
cipum nostrorum favor artificis solertiam diligentiamque  
vel tantillum sublevaret, ausim hic promittere me vel  
æquaturum illorum elegantiam, vel sane quam proxime  
accessurum. Atque utinam fortunarum mearum angustia  
permitteret, ut literarum ~~errata~~ fundenda curare possem !  
ita mihi brevi restitutam hic typographiæ dignitatem pro-  
mitterem. Sed illicet, spero, characterum majestas atque  
elegantia emin. cardinalem nostrum, ut literarum formas  
flari fundique curet : quod si fiat, multa hic præclara  
opera edemus, unde solida ad literarum patronos redibit  
gloria.

Ego nunc totus sum in antiquis Romanorum Viis per-  
vestigandis, eamque ob causam maximam agri Suburbia-  
carii partem obequitavi. Vix dicere possim quam multa  
post Cluverium et Bergerium restent quæ longe exactio-  
rem diligentiam requirunt. Possem tibi largam observa-  
tionum copiam proponere circa Vias Flaminiam, Clodium,  
Cassiam et Amerinam, unde facile tibi foret de reliquis  
conjicere, si tua abuti patientia vellem. Multa quoque ob-  
servata habeo de Viis Inalpinis, quæ in Galliam vestram  
ducunt, de quibus prolixæ hic cum Dion. Boëssio (1)

(1) Vulgo *Boissieu*.

egi, qui Christianissimi Regis orator huc cum Crequo. venit : vix enim quemquam illorum locorum magis gnarum me vidisse memini. Abs te autem maximopere hoc contendō, ut Aureliæ Viæ ductum, a Ligurum finibus in Summa Alpe ad Rhodanum usque, diligenter mihi designare non graveris, appositis singulorum locorum nominibus et intervallis, per quæ veteris Viæ vestigia etiam nunc transeunt, notatis etiam exquisite locis illis ubi cippi vel milliares lapides, quorum Bergerius meminit, reperiuntur. Ita deinde haud difficile erit singula cum Antonino et Tabula Peutingeriana conferre, et verum accurate constituere. Avide nuper vestratē illum Quinqueranum (1) *de laudibus Provinciæ*, percurri; sed profecto χαῖρος η̄ επικόλαιος scriptor est et parum me juvit. — Sed ad Boëssium redeo. Is, ut liberrime me librisque meis utebatur, inter alia opuscula quæ legenda a me impetravit, Pletonis et Bessarionis epistolas et opuscula quædam Platonica sibi petiit, quæ in Anglia ex Regis bibliotheca olim descripseram. Ea autem petiit, quod aliud sibi in Galliis exemplar esse diceret; sed ante discessum haudquaquam mihi restituit. Erant scripta illa non quidem per se maximi momenti; sed, quum omnino Platonica diligenter hactenus conquisiverim, doleo sane me opusculis istis privatum. Puto tamen, si moneretur, restitutum haud difficulter, præsertim quum credam ipsum haudquaquam studio ea secum abstulisse, sed delitusse forte inter alia ejus scripta et inquirentis oculos subterfugisse. Si ulla tibi scribendi occasio suppetit, salutes, quæso, perhumaniter a me humanissimum

(1) Lege « Quiqueranum » : vulgo *Quiqueran*.

et eruditissimum virum; tum vero exemplar **Satyri**, Θεομήνιος scriptoris, ab ipso mihi impetes. Affirmavit enim mil i se Græce et Latine ejus nominis scriptorem, mihi hactenus nec fando nec legendo cognitum, edidisse. Nam et ille auctor, quicumque tandem fuerit et cujuscumque sit notæ, studia mea haud parum juvare poterit. Ego invicem palmariam illi correctionem poematis Ovidiani in Ibin (1) de meo reponam. Tu, quæso, hoc operam da ut Platonica illa mea ad me redeant.

De Suaresii nostri promotione (2) tecum gaudeo. Nescio quando novus ille pastor ad gregem suum sit discessurus. Puto sic inescatum deliciis urbanis et spe aulica, ut ægre hinc divelli possit. Eum ita colo, ut nihil a me desiderari amplius posse existimem. Adhibuit me censorem literarum pastoralium, atque omnia meo judicio permisit. Ex ipso transitu aulæ nostræ ingenium cognosces. De successore ejus in munere bibliothecarii puto te ex aliis cognovisse. Enixe ambiebat hunc locum Claudius quidam Burgundus συρματοφόρος (3), qui superiori anno plane ἀναλφαβητός, nunc, post prima elementa feliciter percepta, reliqua illa jesuitarum tinctura dealbatur. Huic socius destinatur Venetus quidam ex Istria, leguleius Accursianus purus putus, ætate jam provectior, homo cuivis potius muneri aptus quam huic librario; unam habet virtutem insignem, blande admodum adulari, capite in alterutrum humerum detorto. Sed gustum hominis tibi præbebit nuperum ejus colloquium cum illustriss. equite *del Pozzo*, me præsente,

(1) Hoc poema egregio commentario Boessius illustravit.

(2) Cf. p. 259. (3) Vulgo *Caudataire*.

**habitum.** Pertendebat inter alia satis tenaciter artem typographicam jam Longobardorum tempore, hoc est, ante nongentos annos, fuisse. Deinde ingenue fatebatur se ne verbum quidem illius exoletæ scripturæ, qualis in exoletis codicibus MSS. extat, legere posse, et mirabatur homines sane ineptos et male feriatos reperiri, qui, post inventam typographiam, velint inspicere et contrectare fumosos illos et sordidos manuscripts. Ecce tibi Hœschelios, Gruteros, Heinsios et Rigaltios nostros, vel Junios. Mihi religio esset contra hujus modi mortales petere; neque quisquam sanus mihi hoc consilium suggesserit, qui norit quibuscum ingenij conflictemur, et quam delicati ac fastidiosi stomachi sint quibus studium atque operam nostram probare cogimur. Sane Suaresium non semel trimuli instar pueri plorantem vidi, neque Attalicas conditiones mihi promitti velim, ut, mancipii instar, probris me exagitari sinam. Tum vero non sine magna temporis ac studiorum jactura id munus exerceri potest. Ego vero cum Æsopico illo lupo (1)

*Rex esse nolim, liber ut non sim mihi.*

Ridebis, scio, et parum me ex aulæ ingenio consilia mea instituere dices. Sed quid faciam? ita me natum sentio et frustra ingenio meo oblectarer. Nam profecto in omni vitæ genere illud medicorum principis locum habet: τῆς φύσεως ἀντιπαττούσης, κατὰ πάττα.

Ecce tibi, perillustris domine, longi silentii vindicem longiorem epistolam; brevem tamen, si affectum meum

(1) Ap. Phœdrum III, fab. 7, vulgo « Regnare nolo. »

multo prolixiorem cogites. Vale, et me, quod facis, ama.  
Romæ, postridie idus februarii MDCXXXIV.

## CIV.

\* CL. V. H. DORMALIO L. HOLSTENIUS (1)

*χαιρετινή καὶ εὐ πράττειν.*

TIBI vero, mi Dormali, quantum video, serio propositum est silentii mei pertinaciam omnibus machinis expugnare, et profecto inhumanum pectus fuerit, quod tam validus et vehemens affectus non penetret. Id gaudeo quod meum affectum ex silentio non metiaris, sed ex veteri nostro et confirmato amore, quem virtus et eruditio tua meo in pectore πρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσις ἄλοι; (2), atque ita quidem, ut haudquaquam verear ne ἀπρόσηγορίᾳ solvatur. Proinde longioris silentii confidentiam ambitiosa excusatione apud te purgare velle, id vero esset in amicitiam ipsam gravissime peccare. Tu ingenium meum usu domestico perspexisti, nec ignoras me, sive natura, sive negligentia quadam mea, a scribendo abhorrere. Si quid tamen a me peccatum existimaveris, patieris, spero, crebrioribus tibi literis et diligentiori officio satisfieri, ea tamen lege, ut et tu de studiis et re literaria rescribas, neque,

(1) Bis exstat in codice; priori vice cum hoc titulo: « ad Dormalium canonicum collegiatæ ecclesiæ S. Petri Leodiensis; Leodii. » Altera, cum hoc lemmate: « ejusd. Holstenii ad H. Dormalium, canonicum ad S. Petrum; Leodii. » De Dormalio vide p. 250.

(2) Ex Pindaro Pyth. IV, 125.

ut facis, breves et tralaticias epistolas mittas. De meis rebus nihil ferme est quod significem; nam fortunæ meæ iisdem fere angustiis adhuc inclusæ sunt, quibus, tum quum nobis adesses, collectabantur: neque id sane absque mea culpa, qui potiorem scientiæ et doctrinæ quam rei faciendæ curam semper gessi, neque hactenus animum inducere potui, ut superciliosis istis, qui aliorum fortunas temperant, se servili adulatio[n]e submitteret; vestrates illos dico, qui Pandoræ arcæ præsunt et ex Jovis doliiis bona ac mala pro libitu distribuunt. Verum tamen, ne jure conqueri aut cùm Fortuna expostulare possim, emin. patroni mei benignitas fecit; neque sane malo loco res meæ forent, nisi communis patriæ calamitas ipsas quoque afflixisset. Nunc versa rerum facies; et continuæ Seren. Regis victoriæ in meliorem spem nos erigunt. Studia eadem quæ olim me occupant; vetus, inquam, et exoleta Pythagoræ, Platonis, aliorumque philosophia; tum geographiæ veteris restaurandæ conatus: sed tardo molimine res procedit, inter urbis et aulæ negotia; tum vero adeo vastum est hoc mare, ut nuspiam littus vel portūm prospiciam, et navis, quæ solius ingenii remigio propelli nequit, paulo vehementiorem faventis auræ opem requirere videtur. Habeo satis amplam bonorum librorum supellectilem, et omnia adjumenta a mortuis istis magistris mihi suppetunt, ne inexorabiles illos bibliothecarum custodes assiduis precibus fatigare cogar; nisi quod subinde rariora quædam exscribenda euro. Sunt penes me Procli, Damascii, Hermitæ, Olympiodori, Herennii et Iamblichi Platonica et Pythagorica omnia, partim ab illustriss. d. Peirescio dono mihi missa, partim ex Vaticano thesauro

deprompta. Hieroclem totum emendavi ex MSS., et versionem Curterianam diligenter recognovi. Iamblichī duos priores libros ab Arcerio editos ( si tamen editionis *nomen* infelix iste abortus meretur ) de novo transtuli : posterioribus duobus necdum manum adūtere ausus sui , quamvis duas ex Vaticano Latinas versiones MSS. habeam , sed ita ineptas et insulsas ut nuspiciam sensum assequantur vel exprimant. Neque minoris operæ fuerit alius ejusdem Iamblichī liber de Ægyptiorum theologia sive mysteriis , cuius ego optimum Ms. Gracum exemplar et diligentissime erudita manu scriptum penes me habeo. Superiori anno descripsit mihi Græcus quidam juvenis Nicomachi Arithmeticam cum locupletissimo Joannis Philoponi commentario , qui mihi in primis ad quartum Iamblichī librum proderit. Habui etiam veterem versionem Latinam Στοιχεῖας θεολογικῆς Procli , paulo quidem rudiorem et μηδέ βάρβαρος pro saeculi illius more , magni tamen usus ad subtilissimi operis mentem recte percipiendam , præsertim cum interpres , D. Thomæ σύγχρονος , suis demonstrationibus singulas propositiones illustret. Sed longum foret singula commemorare. Quam vellem , mi Dormali , ut tecum philosophari et conferre de singulis liceret ! Sed tu qui amoeniores Musas sectaris et poetarum flores , hasce spinas forte rideas. Vidi enim quam tu Callimachi doctas elegantias et veneres in tuis elegiis feliciter exprimas ;

*Nobis non licet esse tam disertis (1).*

Cuperem profecto aptiorem aliquem locum tibi obtingere

(1) Martial. IX, 12.

ubi doctrina tua in publica hominum luce emicare posset,  
et susurrarunt nescio quid de vocatione Lovaniensi ad  
Græcarum literarum professionem. Sane magno ornamento  
Academiæ isti te futurum existimo , nec leve operæ pretium  
facturum in juventute illa omnis elegantioris doctrinæ stu-  
diosissima. Tu , quæso , quid consilii ceperis quam primum  
significa , neque Fortunam ultra sese offerentem irreverenter  
habe (1). Tum et hoc præscribe quid Wœstenradius , quid  
cæteri docti viri apud vos in studiis moliantur ; ego vicis-  
sim ne quid de meis rebus studiisque ignores operam dabo.  
Salutem d. Wœstenradio amicissimam a me nuntia , et  
vale. Romæ , MDCXXXIV. III idus novembr.

## CV.

\* V. CL. H. DORMALIO L. HOLSTENIUS

*χαιρειν καὶ εὐπάττειν.*

Leodium.

PRIORES meas recte tibi traditas existimo , optime et  
amicissime Dormali; et si quid longioris silentii culpa ani-  
mum tuum offenderim , id te , pro amicitia nostra , aulæ  
negotiis studiisque occupato condonasse spero. Nunc no-  
vam scribendi materiem et versus tui sive adventoria Ser.  
Hispaniæ Principi scripta , et sermo cum amico illo tuo (2)  
habitus , mihi suggessit. De versibus plauderem tibi , si  
plausum vanum vel tua requireret eruditio , vel mea inge-  
nuitas dare soleret. Ut libere dicam , sunt probi *καὶ ἀπόχαιρου*

(1) Ausonius Epigr. 8. « Fortunam reverenter habe.... »

(2) Forte Omalio , de quo Epist. seq.

*χράματος* (1), si in propriis nominibus antiquitatis potius rationem quam vulgi usum sequereris. Quod amicus ille tuus retulit, te de reditu ad nos cogitare, id vero longe mihi gratissimum fuit; et omnino consilium tuum probo, qui doctrinam tuam in hoc potius orbis theatro elucescere velis, quam illic in privato otio delitescere. Quocirca, si ita fixum animo sedet, moneo omnino ac hortor ut nos quam primum reditu tuo bees, quibus dulcissimæ conversationis tuæ recordatio quotidie obversatur. Id puto satis superque te perspexisse, nullum locum esse ubi major proficiendi occasio se offerat, quam in hac urbe, iis praesertim qui Græcas literas sectantur. Meus in te animus idem est qui fuit, eritque semper, hoc est, tibi omnino addictissimus. Patebunt etiam cum animo ædes; et quidquid penes me est librorum tibi tuisque usibus offero. Et profecto commodissimus nobis hoc tempore advenires, quibus de τυπογραφίᾳ instituendo sedulo agimus; et jam regium characterem, tot præstantium librorum editione insignem, exprimi curavi (2), successu sane felicissimo; et magna agitamus consilia de studiis Græcis in Urbe restituendis, qua in re magnus tui usus esse possit. Vaticani thesauri paulo nunc liberius mihi patent, et deprompsi inde multa haud contemnenda. Nunc totus sum in S. Anastasii Sinaïtae (3) operibus concinnandis, quoram spem dudum feci Parisiensibus typographis. Petierunt nuper a me Elzevirii, ut Procopii Historiam cum Vaticano codice conferrem, cum cl. Heinsius novam et insignem editio-

(1) Unum ex apographis, nam et duo hujus sunt in codice, exhibet, « et ἀρχαῖον χράματος. »

(2) Vide p. 477. (3) Vide p. 502.

nem moliatur : ego omnino ipsis morem geram, ubi docti  
alicujus viri copia erit, quo ἀπαντήσῃ utar. Tu, quæso,  
ad nos redditum matura, ut in hisce nobiscum publica  
commoda promoveas. Ego, qui jam paulo propius emin.  
patronum ac herum meum accedo, meam tibi operam  
spondeo in tuis quoque fortunis promovendis, ubi occasio  
se dederit. Vale, amicissime Dormali, et tui amore, qui  
semel πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς mihi penetravit, perpetuo  
firmum fixumque hæsurum certo tibi persuaderet Romæ,  
a. d. ix decembr. MDXXXIV.

## CVI.

## \* DORMALIO.

DE redditu in Italiam mentem tibi in dubio fluctuare  
video; idque cum literæ tuæ, tum Omalii sermones mihi  
indicant. Ego quid tibi consulam æque dubius juxta tecum  
hæreo. Puto enim te jam cognovisse. ex amicorum literis  
quæ edicta S. Pontifex nuper publice proposuerit, de resi-  
dentialia eorum qui ecclesiastica beneficia obtinent. Causam  
hujus edicti scribere non adtinet; id doleo in hæc incidisse  
tempora, quibus te quam maxime videre et complecti cu-  
perem. Scis leges istius modi fere ἐφημέρουs aut menstruas  
esse; quæ quanto sunt rigidiores, eo citius vim viresque  
amittunt. Id tibi affirmare possum, emin. cardinalem no-  
strum speciatim de me locutum S. Pontifici, ne quid mihi (1)  
molestiæ constitutio ista facesseret. Proinde videbis quid

(1) Canonicus enim ecclesiarum erat Cameracensis et Coloniensis :  
vide p. 256.

de tuo itinere statuere velis. Si fixum animo tuo sedet Romam repetere, poteris eamdem religere viam, quam, quum hinc in patriam proficisci bare; scilicet, per Provinciam et Aquas Sextias, ubi illustriss. d. Peirescii ædes animusque tibi patebunt, cuius benignitatem et profusissimam humanitatem, quum tu coram expertus sis et re ipsa degustaveris, ego verbis non prædico. Iстic hærere poteris per mensem junium (1) aut alterum, et tempus bonis studiis, honesta et jucundissima occupatione, conterere, donec primus illa novæ legis impetus defervescat. Tu quid e re tua futurum sit accuratius cogitabis. Meæ ædes et bibliotheca tibi patebunt æque ac antea; et ut studia, ita sortem ac fortunam communem mecum habebis. Vale. Romæ, mdcxxxv. A. d. x martii.

## CVII.

\* AL PADRE DON CHRISTOFORO PUTEANO (2)  
CARTUSINO,

REV. SIG. E PADRE,

V. S. mi farà favore d'informarsi da i signori suoi fratelli, se per sorte si trovassero in Francia alcune Vite de Pontefici Romani scritte d'autori antichi e synchroni, delle quali io mi potessi servire per la mia fatica, la quale io ho per le mani, di mettere insieme e mandare alla luce tutte le scritture antiche e autentiche, che concernino l'istoria dei Pontefici. Principalmente vorrei sapere donde

(1) Forte « unum a pro « junium. » (2) Vulgo *Du Puy*; cf. p. 464.

sia cavata quella Vita di S. Leone ix scritta da Wiperto , e stampata per il sign. Cramoisy , e chi fù il P. Sirmondo sia quello che l'abbia fatto stampare (1); et se si trovino altre Vite scritte in quel modo , come sarebbe quella di Silvestro ii , et altri Pontefici di quel tempo et anco più bassi , principalmente quelli che furono di nazione Francesi. Non dubito che il sign. Quercetano (2) et altri abbiano molte cose appresso di se , che possino servire a questo proposito. Io riceverei favore particolare , se io potessi ottenere qualche lista o catalogo di tutto quello che si trova , tanto nella libraria publica del Re Christianissimo , quanto nelle altre de particolari. Et a V. P. Rev. baccio le mani con ogni vero affetto , come servitore devotissimo et obligatissimo LUCA HOLSTENIO.

Roma , 6 marzo 1636.

## CVIII.

### \* PEIRESCIO.

Aquas Sextias.

FREQUENS mea et longa superiori anno ab Urbe absentia , tum vero continua in xysto Vaticano (3) restaurando occupatio , et secutus inde morbus qui me totam fere aestatem præteritam misere afflixit , officia debitæ erga te observantiae et literarum commercia non dicam impedierunt ,

(1) Forte legendum : « E chi fù ; e se il P. S. »

(2) Vulgo *André Duchesne*.

(3) Vide p. 274.

sed disruperunt penitus; quamvis ego *interea* temporis nullam apud communes amicos tui colendi occasionem prætermiserim. Tu, pro tua humanitate, longæ *ἀποτυπίας* culpam, frequentiori literarum officio in posterum me emendare patieris. Nunc vero *tanta undique* scribendi materies offunditur, ut quid primum aut *potissimum* scribam vix iuveniam. Sed prius tibi aliquam studiorum meorum rationem reddam; quod tu *longi temporis interusa-* rum accipies.

Quum Vaticani ambulacri restauratio *mihi* committetur a S. Pontifice, necessitas mihi *quædam* imposta *nī*-debatur inquirendi accuratius in Italiæ antiquitates, et præsertim Suburbicariarum Provinciarum, quæ *coreculum* Italiæ et antiquitatum *ταρπίων* semper fuere. Hic quum usu ipso cognoscerem quam multa, etiam post *Cluveriam*, in tenebris lateant, quumque multa indicata potius ab eodem Cluverio quam explicata fuerint, cœpi *me ad ac-* curatiorem pervestigationem totum accingere, ut antiquitatem non tam parietinis et ruderibus obrutam, quam hominum incuria et inscitia oppressam, et tenebris sepul- tam, ad memoriam revocarem, et luce aliqua perfunde- rem. Quumque hoc studiorum genus, præter auctorum cognitionem, *αὐτοπτικὴν πίστιν* requirat, cœpi subinde in vicinas provincias excurrere, et oculis omnia lustrare, inquirere a singulis, et nihil non pervestigare quod ad veri cubilia me perducere posse existimabam. Ita sensim Tusciā Suburbicariam, sive Patrimonium, ut nunc vo- cant, Umbriam, Sabinos, Marsos, Æquicolas, Hernicos, Latium denique universum diligentissime lustravi: cuius sane laboris me non pœnitet. Congessi enim *magnam*

emendationum et observationum sylvam ad Cluverium, cuius opus, in particulas discissum, ita attemperavi, ut singulas partes in risco commode circumferam. Cæterum, ad pervestigandum eo certius locorum situs, itinerariorum veterum ductus potissimum secutus sum; quæ, ut mihi facem in hisce tenebris præluxerunt, ita a meis observationibus magnam vicissim lucem aliquando accipient. Et, ut mihi satisfacerem, Vias antiquas earumque divertigia non lustravi tantum, sed decempeda dimetiendas curavi, et tabulis accurate depictas exprimi. Hæc præludia sunt operis integri, quod nunc molior, *de Viis publicis et antiquitatibus Agræ Suburbicarii*, quo et meas observationes complectar, et Cluverii vel errata vel omissa ordine prosequar. Hac enim ratione etiam agri suburbicarii fines egredi licebit, et Viarum publicarum ductu in cæteras quoque Italæ provincias excurrere. Præter hunc lustrandi laborem, nullam non ab aliis perquirendi occasionem sum amplexus; qua in re multum me adjuvit emin. cardinalis nostri auctoritas apud episcopos, qui ex singulis provinciis quotidie ad Urbem et Apostolorum limina ventitant, quorum opera multa mihi cognoscere licuit. Perquisivi præterea quicquid est memoriarum veterum et sacrarum donationum, unde vix dici potest quantum profecerim. Conquisivi etiam doctorum virorum libros et scripta, qua edita, qua inedita, qui in hoc genere aliquid elaborarunt, quorum multa tibi commemorare possem; sed, speciminis loco, nunc tibi nominabo, Marianum Victorium, episcopum Reatinum, D. Hieronymi operibus editis clarum, cuius iv libros *de Reatinis antiquitatibus* ex ejus civitatis archivo, seu tabellario, nactus sum; quorum duobus prioribus om-

nium priscorum Italiæ incolarum originem docte et luculentè exsequitur; tertio, universi Sabiuorum agri, quarto tandem Reatinorum antiquitates complectitur. Hujus generis opuscula adeo larga segete mihi sub manibus succrevere, ut, si edendi animus vel occasio esset, unum et alterum volumen conficerent. Quam vellem ut tibi coram singula exhibere, tuoque accuratissimo in hisce judicio utiliceret!

Cætera studia quod attinet, Græcis adhuc philosophis inhæresco. Iamblichum ad umbilicum perduxì; cæterosque fere omnes Pythagoreos, Platonicos et Stoïcos, qui de morali philosophia scripsere, recensui. Habui præterea ex Vaticana bibliotheca insignem collectionem similitudinum et sententiarum Pythagoreorum nescio cuius Demophili (1), auctoris, ut existimo, non postremæ vetustatis, cuius beneficio multa mihi in libello illo Latino Xysti Pythagorei (2), restituere licuit, hactenus male intellecta. Habui etiam Democratis (2) philosophi *aureas sententias*, quarum nonnullæ sub Democriti nomine apud Stobæum leguntur; sed maxima pars hactenus lucem non vidit. Exemplar Græcum ex Epiro ad emin. cardinalem nostrum missum fuit. Hæc ego jam editioni parata apud me servo, et submittam subiude Elzeviriis, qui editionem se curatores promittunt. Commoratur hic nunc apud nos Ludovicus ipsorum nepos, brevi ad suos reversurus. (3). Is Procopium Græcum Hœschelianum secum deferet, egregie ad Vaticanos codices collatum, et quam plurimis ingenib[us] lacunis suppletum, unde nova adornabitur editio,

(1) Vide p. 302. (2) Vide p. 262. (3) Vide p. 262.

cum Vulcanii versione , cuius recensionem D. Heinsius in se recepit. Adjungent etiam Ἀνέκδοτα , infamem illam in Justinianum et Theodoram satiram. Rogavi ne inclementer dicant scribantve aliquid in Alemannum (1) , qui consilii sui haud satis consulti poenas Rivio (1) aliisque jam persolvit. Quin monui ut si quid improbent id expungant potius in ejus notis , quam sugillent; ne malam gratiam Vaticanæ bibliothecæ retulisse videantur , cuius ope juvari voluerunt ; atque ita , spero , emollient τὴν τῶν βιβλίοφυλάκεων σκληρότυπα .

Nunc totus sum in colligendis Vitis Pontificum Romanorum. Tu vero post Ciacconium , Panvinium , Platinam , Pontificum Vitas colligis! inquieres. Ecquod spicilegium post tantam messem ? Ego vero messem integrum et intactum superesse existimo; imo hæc , novæ editionis causa , quod nihil aut parum ab hisce præstitum omnino existimem. Sed tu hujus quoque consilii rationem accipe , unde pér te cognoscere poteris quam ego , vel potius ecclesia Dei , tua aliorumque sacræ antiquitatis promorum condorum opera egeat.

Quum emin. cardinalis noster , pro maximo erga studia ecclesiastica affectu , sæpius de Anastasio Bibliothecario mecum loqueretur , et de auctoris , si non optimi , sane utilissimi et plane necessarii , conquereretur obscuritate , cœpi mirari cur tot docti viri , qui sacram hanc antiquitatem tractarunt , centones potius consuere , aut novum pannum de suo detexere , quam veterem hanc purpuram restaurare et illustrare maluerint. Hinc mihi novi laboris

(1) Vide p. 267.

consilium subnatum de emendando et illustrando **Aza-**  
**stasio**; inde mox aliud subortum de conquirendis **omnibus**  
 antiquis monumentis, quæ ad hanc ecclesiasticæ historiæ  
 partem spectant. Atque adeo, vix firmato consilio, ubi  
 inquirere cœpi, obtulit se ingens rerum copia, acta sci-  
 licet omnium ferme primorum Pontificum et **Martyria**,  
 quæ in MSS. hinc inde latent, tum etiam nonnullarum  
 Vitæ satis prolixæ ab antiquis auctoribus scriptæ. Itaque  
 ut manum operi admovere cœpi, vix trium mensium  
 spatio ingentem coacervavi novi operis materiem. Sup-  
 peditarunt etiam ultro amici exemplaria MS. sane lucu-  
 lenta Pandolfi Pisani, Martini Poloni, Bernardi Guidonis,  
 Ptolemai Lucensis, præter ea quæ in immenso illo penu-  
 Vaticano latent. Sane mirari satis non possum voluisse  
 hactenus **βιογράφους** illos recentiores sua potius obtundere,  
 quam tot egregia monumenta in lucem protrahere. Sed  
 hac de re prolixius præscribam, ut si quid, vel abs te,  
 vel ab amicis, suppeditare possis, accurate cognoscas  
 quid meam in rem sit futurum.

Atque hæc quidem de meis studiis in quibus nunc ver-  
 sor; quæ quidem ego, quantum possum, emin. principis  
 mei ingenio ac voluntati attemporo, quando quidem ille  
 mea nunc in studiis opera atque ὀπουργίᾳ utilitur, cuius  
 ego summam in me benevolentiam et affectum verbis tibi  
 satis explicare non possum. Mibi vero quum aures ejus  
 animusque interiori admissione nunc pateant, unum hoc  
 ago ut optima de literis et literatis promoveudis fovendisque  
 consilia instillem. Quumque ipse nunc serio studia Græca  
 tractet, meo potissimum consilio, 'academiam (1) linguae

(1) Basiliānam academiam, de qua p. 268.

Græcæ exercitiis et Græcanicis ecclesiæ antiquitatibus pertractandis instituit : quibus quum ipse frequens intersit, vehementer omnium ingenia ad hæc studia excolenda excitat. Tum vero totus nunc est in eo ut doctorum virorum labores lucem aspiciant, quos diligenter undique conquiri curat, et propediem te specimen aliquod visurum spero.

Patris Kircheri grammatica Ægyptiaca nunc sub prælo sudat ; quin imo friget verius dixerim, ob solitam typographorum tarditatem, præsertim in novo hoc et incognito hactenus studiorum genere. Sane æterno sibi beneficio orbem terrarum devinciet ob depulsas tandem palpabiles illas Ægypti tenebras. Ejus vero beneficii pars maxima tibi accepto referenda, cujus consilio et auctoritate eminentissimus cardinalis noster editionem in se suscepit. Vidi quæ de hieroglyphica Ægyptiorum doctrina commentatur, nec satis mirari possum felix ingenii acumen, quod natura ipsa ad hæc studia finxit. Neque quisquam hactenus ex omni doctorum turba tam oculatus fuit in hisce perspicciendis. Scripsit Explicationem Obelisci Barberini, quam te vidisse existimo, quæque una cum grammatica Coptica lucem, ni fallor, videbit; quam ego adeo certam existimo, ut certius nihil a quoquam scribi dicive potuerit unquam; ita omnia cum veteri ejus gentis sapientia convenient, cujus vestigia et ζαρυπα quædam Iamblichus aliisque nobis conservaverunt. Tu, quod facis, studia ipsius sedulo favere perge.

Obtulit nudius tertius mercator quidam Maronita emin. cardinali nostro codicem Evangeliorum Chaldaicum adeo venerandæ vetustatis ut cum Virgilio Vaticano conferri posse omnino existimem. Codex scriptus est literis majus-

culis, circa trecentesimum Christi annum, **Babyloniae** in Mesopotamia, ut in calce annotatum legitur; in cuius margine passim voces Græcae difficiliores annotantur, vel quæ peregrinum et difficile quid habent, ut **KHNCON**, ΣΤΑΤΗΡΑ, ΠΡΑΙΤΟΡΙΟΝ, et similes. Attulit idem et Oriente duas cistas librorum Syriacorum et Arabicorum, quas ex Liburno Pisanorum portu quotidie expectat. Inter alios codices Historiam **Ægyptiacam** (1) vetustam esse ait, quam P. Kircherus effictum una mecum expectat.

Misi nuper epistolam Gasparis Berti Italicam, qua ille, jussu em. cardinalis nostri, diligenter perscripsit de observationibus eclipsium, quæ tu scire desiderabas. Bertus ille singulari mihi amicitia conjunctus est; vir peritissimus rerum mathematicarum, scrupulosæ *ἀκριβείας*, adeo ut majorem in hisce diligentiam præstare possit nemo; idem *αὐτούργης* et valde *μηχανικής*, in mathematicis instrumentis conficiendis exquisitissimus: et quum nemo sit, qui non singularem miretur doctrinam, tum verò modestiam ipsius mirantur omnium maxime; homo plane factus ad genium et gustum tuum, si qua porro in re ejus opera uti volueris. Vidimus heri una novam sphæram Copernicianam ex Hollandia ad Urbem allatam, non sine admiratione et singulari voluptate, ob magnam hypothesis facilitatem et simplicitatem. Censores nostri nihil quidquam difficultatis moverunt in usu ejus permittendo, contra omnium opinionem.

De ecclesia S. Urbani et antiquitatibus ibidem repertis emin. cardinalis perscripsit. Scrupulum mihi haud exiguum movit, quid sibi velit illud: ΕΣΤΙΑΙ ΔΙΟΝΤΣΟΥ. Quid enim Vestæ et Baccho? aut quænam illa Vesta

(1) Vide p. 271.

**Bacchi?** Ara illa reperta fuit in ostio cryptæ subterraneæ antiqui operis, cujusmodi et ipsa est ecclesia. Fuit enim templum, priusquam in christianorum usum convertere-tur, ut ex antiquis elegantissimisque figuris apparet gypsai operis, quæ in suprema fornice conspiciuntur. Figuræ illæ muliebres sunt, quarum altera duas aves, anseres puto vel anates, pedibus colligatis, deorsum capite pendentes; altera unam dexteram insidentem gestat. In ima forniciis parte vestigia trophyorum et armorum egregia conspi-ciuntur. Crypta, quam dixi, in superiori ecclesiæ parte est, cui altare præcipuum insistit. Supra cryptam aliis est locus cavus, in quo SS. Urbani, Cæciliæ, Tiburtii, aliorumque corpora reposita jam olim fuere: Acta S. Urbani cœnaculum superius appellant. Ara autem illa basis loco altari supposita fuisse videtur in eadem crypta, super quam imago vetustissima B. Virginis extat, picta, quantum exi-stimo, tempore Leonis III. Hunc enim Pontificem ecclesiæ illam restaurasse legimus; unde conjicio aram illam olim in ipsa crypta positam fuisse loco illo subterraneo. Porro ecclesia illa de propinquo imminet fonti maximo, quam olim Camœnis sacrum fuisse credo. Tegitur enim fornice maxima antiqui Romani operis, cui aehuc impo-sita cernitur figura Nymphæ, quam Egeriam esse facile adducar ut credam, cum qua Numa hoc in antro congres-sus dicitur. Circumcirca magna eruuntur antiquitatis ve-stigia, et transibat prope templum hoc Via antiqua, silicibus strata, quæ ex Latina in Appiam incidebat ad Secundum Lapidem. Nec dubito quin sub ecclesia illa cœmeterium antiquum fuerit, quod alii Tiburtii, alii Valeriani appellant. Quumque multa hinc inde antra et fo-

ramina subterranea dehiscere deprehendisse, immis homines peritos, qui per vestigarent et tentarent si qua aditus in cœmeterium pateret. Sed illi, lustratis omnibus me præsente, affirmarunt hæc spiracula esse aquæductus subterranei quo aqua a fonte, quem dixi, in lucum Camœnarum perducta jam olim fuit.

Neque dubito quiu emin. cardinalis noster et d. Ménes-trier perscripserint de vasculo illo pretiosissimo reperto ad sepulcrum S. Felicis Martyris, in cœmeterio S. Calixti, quo ego nihil præstantius me vidisse memini, sive gemmæ magnitudinem et pretium, sive exactum sculptoris artificium spectes. Repletum est sanguine martyris illius, qui in cineres aut terram fuscam conversus videtur. Ego quum, jussu dom. cardinalis, descendissem in cœmeterium illud, ut coram lucum inspicerem, deprehendi multa loco eodem præcipuorum virorum sepulcra, notis quibusdam peculiariibus insignita, quos quidem una eademque persecutio ne interemptos non dubito. Operæ pretium erit vasculi illius figuram accurate expressam ad te mitti.

Nuper quoque aliud cœmeterium forte fortuna apertum fuit, hactenus incognitum, haud longe extra Portam Latinam, quod ego S. Nemesii existimo, cuius extat mentio in Actis MSS. S. Stephani PP. Ubi ingressus lustravero, quod quidem brevi fiet, diligentius ad te perscribam. — Sed quum hic sermo inciderit, addam et hoc : repertum a me cœmeterium quoddam S. Hilarii ad xxx Lapidem, in Via Lavicana, eo loco qui ad Bivium olim appellabatur, ubi Lavicana et Latina Via coëunt; quem locum Tabula Peutingeriana magnæ alicujus civitatis nota exprimit, mirante Cluverio. At ipse mirari desii, ubi tam

insigne sacre antiquitatis monumentum hoc loco deprehendi.

Sed quid nos inter mortuos hæremus diutius? Vivos tibi commemorabo viros aliquot doctos, quibus nunc in Urbe fruimur. Dagit hic in Urbe Vinc. Noguera, nobilis Lusitanus, vir summe doctus Hebræas, Græcas et Latinas literas, Pinciano, Suritæ, Vivæ, Ciacconio, Nunnesio comparandus (1) Nihil vidi humanius, nihil suavius hoc homine; unde non mirer male ipsi convenire cum superciliosa natione. Ridemus subinde ineptias gentis illius, quæ Flavios Dextros (2) et Julianos Toletanos (3), sinistro auspicio et plumbeo plane judicio, supponit. Est enim homo serio doctus et plane Ἀττικοῦ μυκτῆρος, cardinali nostro longe gratissimus. Commigrarunt etiam Neapoli ad nos P. Lasiena (4) et d. Donatus, qui nunc literarum laude hic florent. P. Lasiena egregium scripsit εἰσ-  
tatum (5) *de iis qui in aquis moriuntur*, plenum reconditissimæ eruditionis. Habuit etiam dissertationes (6) aliquot *de Lingua Hell-nistica LXX interpretum* et *N. T.* Sed prior ille libellus brevi lucem videbit.

Elzevirius nihil ad nos novi ex Belgio detulit. Videntur et hic Musæ inter armorum strepitum obticuisse. Nuntiant tamen Ordines Ultrajectinos novam instituisse Academiam (7), et magnis stipendiis evocasse viros doctos. Putant et Heinsium facile adductum iri, ut, relicto Lug-

(1) Vide p. 297. (2) Cf. Fabric. Bibl. Med. Latin. t. II, p. 25 sqq.  
 (3) Cf. ibid. t. IV, p. 198. (4) Scribere debuerat « Lasena », ut recte supra p. 268. (5) Vide p. 269. (6) Vide p. 268. (7) Academia Rhenio-Trajectina condita fuit an. 1636.

duno, eo commigret: nescio enim quid *simultatum* inter ipsum et Salmasium esse videtur. Em. cardinalis noster in Italiā ipsum libenter evocari curaret ad primariam professionem Bononiensem, qua olim Sigonius functus est. Egit etiam sæpenumero mecum de Jac. Gothofredo (1) J. C. Genevensi, cuius ingenio et doctrina oppido quam delectatur. *Orationes illas politicas* (2) nuper a te transmissas sæpius legit, ut et Libanii *Orationem pro Tempolis* (3), in qua nonnulla inter legendum observavi, quæ alias ad te mittam, ut, si editionem iteret, emendare possit. Nunc ad manum non sunt; neque sat scio an non emin. cardinalis noster jam meas illas observationes ad te misserit, quum exemplar meum a codice ipsius abesse videam.

Dum liberius emin. cardinalis nostri bibliothecam versare cœpi, multos deprehendi præclaros codices MSS. antehac non satis notos; inter Latinos quidem, historiam Longobardicam Herchemperi, monachi Casinensis, inter Græcos vero, partem Bibliorum Sacrorum, quæ Prophetas continet (3). Codex hic divinus plane est, neque ullo pretio contra æstimandus. Continet enim collationem omnium antiquarum observationum, quæ margini apponuntur, cum notis illis criticis ab Origene primum adhibitis. Multis in locis ipsa Hexapla Origenis exhibet, alibi τίτανες. Ex quo codice unico vera illa ratio correctionis Origenianæ perspici potest. Emju. cardinalis aliquoties mihi promisit se curaturum totum hoc opus excudi, eo plane modo quo scriptum est. Stupebit orbis christianus ad tam inexpectatum antiquitatis monumentum. Tu, quæso, illustris

(1) Vide p. 295. (2) Godofredi opus: cf. p. 504. (3) Vide p. 276.

**domine**, etiam cohortare ut propositum consilium pre-  
mat (1).

Orphei Argonautica accurato studio correxi, sed ex conjectura tantum, et collatione Apollonii et Valerii Flacci. Mirum quot mendis liber ille scateat. Memini te monuisse Græcum exemplar Ms. ex Oriente ad te perlatum : proinde meum ad te mittam librum, ut, nisi grave fuerit, cum scripto codice contendas, si forte bonæ notæ sit et conjecturas meas juvare possit.

Bosseius (2), J. C. ille Gratianopolitanus, qui Regius orator cum Cricquo ad Urbem ante triennium venit, quum tua commendatione mihi innotuisset, inter alios libros, quos a me petiit, Bessarionis et Gemisti Plethonis Platonica quædam MSS., magno labore a me in Britannia et Gallia collecta, utenda accepit, eaque discedens secum in patriam detulit, Rogo repetas meo nomine, et postlimnio ad me reverti cures; ego contra insignem ipsi correctionem unius alteriusve loci Ovidii in Ibin polliceor. Affirmabat idem se in Galliis edidisse nescio cuius Satyri Συραγγήν θαυμασίων ἀκονομάτων cum versione et notis : non puto hominem publico munere ornatum fumum mihi vendidisse. Si quid tale ab illo prodierit, fac me, quæso, participem.

Sed manum de tabula : vereor enim ne loquendi et tacendi æque immodicus tibi videar. Vale, illustris domine, et pristino affectu me et studia mea prosequere. Romæ,  
MDCXXXVI. Postrid. kal. maii.

(1) Legendum & ne premat; & vel Molstenio gallicismus aut italicismus exciderit. (2) Vide p. 477, ubi Boëssius vocalur.

## CIX.

## \* PEIRESCHIO.

AQUAS SEXTIAS.

Quoniam mihi posthac ex officii ratione frequentius scribendum intelligim, quamvis nihil nunc suppetat quod scire tua magnopere intersit, vacuam tamen occasionem prætermittere non possum, saltem ut desuetum literarum officium denuo redintegretur. Et sane commodum accidit, ut non ita pridem meæ ad te pervenerint, quibus de emin. cardinalis nostri bibliotheca liberius nonnulla perscripseram, et quinam ejus curandæ munus tum ambirent (1), quum Suaresii nostri promotio locum illum novo bibliothecario aperuisset. Et hactenus quidem Angelus Paravianus id munus administravit, qui et ab intimo cubiculo emin. nostro patrono fuit, et tibi per literas non ignotus est. Illum postquam tædere munera coepit, cui minime assueverat, vel, ut curiales nostri credunt, quod totus dies eum ab emin. patroni conspectu occupatum distinebat, alium substitui sibi petiit. Itaque collato ipsi munere eleemosynarii, bibliothecæ cura et custodia ab emin. cardinale mihi, magna humanitatis et benevolentiae significatio, commissa est. Quod quidem tibi, illustris domine, quamprimum indicandum existimavi, ut, quum mihi tam insigni benevolentiae testimonio neque verbis ultis neque officiis respondere liceat, tu, pro veteri in me affectu,

(1) Vide p. 485.

emin. meo patrono gratias agere non graveris. Ego sane omni conatu id agam sedulo, ut nihil mihi minus quam optimam inservieudi voluntatem defuisse cognoscat; et summopere hoc curabo, ut bibliotheca, heri mei delicium, optimis porro libris instruatur. Qua in re tua potissimum opera et consilio mihi opus erit, quum maximam eorum quæ desiderantur partem Gallia vestra nobis suppeditare possit. Sed de hisce in posterum continua scribendi materies atque occasio dabitur.

Hic res literaria friget, nisi quod S. Pontificis Poemata recuduntur, quæ ipse nova cura recenset. Erit hoc novi nostri characteris nescio quam felix specimen (1). Sane ea est operarum in hac urbe inertia et incuria, ut, quamvis summo annularis studio, nihil tamèn egregium efficere possis. Interim quod possumus præstandum naviter.

Slegelius (2), civis meus, et ipse humanitatem tuam expertus, nunc in Urbe commoratur, æstatem hic transiturus, quam Græcis libris destinavit.

Ego, hac ipsa septimana, ab illustr. d. Guevara (3), Teaneusium episcopo, epistolam prolixam, sive librum potius integrum accepi, de antiquitatibus Campaniæ, quæ cis Vulturium fluvium est; ubi meis auspiciis multa antiquitatis vestigia et monumenta nulli hactenus mortalium memorata eruit. Sed neendum plane inter nos convenit de aliquot locorum situ, et Latinae Viæ ductu a Teano Capuam usque. Itaque magnam nunc epistolam πειρατικὴν, sive μαιευτικὴν paro, quæ veritati penitus pervestigandæ et in lucem protrahendæ occasionem dabit. Harum disquisi-

(1) Vide p. 278, 289, 477. (2) Cf. p. 297. (3) Cf. p. 272.

tionum fructum videbis in opere de Viis publicis , quod paro.

Operis de Vitis Pontificum magnam *την τερασσην ολην* mihi paro. Illustr. d. Puteani Parisiis indices aliquot ad me transmiserunt , magnum aliquid promittentes , qui sane salivam mihi moverunt. At de hisce prolixius *ad te* scribam , ubi plus otii suppetierit. Nunc enim *διατησις* paro in Basiliana nostra Academia recitandam.

Expectamus in dies singulos Pisis (1) cistam optimis MSS. Arabicis et Syriacis refertam quam bibliothecæ emin. cardinalis nostri d. Abrahamus Maronita , cui Arabicæ linguæ lectionem in schola Romana abbatis Victoris Scialæ (2) morte vacanter procuravi. Is vir apprime est eruditus , et magno rerum Orientalium atque Africanarum usu pollet. Ubi libri illi ad nos pervenerint , curabo ad te indicem , ut *κοινὴ Ερμήνεια* gaudeas.

Nactus sum superioribus diebus exemplar Orationum Libanii quas Gothofredus edidit , in quibus et illa *protemplos* , de qua nuper scripsi (3). Ipsius autem Gothofredi *Orationes politicae , Ulpianus , Julianus et Achaica* , desiderantur , quibus sane invitus careo. Emin. cardinalis noster ingenio et doctrina viri illius summopere delectatur , qui utinam , ut in literis , sic etiam in sacris bonas partes sequeretur ! Interim laudanda et fovenda hominis modestia.

Buchardus noster nudius tertius elleborum sumsit , prominante Burdelotio , credo ut atræ loliginis succum , quo

(1) Cf. p. 271. (2) Cf. de eo notam p. 205 , et adde Allatii Apæ p. 350. (3) Pag. 500.

nimium illi splen tumet , expectoraret : sed parum absuit  
quin ille recta ab Anticyris Elysius adiret campes. Dubito  
tamen num potentissimi remedii usus mordacissimos atri  
humoris sales minuerit. Vale , illustris domine , et de tuis  
studiis vicissim aliquid ad nos perscribe.

Mitterem , emin. cardinalis jussu , nescio quam disser-  
tatiunclam *de àquis aliisque rebus in lapidem duratis* ,  
nisi Gualdus eques , qui edidit , jam ante ad te curasset.  
Nisi acceperis , mittam alias : interim parva erit jactura.  
Romæ , ante diem xv junii 1636.

## CX.

## \* PEIRESCIO.

Aqua Sextias.

REDEUNTI mihi hac ipsa hora ex Albana rusticatione ,  
ubi cum emin. meo patrono unam atque alteram septi-  
manam commoratus fui , eques Puteanus hanc mihi scri-  
bendi occasionem significat , quam ultius omittere religio  
fuit.

Ex castello Albano subinde in vicina loca excurri ; et per-  
lustravi eam Latii partem quæ inter Volscos et Hernicos  
interjacet , magna cum jucunditate pervestigavi diver-  
tigia aliquot ex Appia in Latinam et Lavicanam Viam per-  
ducta. Diligenter etiam lustravi ingentes reliquias templi  
Dianæ Nemorensis (1) , ubi Frangipani , loci illius do-  
mini , magno sumptu statuas aliaque antiquitatis monu-

(1) Cf. p. 157.

menta perquiri curant. Spectavi etiam vicinum Egeria fontem, qui in Nemorensem lacum influit, ut et Viribus elivum cum vicino lacu.

Hæc scribo, quia aliud quod scribam non habeo, nisi tu potius illud velis, Pontificem optime et commodissime usum hoc secessu, et rectissime valere.

De literis librisque nihil novi suppetit, nisi hoc quoque scire te juvet, emin. cardinalem nostrum, meo suasu, integrum historiam Annæ Comnenæ ex Vaticano codice scribendam curasse, opus sane luculentum. Et ne posteriorum viii vel viii librorum supplementum commemorem, totum opus, etiam ea parte qua editum est, ita a Ms. Vaticano differt, ut Hoeschelius epitome duntaxat laceram maleque disceptam nobis exhibuisse videatur. Sed in Vaticano exemplari totus ferme primus liber desideratur, quem ex meliori aliquo codice suppleri sane operæ pretium esset. Hæc raptim, sudore adhuc et pulvere oppletus. Vale, perillustris domine. A. d. vii julii MDCXXXVI.

## CXI.

V. CL. BERTHOLDO NIHUSIO (1)

S. P. D. LUCAS HOLSTENIUS.

VIDI, cl. Nihusi, quæ ad communem amicum Allatium nostrum scripsisti de loco epistolæ Ranzovianæ (2) ubi

(1) Ex Allatii Συμμετοις t. II, p. 456, cum hoc lemmate: « De eus uitata etiam Abassiniis communione sub unica specie. » Cf. Moller Cimbr. t. III, p. 333. (2) Cf. Moll. ibid. p. 334.

communio sub una duntaxat specie; etiam Abassinorum exemplo, confirmatur, quorum nomen pro alio isthic possumus suspicaris. Sed non sefellit autorem memoria, qui ipsorum Abassinorum certa fidaque relatione sibi per me comperta ad Romanæ ecclesiæ defensionem protulit. Rem clare exponam. Cum superiore anno, ipso die Paschæ, in Basilica Vaticana sacrosancte Eucharistie communionem multis hominum millibus administrarem, accessit inter alios sacerdos Abassinus, cui nomen Georgius, homo ob atatem virtutemque sanctimoniam venerabilis, et communionem de mea manu accepit. Mirabar tum ritus alieni sacerdotem Latino more communicare. Itaque, cum post aliquot dies eundem ad S. Petri confessionem cum socio orantem offendissem, diligentius ex iis perquirere coepi de patrio rito, cum in liturgia solemniori, tum etiam in quotidiana communione, et praesertim cum Viaticum moribundis exhibetur. Ibi illi sancte mihi affirmarunt, hisce sub una tantum panis specie exhiberi; cumque regererem id forte a Latinis posterioribus introductum fuisse, postquam eas in regiones penetrarunt, illi contra constanter asseruerunt hunc antiquum et perpetuum Æthiopicæ ecclesiæ ritum fuisse, etiam antequam Latinorum eorum nomen et facta iis in regionibus audirentur: cumque subjunxissem ideo me de rito haec perquisivisse, quod, paucos ante dies, eos una sub specie communicantes admiratus essem, responderunt Abassinos christianos neque nunc dubitare, neque dubitasse unquam, quin Dominici Corporis Sacramentum æquali perfectione et fructu, tam sub una sola quam sub utraque specie, sumatur. Haec ut bona fide a religiosis sacerdotibus mihi relata fuerunt, ita in epistola illa, suggestante me, sunt

perscripta. Nec video cur verum affirmasse dubitem, quibus nulla mentiendi causa est. Ideoque prolixius libenterque in ea epistola perscriptum existimes, habeasque quod aliis, eam suggillantibus, respondere possis. Vale, optime et doctissime Nihusi; et si quid Fidei Catholice hostes contra ea quæ dixi moliantur, significa. Romæ, xxviii octobris cœiœcli.

## CXII.

## CL. DOCTISSIMOQUE VIRO B. NIHUSIO (1)

S. P. D. LUCAS HOLSTENIUS.

Cum per valetudinem ad studia redire cœperim, quibuscum mihi divertium fuit per aliquot menses, alterum quoque debitum expungere placuit, quo jam pridem tibi obstrictus teneor. Quæ ex Menasseh ben Israel libro enotata misisti de Judæorum ad Sabbathium flumen commoratione, eo minus mihi nova visa sunt, quod jam pridem ex Eldano et Benjamo istarum fabularum gustum aliquem percepisse. Sane dolendum ejus gentis primores viros ita Talmudicis Rabbinicisque tenebris involutos, ut ad veritatis lucem oculos attollere nequeant, quam perspicerent facile, si in Sacrarum Literarum sensu pervestigando sine partium studio optimos quosque doctissimosque interpretes, potius quam portentosa illa suorum commenta, consularent. Nam quod Judaïcam transmigrationem spectat, unde

(1) Ex Allatii Συμμικτοῖς t. II, p. 459, cum hoc lemmate: « De Sabbathio flumine. » Cf. Moller Cimbr. t. III, p. 535.

res tota dependet, ea in Regum c. 17 et 18 ita regionum locorumque propriis nominibus describitur, ut toto cœlo errent qui eam in ultima Scythia quærendam existimant. Nam cum perspicuis verbis affirmet sacer textus Assyriorum regem in Assur sive Assyriam suam eos transtulisse, deinde locorum nomina, ipsis ad inhabitandum datorum (1), diserte addit, Chalac scilicet, et Chabor flumen Gozan, et civitates Medorum. Hic si Geographos probatos consulas, dubitare non poteris; quin Chabor flumen Gozan sit celebris ille fluvius Chaboras, sive, ut alii, Aboras, qui, in Mediæ finibus ortus, per Mesopotamiam in Euphratem effluit, quem Nubiensis Geographus, adjuncto articulo Al-Chabor appellat. Eo flumine observato simul cognoscitur, Gozan non esse flumen, sed regionem ad fluvii Chaboræ partem superiorem sitam, quæ Gauzanitis Ptolomæo dicitur. Hisce præsuppositis, sequitur Chalac, quæ primo loco in Scriptura ponitur, non aliam esse regionem quam Chalcitin ejusdem Ptolomæi, quæ ad oppositam Chaboræ ripam Gauzaniti objacet, et ex Judæa Syriaque in Medium tendentibus primo loco occurrit. Hæc mihi maxime versimilia videntur: quamvis etiam in ipsa Assyria Cabæne regio sit et in Media Gauzania civitas, quæ eorumdem nominum similitudinem referunt; sed non ita quadrant verbis Scripturæ, quæ, post Chalac, Chabor et Gozan, deinde specialiter Mediæ civitates subjungit, tanquam ordine situque ab istis separatas. Videndum igitur utrum Judæorum istorum vestigia quædam ex probata antiquitate in ipsa Media vel adjacentibus locis cognoscere

(1) Sic correi editum *data*.

liceat. Strabo, quem fidum ducem ubique **experior**, partem Mediæ septentrionalem, montuosam, asperam et frigidam, a multis gentibus incoli scribit (1), qui aliunde in ista loca migrarunt, Græcisque *μισθίσαι* dicuntur, et *αἰγαίοντες*, si aliorum imperio fuerint translati. Sed Herodotus, antiquissimus scriptor, ulterius nos in Colchos dicit, quos **Ægyptiacæ** originis esse, non tam ex atro colore **crispoque** capillitio, quam ex præputii circumcisione conjicit (2); cum præter **Ægyptios** et **Æthiopes**, quiue ab **Ægyptiis**, ut ipse ait, acceperunt, Phœnices et Palæstinos, soli mortalium Colchi circumcidantur; quod institutum ab eis ad proximos quosque Syrios Ponticos postea commigrasse scribit. Sed cur non potius ab Assyriorum rege ex Samaria Judæos, quam a Sesostri **Ægyptios** huc translatos credam? Sed Iberos quoque, qui inter Colchos Mediæque medio loco habitant, ad Judæos originem suam retulisse Constantinus Porphyrogenitus de Administrando Imperio cap. 45 prodidit. Ipsi enim se, ex Davide oriundos, Hierosolymis in Persidem migrasse gloriabantur, indeque armis occupasse eam, quam postea tenuerunt, regionem. Hæc, spero, bonus ille Manasses non improbat, qui in spississimis suæ gentis tenebris hoc tamen perspexit, loca istæ versus Caspium mare esse quærenda. Porro, ex iis quæ hactenus dixi, jam manifeste apparet, quicquid Judæi de Sabbathio fluvio extra Phœniciam quærendo scribunt, mera esse somnia et putidissimas nugas. Nam, ut Plinii (3) taceam qui autoribus Josepho antiquioribus hac in re usus est,

(1) Strabo XI, 12, §. 3. (2) Herod. II, 104. (3) Hist. Nat. XXXI, xvij.

ipsius sane Josephi tanta est hac in re autoritas , ut unus omnes , quotquot sunt fueruntque Judæi , longe antecedat . Fluit autem , si Geographorum tabulis credimus , inter Arcas et Raphaneam Eleutherus fluvius , qui vel ipse Sabbathius Josephi erit (1) , vel saltem rivum illum Plinianum aliunde influentem excepere posset . Quæ autem de arena Sabbathica addit , ejusdem farinæ sunt , et quæ nemo credit , nisi *Judæus apella* ; ita semper similes quærunt labra lactucas . Sane non satis caute sibi gentique suæ consultit , si spem Israelis in fluvio fictitio fluxaque arena collocat . Si quid eorum quæ scripsi accuratius sibi explicari velit Manasses , faciam libenter . Multa enim de loci Biblici versionibus Græcis addi possent , quæ ad ejus palatum non facere existimo . Vale , cl . Nibusi , et me tui nominis studiosissimum ama . Romæ , a . d . iv kal . novembr . crœccl .

## CXIII.

FR. MARIÆ FLORENTINIO V. ILL. ET CL. (2)

L. HOLSTENIUS SALUTEM P. D.

Ego vero , clarissime Florentini , felicitatem istam et tibi et rei christianæ ex animo gratulor , quæ frustra haec tenus quæsitum thesaurum tibi tandem in manus dedit , vetus illud , inquam , et genuinum Martyrologium Romanum Baronio , Rosweydo , aliisque sacræ antiquitatis ama-

(1) Jos. B. J. VII , 5 , 1 , ubi cf. Haverkamp.

(2) E Florentinii editione Martyrologii Hieronymi , p. 4. Cf. Moller Cimbr. t. III , p. 334.

toribus tantopere expetitum. Saliyam mihi non ita pridem movit Jacobus Bollandus, S. J. Theologus Autuerpiensis, qui spissum et magnum sane opus de Vitis Sanctorum in Belgio nunc proecdit; cuius Mensem Januarium duobus ingentibus tomis divisum te vidisse non dubito. In Prolegomenis ejus operis perquam eruditis, capite iv, adnicula, quibus ad hagiologium illud concinnandum utitur, commemorat, et in illis vel primo loco Martyrologium istud Hieronymi et Eusebii nomine insignitum, exemplum nactus ex Carthusia Trevirensi. Specimina aliquot proponit tuis illis simillima, ita ut dubitari non possit, quin idem omnino utrumque opus sit. Exhibit deinde ad singulos januarii dies Sanctos eo numero atque ordine ut in codice Treverensi habentur. Fidem optimam ejus Martyrologii unum præ cæteris illustre exemplum mihi comprobavit, cuius periculum etiam in Lucensi exemplari facere poteris. Ad v idus januarias Martyrologium Baronianum commemorat in Africa patalem sanctorum martyrum Epicteti, Jucundi, Secundi, Vitalis, Felicis, et aliorum septem. Vetustissimum S. Hieronymi, apud Bollandum t. I, p. 567, in Africa Epicteti, Quincti, Secundi, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentii et Felicitatis; item Quincti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quincti, et aliorum sex. Baronius in notis Epictetum antesignanum, Assuritanum episcopum, ex sola nominis similitudine quod apud Cyprianum (1) exstat, conjicit, adeoque sub Decio passum. Sed mihi Hieronymiani illius Martyrologii beneficio certo constat Martires hosce Severi persecutione (2)

(1) Cyprian. Epist. 64. (2) Cf. Holstenii *Animadv. ad Martyrol.* Baronii p. 253.

periisse, quæ anno Ch. 205 ponitur; nam Acta Passionis sanctorum Martyrum Perpetuæ et Felicitatis, quæ Tertullianus libro de Paradiso (1) laudat, et Pontius principio libri de Vita Cypriani tacito nomine innuit, tum vero S. Augustinus *iv* homeliis quasi verbo tenus exponit, ex vetustissimis membranis Africanis a me eruta, hosce Martyres in visione Paradisi, ut Tertullianus (1) vocat, ita commemorant (2): « Quatuor illi angeli qui gestabant nos, depo- « suerunt nos, et pedibus nostris transivimus stadium via « lata, ubi invenimus Jocundum, et Saturninum, et Ar- « taxium, qui eadem persecutione vivi arserant, et Quin- « ctum, qui et ipse Martyr in carcere exierat. » Sic Acta yetustissima. Itaque eadem persecutione Jucundus cum sociis mense januario, et Perpetua et Felicitas cum Revocato, Saturnino, Secundulo et Saturo sociis, nonis martii passi fuerunt. Et quia priores illos vivicomburio periisse constat, rectius de ipsis accipi puto verba Tertulliani Apol. c. 50, quæ Baronius aliis minus certis tribuit ad diem 6 januarii. Hilarianus enim qui hanec persecutionem exercuit, primum exseruit gladium in christianos Afros, teste Tertulliano ad Scapulam (3). Sed multa minus recte a Baronio scripta Actorum istorum fide corrigi posse alibi ostendam. Et quamvis Bollandus Martyrologii hujus editionem in iisdem Prolegomenis promittat, vix tamen illud futurum puto nisi toto hagiologio absoluto. Proinde tu quādā primum eo beneficio nos mactes, ut, publicato thesauro, *κοινὸν Ερμῆ* (4) fruamur. Neque opus habes mea admonitione ut puram putam codicis tui antiquitatem re-

(1) De Anima cap. 55. (2) Pag. 22, edit. Paris. 1664. (3) cap. 3.  
(4) Editio, *coinò ermī*.

ligiose nobis repræsententes, cum luculentum diligentia et judicii specimen Mathildis (1) tua exhibuerit. Nam qui in Martyrologio quo nunc utimur concinnando varias diversorum codicum lectiones non satis accurate dispexerunt, pro veris falsos et pro uno plures Sanctos effinxerunt. Exemplum in ipso limine offeudes. Qui enim die secunda januarii tanquam diversi ponuntur B. Isidorus episcopus, et paulo post S. Siridon episcopus, pro uno vero duo falsi substituuntur, vitio ambo creati ex veræ lectionis ignorantia, ut ex vetustissimis manuscriptis deprehendi (2), in quibus semel simpliciterque legitur, « Antiochiæ Syridoni episcopi ejusdem loci : » unde et veram lectionem et erroris originem facile perspexi. Quis enim non videt legendum, « Antiochiæ Syriæ, Domni episcopi ejusdem loci », atque ita vero illius loci possessore restituto in integrum, duos hypobolimæos expungendos? Scio Baronium in Annalibus non satis favere Domni istius famæ; cum tamen ex publicis hisce tabulis constet nomen ejus in Romanæ ecclesiæ diptychis olim commemoratum fuisse. Antiochia autem Syriæ dicitur, ut a Pisidiæ aliisque ejusdem nominis discriminetur. Sed hæc apud te accurati judicii virum probatione non egent. Simili errore ad diem vii januarii, invitis omnibus antiquorum Martyrologiorum exemplaribus, inseritur, « in Dacia S. Nicetæ episcopi qui feras ac barbaras gentes, etc. ; » cum eumdem alibi suo loco, hoc est xxii junii et Romanum ipsum et alia probatæ fidei Martyrologia commemorent (3). Quo

(1) Florentinius Mathildis comitissæ Historiam scripsit.

(2) Cf. Holsten. Anim. ad Baron. Martyr. p. 249. (3) Cf. ibid. p. 252.

**I**oco Baronius neque ipsius Nicetæ, neque civitatis episcopalis verum nomen perspexit, unde ex uno eodemque Niceta duos constituit. Fuit autem Nicetas Romitanæ episcopus, olin S. Paulino Nolani hospitio et carminibus celeberrimus; ideoque cum de certo exitus ejus die non constaret, Ecclesia ejus commemorationem cum S. Paulini memoria conjunxit; quod Romano Martyrologio consuetum esse nemo ignorat. Neque aliam ob causam Joannes Neapolitanus episcopus itidem Paulino eodem **xxii junii** die subjungitur, quam quod idem Paulinus eum ad celestia regna vocavit (1). Itaque Baronius gemino errore hic bariolatur, dum Nicetam Nicetæ præsert, et sedem ejus ex Dacia ad Aquileiam transfert. Fuit enim Romitanae Daciæ mediterraneæ civitas sub metropoli Serdicensi inter Naissum Constantini Magni patriam et ipsam Serdicam posita; et Antonini Itinerario (2) Remesiana, Hierocli (3) et Constantino Porphyrogenito (4) Remeßiana, Tabu'æ autem Augustanæ Romesiana dicitur. Besso autem hunc Daciæ tractum circa Romesianam et Serdicam incoluisse, si alia Veterum testimonia deessent, docet nos *vetus lapis* Neapolitanus apud Capaccium p. 33. (5), in quo Aurelius Abitus miles legitur natione Bessus, natus regione Serdica, vico Magan, etc. Hæc non eo animo ad te scribo ut magni viri hallucinationes sugillem, sed ut te commoneam quantum referat veram, genuinam antiquitatem non interpolari, sed religiose produci ad veterum librorum fidem: ita tibi et Lucensi

(1) Vide Vit. Paulini p. 729. (2) P. 135, ubi vide Wesseling.  
 (3) Pag. 654. (4) Themat. II, 9. (5) Apud Gruter. p. 526, 3.

ecclesiae laudem et gratiam conciliabis apud eos qui ei  
merito sacra ista cimelia aestimant, etc. Vale, cl. vir, et  
præclarri operis editionem quam primum publico cum fa-  
vore et plausu absolve. Romæ iv kal. feb. ccccclviii.

## CXIV.

CL. ET DOCT. V. JOH. H. BŒCLERO (1)

ACAD. ARGENTORATENSIS PROFESSORI CELEBERI.

LUC. HOLSTENIUS S. P. D.

QUAM primum fama hic percrebuit Burrhum (2) im-  
postorem, catholicorum principum provinciis exceedere co-  
actum, Argentoratum se recepissee, ibique in Senatus cien-  
telam se dedisse, facile judicarunt illi quibus et civitatis  
illius studium ad publicam honestatem conservandam, et  
extrema nequissimi hominis improbitas cognita perspecta-  
que esset, commorationem istam haud fore diuturnam;  
abesse enim non posse quin sorex ille suo se indicio pro-  
deret. Id nunc factum video, doleoque virum bonum et  
eruditum in nominis famaque discrimin ab infami calum-  
niatore adductum. Verum quamvis ea res molestiam ali-  
quam tibi afferat, periculo tamen caret; tua enim tibi  
fama in tuto posita est, ut perditissimi nebulonis conatibus  
convelli nequeat; quin etiam discussso calumniarum fumo  
clarior illustriorque emicabit. Miror sane principes Ger-

(1) Ex Amoenitatibus Schelhornii, t. V, p. 145. (2) De Burrbo,  
vulgo *Borri*, præter Lexica obvia, vide Schelhorn, ibid.

manos nostros , toties elusos , istorum impostorum fraudes non persentiscere , qui promittendo aureos montes ipsos tandem seducunt et naso suspenso tenent. Veneficij quæstio in Burrhum ante biennium instituta quo in loco sit , ex adjuncto tabellionis publici testimonio cognosces. Venena domi apud Palmam Burrhi famulum reperta ; sed muliercula et Palma , ejurata ejus rei notitia et culpa in ipsum Burrhum rejecta , libertati utcumque restituti , ita tamen ut domum pro carcere habeant , indicta cc scutorum poena , si pedem extra limen efferant , dataque cautione vicarii , ex cuius officio acta examinis depromi possunt , ubi opus fuerit. Interim gravior adversus eum quæstio de hæresi et atheismo et infinitis aliis sceleribus apud Fidei Quæsidores flagrat ; et post mensem unum aut alterum sententia in eum feretur cum digno hominis elogio. Affirmant mihi qui causam hanc tractant , et singula criminum capita pressius examinarunt , superare fidem humanam tot sceleræ et flagitia in unum hominem potuisse confluere. Ea sententia quæ nebulous illum tot scelerum reum peraget , tuam aliorumque bonorum virorum famam in integrum restituet. Hæc raptim ad te scripsi , v. cl. , ne desiderium et exspectationem tuam differrem. Ubi Pontifex cum comitatu ex suburbana rusticatione ad Urbem redierit , distinctius ad te perscribam , quæ causæ tuæ præsidio esse poterunt adversus malas istius impostoris artes. De Suecia et Ser. Reginæ in te animo quod calumniator ille spargere ausus fuit , meram fraudem et imposturam esse mihi certissimo constat. Cum enim mihi crebri sermones fuerint cum maxima illa et sapientissima heroïna de te tuisque studiis et in rempublicam literariam meritis , nunquam

illam sine singularis benevolentiae significatione locutam  
memini; adeo quidem ut discedentem ab Urbe rogaverim,  
si secundo Rheno descenderet, quod nonnulli ob itineris  
facilitatem et compendium eam facturam existimabant,  
teque ~~ταπεδη~~ videret, ut, absoluta Polybii recensione, ad  
Flavii Josephi novam editionem sua te auctoritate permov-  
eret; cum in Dissertationum tuarum volumine egregio  
specimine ostenderis quanto cum bono publico istius modi  
labore defungi possis. Quocirca moneo te ut calumnias  
istas fortiter spernas, nec dubites quin malae artes in suum  
sibi auctorem sint reddituræ. Ubi majus scribendi otium  
fuerit, de locis quibusdam Polybianis quid sentiam tibi  
aperiam. Vale. Romæ, x kal. novembr. ccccclx.

FINIS APPENDICES.

---

## ADDENDA ET CORRIGENDA.

---

P. 3, cum Rumpio : Henrico, ut videtur, de quo cf. Moller Cimbria t. I, p. 577.

P. 3, nota 6 corrigenda ex nota 2 p. 227.

P. 32, f. 1, *lege* « hactenus v : not. f. 4, *lege* « Jul. »

P. 40, 15, codd. « *Haptzwig.* »

P. 41, not. 1, cod. Prunellianus cum aliis consentit.

P. 98, nota 3 corrigenda ex nota 3 p. 230.

P. 109, n. 1, cod. P. « Caryophillo. »

P. 129, not. 1, adde Schoellum v. doctiss. *Elémens de Chronol.*, t. II, p. 51.

P. 132, nota 2 corrigenda est ex nota 3, p. 296.

P. 133, not. Cf. p. 466. »

P. 137, not. 1, cod. P. cum edito consentit.

P. 140, n. 1, et hic in cod. P. non variatur.

P. 147, n. 1, et sic cod. P.

P. 156, n. 2, *lege* « Græviano. »

P. 172, n. 2, cod. P. « patria I Saxonica. »

P. 177, n. 1, *lege* bis « siRTCIA. »

P. 206, n. 2, de Sergio Risi adde Allatianas Apes p. 332.

P. 216, n. optime divinaveram. Cod. Prunellianus habet : « fabrica μυστηρίδαι hactenus. »

P. 217. 11, cod. P. « φιλτρον » et f. 27 « Spelmanni » ut conjecteram.

P. 218, 14, cod. P. firmat meam restitutionem ; et f. 16 habet : « terrarum καὶ περὶ τῆς ἀντοκουμένης novis quidem et plane ἀτόποις opinionibus. » — f. 21, *lege* « indicio v pro a judicio. »

P. 219, 1, restitue e cod. Pr. « navigationibus καὶ περὶ τῆς βαρβαρικῆς ὁμηρίας apud. » — et f. 2 : « ut ὑποθίσους suas plane ἀγιωμέτρους

## ADDENDA

- καὶ ἀγιογράφους* *συντιθεται.* — *et f. 4:* « *status καὶ διφρου.* » — *f. ult. præ certi* » *cod. P. acerte.* »
- P. 220, 10, *restitue* » *cod. P. et πολύπτορος* *ac.* »
- P. 221, 18, *cod. P. et non tantum παραδίξει,* *sed etiam plane παραλόγης* *disputat.* »
- P. 225, 15, *cod. P. et οἰρμαῖον.* » — *f. 16, cod. P. et dn. de Bonair aut Buchardum.* » — *f. 23, cod. ut ego.*
- P. 226, 4, *cod. P. et ἀποσπημάτια* » *lege et ἀποσπημάτια.* » — *f. 18, cod. ut ego.* — *f. 22, cod. et modus σταγωγικὸς* *vid.* »
- P. 227, 5, *cod. P. et varia σχημάτων* *nomina.* » — *f. 7, cod. P. ἵκλογὰ* *ταῦτα.* » *lege et ἵκλογαι.* » — *f. 12, cod. et Δαμιστοῦ τοῦ Ἡλιοδόρου Κριστοῖον.* » — *f. 21, cod. et verum bene pro eorum.* »
- P. 228, 9, *cod. P. mecum facit, ut et f. 21.* — *f. 21, iterum cod. et libellus σταγωγῆς* *loco.* »
- P. 229, 7, et 15, et 19 *cod. P. mecum convenit.* — *f. 8 cod. P. et philosophica* » : *malo et philologica* » *alterius codicis.* — *f. 17. Hic tractatus idem esse videtur Plotoniano illi quem nuper M. ut ineditum sub Philonis nomine edidit.*
- P. 230, 6, *cod. P. et alterutrum.* » — *f. 9, cod. et Metochitæ εὐμηκτæ.* » — *f. 16, cod. et saturam illam lacentem, quam.* »
- P. 231, 13, *lege et conficerent.* » — *f. 19, et cod. P. et nam.* »
- P. 232, 12, *cod. P. et complicatilis.* »
- P. 233, 2, *cod. P. et sive στάχψη, quod M. sed et agnovi* » *vel simile verbum deest.* — *f. 21, cod. P. ut editio.*
- P. 234, 2, *cod. P. mecum consentit.* — *Not. 1, pro XLIII, scribe XLII, p. 266.*
- P. 235, 10, *cod. P. mihi favet.* — *f. 13, cod. et Egyptiorum Græcus Ms. in 4°.* » — *f. 21, cod. et exemplar hactenus.* »
- P. 236, 5, *cod. P. et discrepet quoque.* — *f. 9, cod. et Psellus περὶ φυχογονίας in Timaeo.* »
- P. 237, 10, *cod. P. et nullæ.* »
- P. 238, 1, *lege et diligie.* » — *f. 6, cod. P. et mores καὶ τὰς ἐπιχειρήσεις ingenium.* » — *f. 10, cod. caret voce et mili et bene.* — *f. 14, lege et si qua.* » — *f. 21, lege et norunt.* »

- P. 239, 2, cod. P. « ridere, » melius; et inserit « ubi » post « sane. » — f. 15, cod. « pereant, καὶ τίς ὑδωρ γεγράφθω. Nunc ut ad. » — f. 16, cod. « quarum aliquam multis. »
- P. 240, 14, cod. P. « gradum struant. Possem t. luc. χαρακτῆρα illorum. » — f. 16, cod. « mea αὐθαδίσῃ. » — f. 19, cod. « illius Suffeni. » Adludit ad Suffenum illum Catullianum.
- P. 241, 3, et cod. P. « Aleandrum. » — f. 13, cod. « Suaresium. » — not. 5, cod. « Coneus. »
- P. 242, 21, cod. P. « Lucaniam et Brutios. » — f. 23, cod. « seu regionibus. »
- P. 243, 17 et 22, cod. mecum facit.
- P. 244, extr. et cod. ut ego.
- P. 245, 6, cod. P. « De σφαιρικῶν καὶ φαινομένων scriptoribus. » — f. 11, cod. ut edit. — f. 13, cod. « Nam ἐκλογαῖ. — f. 22, cod. « card. Sirleti. » — f. 23, lege a si. »
- P. 246, 8, cod. P. « περὶ γραμματικῶν ποτηρίων nihil h. q. s. cum ἵκτυπα. »
- P. 247, 1, cod. P. « vocibus τεχνικοῖς. » — f. 6, cod. « Arriani Κυνηγετικόν. » — f. 8, cod. « et ἱππιγραφήν. » — f. 10, cod. ut editio. — f. 11, lege « Sardes. » — f. 13, cod. « De ἱγγυθήκη fuse. » — f. 17, cod. « cæteras. » — f. 18, cod. « in Tusculano Aldobrandinorum. »
- P. 248, 2, cod. P. « lapide Sacchetorum. » — f. 7, cod. ut edidi.
- P. 249, cod. P. « testis et. »
- P. 250, 22, cod. P. ἴμψυχος. — f. 25, cod. ita ut edidi.
- P. 251, 22, lege e cod. P. « vindicem. »
- P. 252, 14, lege « typographeo. »
- P. 253, 19, cod. P. recte « Goclenii » : de quo homine consule, præter alias, Burigni, *Vie d'Erasme*, t. II, p. 367. — f. 23, cod. « tot κατορθώμασι. » — f. 27, lege « haec. »
- P. 254, 2, cod. P. ut edidi. — f. 4, cod. « commodissima se. » — f. 14, cod. « plane ἀγεωμέτρητους καὶ ἀπέιρους τῆς κυκλικῆς θεωρίας μετεύρων καὶ τὰν φυσικῶν ἀντικόνους, cum. »
- P. 255, 15, cod. P. « Pæti atque aliorum. » De Luca Pæto cf. Saxii Onom. — f. 16, cod. « insertis. »

- P. 256, 16, cod. P. « mihi proderit. »
- P. 258, 15, cod. P. « plane deposuisse. » — f. 19, *lege* & S. Sedis.
- P. 259, 1, cod. P. bene « nec apices. » — f. 15, cod. « mai. » — f. 18, cod. « ζητίματα. »
- P. 268, 12, cod. P. « stylo sive lingua Hellenistica LXX interpretum. »
- P. 269, 6, cod. P. « longae calam. » — f. 23, cod. « distribuas. »
- P. 270, 3, cod. P. ut edidi. — f. 17, *lege* & petiisti » e cod. — f. 19, cod. « strangylon. »
- P. 271, 8, cod. P. « grammatici, sed protriti. **Omnium.** » — f. 9, cf. pag. 496. — f. 11, cod. « eum utendum. » — f. 13, cod. ut conjecti. — f. penult. Nihil deest : dele stellulam.
- P. 272, 2, cod. P. « volentibus. » — f. 9, cod. « explorarentur. » — f. 12, cf. pag. 503. — f. 17, cod. ut edidi.
- P. 273, 3, cod. P. « 'Αρκάδέται sive Arc. » — f. 4, *lege* e cod. « conspicitur. »
- P. 275, 12, cod. P. « vito, ne. »
- P. 276, 18, cf. pag. 500. — f. 20, cod. P. « H̄ebr. fontibus. »
- P. 277, 4, cod. P. « existit. » — f. 10, cod. « veterum īp̄an̄m̄ ouλλογ̄y. » — f. penult. cod. « vola. »
- P. 278, 1, *lege* & breviaria »
- P. 279, 16, corrige e cod. P. « literis illustr. Gr. » et f. 21 « ill. » pro « ille. »
- P. 280, 12, cod. P. « συσυγραφίαν. » — f. 16, cod. « 1637 » male.
- P. 287, n. 2 extr. Molleris errorem his consulat verbis Schöllius, vir doctissimus, quem consulueram : *Notre converti s'appeloit décidément FRÉDÉRIC. Il étoit le troisième fils de Louis V, dit le Fidèle, landgrave de Hesse-Darmstadt, lequel Louis V étoit fils de Georges le Pieux, quatrième fils de Philippe le Magnanime, que Charles-Quint fit prisonnier en 1547. Philippe le Magnanime avoit possédé toute la Hesse, qui aujourd'hui est partagée entre cinq branches. — ERNEST, qui s'est aussi fait catholique, mais en 1652 seulement, étoit fils de Mauric, landgrave de Hesse-Cassel, qui étoit fils de Guillaume IV, le Sage, fils aîné de Philippe le Magnanime, d'où descendant toutes*

*les branches de cette maison. Comme la succession par ordre de primogéniture n'a été introduite dans la maison qu'en 1648, Esnest eut en 1632, à la mort de son père, pour apanage ce qu'on appela depuis les terres de Hesse-Rheinfels. Il devint la souche de la branche de Hesse-Rheinfels encore existante, et qui est catholique. Ces faits sont de la plus grande exactitude.*

P. 294, not. Nuper legi ineditam ad Chardonem a Rochetta Vil-  
loisoni epistolam, qua vir doctissimus Richardo Simoni absurdissimam istam verbi μαρτυρίαν versionem tribuit. Vulgo quidem dicitur magnas fuisse in condenda Bibliotheca Selecta Nova Simo-  
nis partes : Sed quis unquam credet talem ignorantiam in virum  
talem posse cadere ?

P. 297, n. 5, cod. P. & Slegelii. » Cf. Moller Cimbr. t. III, p. 321.  
P. 308, n. 3, Lucas ille αὐτόχθον obiit : cf. Moller. ibid.

P. 319, 3. *lege « spretis. »*

P. 411, de Maguriana inscriptione vide quæ monet Saxius in Act.  
Litter. Societ. Traject. t. II, p. 253.

P. 437, 19. ΟΤΔΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟC apud Gudium quoque p. 371, 2.  
Et lapis Latinus Gruteri p. 928, 6.

FVI. NON. SVM  
ESTIS. NON. ERITIS  
NEMO. IMMORTALIS.

Vide et Vonckium Specim. Critic. p. 135.

# INDEX

## EORUM AD QUOS SCRIPSIT HOLSTENIUS.

( *Stellulae appositae sunt Epistolis ineditis.* )

- B**ACLERO, CXIV, 516.  
**D**ONIO, XXVI, 178. LI, 306. LIII, 309. LIV, 311. LV, 314.  
LVI, 316. LVIII, 320. LIX, 323. LX, 325. LXVII, 344.  
LXVIII, 346. LXXI, 353. LXXV, 360. LXXVIII, 366. XC, 390.  
**D**ORMALIO, \* XVI, 105. \* CIV, 482. \* CV, 485. \* CVI, 487.  
**E**LMENHORSTIO, I, 1. II, 4.  
**E**LZEVIRIO, XLII, 262.  
**F**LORENTINIO, CXIII, 511.  
**H**EINSIO (Nicol.), LXXVI, 563. LXXX, 372. LXXXI, 373.  
LXXXIII, 376. LXXXVII, 384. XCI, 392. XCII, 396. XCIII,  
397. XCVII, 409.  
**L**AMBEPIO, XLIX, 303. L, 304. LII, 308. LVII, 318. LXI, 327.  
LXII, 329. LXIII, 331. LXIV, 336. LXV, 339. LXVI, 341.  
LXIX, 347. LXX, 351. LXXIII, 356. LXXIV, 358. LXXIX,  
369. LXXXII, 375. LXXXIV, 378. LXXXV, 380. LXXXVI,  
381. LXXXVIII, 386. LXXXIX, 388. XCIV, 400.  
**L**ICETO, XLI, 260. XLVII, 298.  
**M**EURSIO, III, 6. IV, 22. V, 28.  
**M**ORINO, XLVIII, 300.  
**N**IHIUSO, CXI, 506. CXII, 508.  
**P**EIRESCIO, \* VII, 33. \* IX, 41. X, 51. \* XI, 82. \* XII, 92.  
\* XIII, 94. \* XIV, 98. \* XV, 102. \* XVII, 109. \* XVIII, 115.  
\* XIX, 120. \* XX, 133. \* XXI, 141. \* XXII, 143. \* XXIII, 162.  
\* XXIV, 166. \* XXV, 174. \* XXVIII, 182. \* XXX, 196. \* XXXI,  
200. \* XXXII, 203. \* XXXIV, 213. \* XXXV, 216. \* XXXVI,  
220. \* XXXVII, 222. \* XXXVIII, 225. \* XXXIX, 237. \* XL,  
249. \* XLII, 268. \* XLIV, 274. \* XLV, 281. \* XLVI, 283.  
\* C, 460. \* CIII, 468. \* CVIII, 489. \* CIX, 502. \* CX, 505.  
**P.** PUTEANO, \* VI, 30. \* VIII, 38. \* XCIX, 459. \* CI, 461.  
\* CII, 464.  
**C**HR. PUTEANO, \* CVII, 488.  
**J.** RHODIO, XCVIII, 411.  
**S**IRMONDO, LXXII, 355. LXXVII, 365. XCV, 403. XCVI, 406.  
**T**ENGAGELIO, XXVII, 181. XXIX, 192. XXXIII, 205.

## AD HOLSTENIUM SCRIBUNT

- P**AGANINUS GAUDENTIUS\*, p. 160.  
**P**ATRICIUS JUNIUS\*, p. 161.

# INDEX

## RERUM ET NOMINUM.

### A.

<b>A et A,</b>	<i>pag.</i> 447	<b>Αλλα et Αμα,</b>	13
<b>Abraham Echellensis,</b>	270, 271,	<b>Allatius,</b>	108, 218, 219, 225,
	320, 321, 323, 504		341, 343, 348, 364, 399
<b>Abulfeda,</b>	80, 81	<b>Altinus,</b>	109, 110
<b>Academia Basiliana,</b>	268, 494, 504	<b>Ambrosius,</b>	18, 69
— Rheno-Trajectina,	499	<b>Anastasii,</b>	98, 99, 388, 550, 502,
<b>Acarnanenses,</b>	420		486, 493, 494
<b>Achæus,</b>	439	<b>ΑΝΑΣΤΑΣΙΣ,</b>	403, 404, 408
<b>Achilles Tatius,</b>	424	<b>Anatolius,</b>	227
<b>Acilia gens,</b>	443	<b>Andreas Epidaurius,</b>	148
<b>Adamanus,</b>	79	<b>Angelus Paravianus,</b>	502
<b>Adulitanum monumentum,</b>	218,	<b>Anglicanum collegium Romæ,</b>	231
	219	<b>Anna Comnena,</b>	35, 384, 399, 506
<b>Ægius Spoletanus,</b>	76	<b>Annulus nuptialis,</b>	170. <b>Anuuli</b>
<b>Æthicus,</b>	20, 383	funebres,	172
<b>Æthiopici libri,</b>	287	<b>Anonymous scriptores,</b>	18, 54, 55,
<b>Αφροδισιάς,</b>	438	56, 69, 71, 72, 75, 94, 184,	
<b>Agathemerus,</b>	53, 55		368
<b>Ager Romanus,</b>	81, 82	<b>Antigonus,</b>	44
<b>Albintimilium,</b>	84	<b>Anthologia Latina,</b>	429
<b>Alcinous,</b>	125	<b>Antonini Itinerarium,</b>	84, 245,
<b>Alcipho,</b>	348		316, 479
<b>Aleander,</b>	32, 39, 83, 96, 102,	<b>Apollo Actiacus,</b>	426
	105, 107, 113, 116, 119, 125,	<b>Apollonius Dyscolus,</b>	44
	126, 127, 128, 139, 140, 142,	<b>Apollonius Pergeus,</b>	320
	159, 241, 251, 253, 271, 466	<b>Apollonius Rhodius,</b>	95

- A**  
 Apuleius, 6, 29 *i.e.*, 427  
 Aquæ Apennæ, 414. — Albulae, *ib.* Arundelius comes, 96, 129, 161  
 Arabici libri, 271 Asclepiodotus, 313  
 Arasianus Measius, 376, 379, 384 *Ἄσκος*, 431  
 Arcerius, 484 *Ἄσυλα*, 443  
 Aristonetus, 332, 333, 334, 356, 341, 347 *Ἄσφαλτα*, *ibid.*  
 Aristides Quintilianus, 20, 27 Athanasius, 20, 50, 51, 86, 92  
 Aristoxenus, 27 *Aubri du Mesnil*, 86, 116, 117, 126, 27, 459  
 Armagnac (cardin. d'), 36, 85  
 Armenius cardin. 34, 264, 270  
 Ἀρποκρήτης, 420  
 Ariauus, 11, 19, 44, 57, 102, 105, 110, 167, 193, 194, 247, 267, 307, 371, 379  
 Artemidorus, 18, 56 Avienus, 20, 77, 137  
 Arundeliana Marmora, 100, 116, 129, 135, 161 Aurelius (M.), 267, 307  
 Articulus omissus in ellipsi vocis Auria (J.), 245, 246, 470  
 Azolinus, 157, 158

## B.

- |                       |   |                          |   |
|-----------------------|---|--------------------------|---|
| Bagni cardin.         | 220   | Barlaeus,                | 262, 328, 330                               |
| Baillet,              | 47  | Baronius,                | 463, 513                                    |
| Baitappa,             | 136   | Baroikos, codex,         | 241, 295                                    |
| Barat,                | 294   | Beda,                    | 78, 79, 255                                 |
| Barberino,            | 273, 317  | Bergerius,               | 82, 84, 478                                 |
| Barberinus (Fr.) card | 31, 39, 182, 201, 265, 266, 336, 340, 554, 367, 370, 375, 379, 381, 384, 387, 388, 410, 494 | Borgine,                 | 138   |
| Barberinus (A.) card. | 140, 185, 201, 336, 354, 367  | Bertius,                 | 54, 231, 232                                |
| Barberinus (Th.)      | 114, 324, 337, 460, 463   | Bertus,                  | 495   |
|                       |   | Bessario,                | 479, 501                                    |
|                       |   | Biblia,                  | 188, 194, 207, 276, 277, 290, 293, 495, 500 |
|                       |   | Bibliotheca Altempsiana, | 54, 55, 68, 113. — Ambrosiana,              |
|                       |   |                          | 84,   |

273, 396, 398. — Armeniaci	Biscia cardin.	96
cardin. 85, 471. — Augustini-	Blavius,	341, 551, 552
norum Romæ, 230, 235. —	<i>Boderie (de la),</i>	249
Augustinianorum Neapoli, 152,	Bodierius,	249
372. — Barberina, 106, 342,	Bœclerus,	516
364, 383, 387, 393, 394, 403,	Boëssius, <i>Boissieu</i> , 478, 479,	
404, 405, 408, 414, 480, 502,		480, 501
503. — Barocciana, 130. — Car-	Bollandus,	512
bonaria, 373. — Casinensis, 288.	Bolvitus,	574
— Farnesiana, 404. — Jesuita-	Bonaire,	165, 196, 298
rum Romæ, 240. — Lauren-	Bonarrotius,	178, 179, 180
tiana, 179, 180, 184, 560, 361,	Borchardus,	79
368, 394. — Monchalii, 77, 470,	<i>Bouchard</i> , 213, 225, 366, 470	
472. — Moreli, 230. — Pala-	<i>Bourdelot</i> ,	467, 504
tina, 45, 53, 54, 62, 65, 71,	Brantius,	2
72, 80, 383, 405. — S. Salva-	Bredowius,	31, 52, 124
toris Bononiæ, 185. — Scoria-	Brissonius,	128
censis, 85, 88, 97, 102. —	Brugiottus,	289, 476
Sforziana, 113. — Thuanea,	Bruti Epistolæ,	45
379. — Vaticana, 112, 119,	Buchardus, 213, 225, 295, 296,	
126, 127, 206, 255, 256, 263,		297, 350, 504
265, 296, 338, 354. — Vindo-	<i>Buoncompagno</i> ,	599
bonensis, 186, 531, 333, 334,	Burigay,	78
335, 337, 348, 379, 383	Burrhus,	516
	Byzantini historici,	345, 385

## C.

Cæsius,	136	Cardanus,	463
Calendarium <i>velut</i> ,	271	<i>Caryophyllus</i> ,	108, 519
Cantacuzenus,	295	Casaubonus,	53, 55, 70
Capitulum,	367	Catullus,	398
Capponius,	402	<i>Cavalcanti</i> ,	526
Caracciulus,	152	Cedrenus,	226
Caraffa,	121	<i>Centumcellæ</i> ,	84

## INDEX

- Chalcidius, 151, 510, 312 Concilium Chalcedonicum, 265  
 Choricius, 47 Constantinus Porphyrogeneta, 19,  
 Chrysoloras (Em.), 73 41, 42, 43, 44, 45, 46, 65, 73,  
 Chrysostomus, 372, 373, 374 74, 95, 101, 103  
 Christianus (Fl.), 93 Contelorius, 103, 112, 119, 126,  
 Ciacconius, 182 127, 324, 466, 467, 470  
 Ciofanius, 396, 398 Contilorio, 324  
 Claudianus, 410 Continus, 477  
 Cleomedes, 151 Copernicus, 496  
 Cluverius, 6, 8, 9, 11, 15, 22, Corderius, 194, 207  
     24, 25, 26, 78, 81, 84, 120, Cornuti, 275  
     156, 232, 242, 243, 244, 266, Cosa, 84  
     342, 478, 490, 491, 498 Cosmas, 270, 475  
 Codinus, 12, 71, 74, 130, 228, Cotton (R.), 36, 37, 47  
     383, 387 Cramoisy, 111, 301, 380, 381,  
     387  
 Coemeterium S. Nemesii, S. Hilarii, 498 Cum patera, 451  
 Collotius (Colocci), 255 Cunæus, 262  
 Colvillus, 89, 97, 102, 154 Curepalata, 19, 101, 106  
 Columna (A.), 114 Curterius, 484  
 Columna (F.), 152 Cynamus, 585  
 Communio Abassinorum, 507 Cyrilus (S.), 472  
 Conœus, 251, 259 Cyrilus Lucaris, 129

## D. Δ.

- |  |          |                   |                |
|--|----------|-------------------|----------------|
| D et O,  | 436      | Demophilus,       | 492            |
| Damascenus,  | 54       | Demosthenes,      | 457            |
| Damascius,   | 228, 229 | Dempsterus,       | 179            |
| Damianus Larissæus,                                  | 227      | Des Portes,       | 189            |
| Dantes (Egn.),                                       | 227      | Deusing,          | 327            |
| Darmarius (A.),                                      | 148      | Dexippus,         | 185            |
| Darmarius (G.), 149, 226, 233,<br>234, 235, 236, 245 |          | Dialectus Dorica, | 424, 441       |
| Democrats,   | 267      | Dicæarchus,       | 13, 14, 18, 61 |
|  |          | Didymus,          | 227            |

Digamma,	442	— ejus frater,	179, 232
Δίκασον (τὸ),	451	Dositheus,	422
Diodorus Tarsensis	100	Dormalius, 98, 100, 101, 102,	
Diogenis epistolæ,	44	103, 109, 115, 122, 123, 135,	
Dionysius Afer, 19, 71, 76, 266		139, 153, 235, 269, 273, 295,	
Dionysius Byzantinus, 36, 46,		484, 485, 486	
71, 82, 114, 160, 199, 471		Dousa (Th.),	385
Δογγοσαῖτες,	137	Drusius (J.),	292
Διορύσου τεχνῆται,	423	Duchesne (A.), 274, 280, 489	
Donatus,	499	Du Puy (C.),	177
Donius, 141, 168, 169, 184, 251,		Du Puy (les frères),	50
345, 390, 467			

## E.

Ε et Κ,	447	Epistolographi Græci, 44, 348	
Egeriae fons,	497, 506	Erpenius,	25, 188
Ἐγκτησίς,	443, 444, 454	Eucherius,	19, 78
Elisionis nota neglecta, 451, 454		Eudemus,	181
— Elision τοῦ iota, 454		Eudoxus,	60
Elmenhorstius,	4, 265	Εὐργεσία,	420
Elzevirii, 7, 10, 24, 28, 263,		Εὐργίτης,	441
265, 273, 279, 280, 350, 486,		Eunapius, 382, 383, 385, 386,	
499		388	
Emmanuel Cappadox, 123, 163		Eusebius, 19, 22, 28, 73, 79, 96,	
Enallage syntaxeos,	433	245, 265, 408, 470	
En-enius,	180	Eustathius, 71, 77, 78, 225, 226,	
Ἐπικοί,	442	248	
Ephraem,	161	Εὐφόχιος,	437
Epiphanius,	246		

## F. Φ.

Faber San-Jorianus,	35	Fabrotus,	115
Fabricius,	72	Fasti Capitolini,	116

## INDEX

Faustus,	79	Φαστίας,	438
Febonius,	395	Φοβιάν,	438
Felix (H.),	141	Foramina in sepalcris,	430
Ferrarius,	596	Φάε, Φάε,	432
Ferreolus,	401	Frontinus,	362, 367
Φεδίτια, Φελίτια,	236	Fronto (Corn.),	376, 444, 445
Φιλάρθρωπος (τὰ),	455	Fronto Ducæus,	187, 291, 295
Flavius Dexter,	499		

## G. Γ.

Gallienus,	171, 254, 315	Goclenius,	509
Gallorum laus,	371	Gogarinus,	28
Gallutius,	119	Golins,	219
Gassendius,	259, 474, 475	Goropius,	395
Gaulus,	342	Gothica lingua,	172
Gelenius,	65, 66	Gothofredus,	295, 500, 504
Gellius (A.),	113, 370	Gottifredus,	407
Geminus,	151	Grandis (H. de),	232
Gemina antiqua,	173	Gregentius,	68
Geographia Nubiensis,	232	Gretserus,	187, 228, 383
Georgius Hamartolus,	99, 100,	Grex genere fœminino,	413
	106, 109, 110	Gronovius,	312, 330, 361, 364,
Georgius Syncellus,	98, 99, 104,		373, 377, 384, 394, 399
	105, 109, 110, 168, 350	Grotius;	60, 101, 108, 279, 287,
Germanorum mores,	338		286, 287, 403, 467
— academiæ,	319	Gualdus,	183, 232, 505
Gesneri Bibliotheca,	253	Gualterius,	254
Gillius,	471	Guevara,	503
Glycas,	186, 226		

## H.

H et I,	444, 455	Hadrianus Rhetor,	88
— et II,	446	Hannibalianus,	405, 407

<b>Hanno,</b>	18, 59	<b>Hermias,</b>	124, 131, 229, 235
<b>Harlesius,</b>	59	<b>Hermippus,</b>	106
<b>Haultin,</b>	109	<b>Hermogenes,</b>	27
<b>De la Haye,</b>	64	<b>Herodotus,</b>	440, 455
<b>Heinsius (D.),</b>	3, 5, 24, 253, 262, 264, 265, 267, 273, 353, 360, 361, 363, 376, 399, 410, 487, 493, 499	<b>Heron,</b>	245, 286, 470
<b>Heinsius (N.),</b>	353, 354, 360, 361, 364, 366, 368, 369, 374, 378, 379, 392, 394, 397, 399, 410	<b>Hesychius Illustris,</b>	71
<b>Heliodorus Larissaeus,</b>	227, 248	<b>Hierocles,</b>	267, 307, 484
<b>Hellenicus,</b>	444, 455	<b>Hieronymon,</b>	421, 427
<b>Henoch liber,</b>	286	<b>Hieronymus,</b>	19, 78
<b>Heraclides,</b>	12, 25	<b>Hippocratis Epistolæ,</b>	44
<b>Herennius,</b>	228, 236	<b>Hobij,</b>	17
		<b>Hoeschelii Geographi Minores,</b>	55,
			57
		<b>Holstenius,</b>	<i>passim.</i>
		<b>Horologium antiquum,</b>	222
		<b>Hurtzvigijs,</b>	220
		<b>Huswedelius,</b>	5

## I. J.

<b>I et II,</b>	437	<b>Iamblichus,</b>	218, 219, 362, 367, 411, 414, 423, 427, 428, 431, 432, 433,
<b>Iatinius,</b>	25	<b>Ignatius,</b>	434, 435, 436, 437, 439, 441, 443, 445, 447, 449, 450, 451, 452, 453, 454, 457, 458, 496
<b>Ierapetras,</b>	420	<b>India,</b>	61
<b>India,</b>	67	<b>Indus flumen,</b>	Inscriptiones ineditæ, 418, 425, 435 — repetitæ, 435 — correctæ, 449
<b>Infinitivus pro imperativo,</b>	437	<b>India,</b>	nomina extra inscriptionem, 163
<b>Innocentius X.,</b>	321	<b>Indus flumen,</b>	Insulanus, 79
<b>Inscriptiones,</b>	154, 155, 157, 158, 159, 162, 170, 172, 177,	<b>Joannes de S. Paulo,</b>	108
		<b>Joannes Pediasimus,</b>	150, 151
		<b>Ioecherus,</b>	168
		<b>Josephus,</b>	285, 286

- Isidorus characenus, 18, 67, 68, 22, 28, 29, 53, 68, 70, 129,  
455 153, 161, 230, 292  
Judæi non colunt asini caput, 173 Justellus, 358  
Julianus Tolestanus, 499 Justinianos (Marchio), 247  
Jungius, 129 Justinianus (Horat.), 402  
Junius (Patr.), 8, 10, 12, 13,

## K.

- |   |     |                                |     |
|---|-----|--------------------------------|-----|
| Kì pro xzi,                               | 442 | Koύροτος,                      | 440 |
| Kircherus 270, 271, 275, 276,<br>287, 495 |     | Κτῆσις, κτῆμα, κτῖσις, κτίσμα, |     |
| Koiv6v,                                   | 440 | Kύων iv φέτη,                  | 125 |

## L. A.

- |  |          |                              |
|--|----------|------------------------------|
| M et M.,   | 457      | Libanius, 295, 334, 351, 500 |
| Lambecius, 303, 304, 308, 356,<br>365, 370, 379, 380, 385, 395,<br>400, 402, 409 |          | Licetus, 298, 412            |
| — ejus fratres,  | 308, 523 | Ligorius (P.), 404, 405      |
| Landgravius Hassiae,   | 284      | Λινδένβρογιος, 3, 227        |
| — Darmstatensis,   | 286, 287 | Literarum permutatio, 59     |
| Lansberghe (Ph.),  | 24       | Livius (T.), 561, 364        |
| Lanselius,   | 292      | Λύκος ἴχαντος, 39            |
| Larena, 238, 240, 241, 242, 247,   |          | Luna, 44, 244                |
|  | 249      | Lundius, 8                   |
| Lasena,  | 499      | Lutherus, 172                |
| Laugerius,   | 297      | Lychnites lacus, 57          |
| Laurus (J. B.),  | 168      | Lycephron, 334               |
| Leunclavius,   | 183      | Lycurgus, 422                |
| Levius,  | 5        | Lysias, 422                  |

## M.

- |          |     |                  |
|----------|-----|------------------|
| M et M., | 457 | Macrobius, 379   |
| Macris,  | 58  | Magnus Mogor, 66 |

Mauasses en Israel,	508	Mercator,	52
Marchevillius,	214	Mercerus (J.),	333
Marcianus, 13, 43, 45, 55, 56;		Mersenne,	324, 326, 327
65, 66		Metochites,	230
Marianus,	78, 491	Meursius, 4, 28, 44, 74, 130,	
Marinus, 94, 95, 229, 307, 311,		262, 265, 385, 387	
312, 474		438	
— Tyrins,	66	Monchalius ( <i>Montchal</i> ), 77,	
Martianus Capella,	425, 428	226, 245, 286, 355, 400, 401,	
Martyrologia,	512	470, 472, 474	
Mascidus,	251	Mons Quirinalis,	39
Martpópolis,	439	— Sanctus,	117
Mathæus Blastares,	21	Montacutius,	28
Maximus (S.),	181	Molinus,	186
Mazanellus,	385, 398	Morbecca,	234
Medicei Principes,	178	Morellus (F.),	57, 193
Memmius,	355	Morinus (J.),	174
Ménestrier, 117, 184, 232, 237,		Moroni (C.),	322, 323
242, 247, 498		Muratorius,	425
Menippus,	56, 65	Museum Mantuanum,	116
Mensuræ antique,	271, 272		

## N.

Nardi,	354	Nihusius, 329, 331, 335, 338,	
Naudé, 111, 315, 314, 340, 359,			341, 343
	381, 389	Nivernensis dux,	201
Nehallenia,	395	Nobilius,	277
Nemesianus, 102, 110, 185		Noghera,	300
Nemi,	157, 505	Noguera,	297, 499
Nemorensis lacus,	157, 506	Nonnus,	42
Nicæphorus,	572, 373	Notitia Episcopatum et Pa-	
— Blemmides,	53	triarch.	19, 73, 74
Nicetas,	514	Nummi veteres, 136, 138, 142,	
Nicolaus Mæthonensis,	266	247, 403, 404, 405	
Nicomachus, 27, 235, 236, 484		Nuptiæ Aldobrand., 118, 156, 159	

O et D,	436	Orpheus,	272, 501
Ocellus Lucanus,	267	Orra,	137
O; et u.,	447	Ortelius,	46, 52, 60, 67, 137
Olympiodorus, 88, 123, 124, 126, 229, 230, 234, 291		Ou pro u.,	443
Omalius,	485	Ouidis ἀθάρατος,	437, 523
Oppianus,	102, 110, 185	Ovidius, 368, 392, 396, 398, 410,	
Orgon,	138	480, 501	
Origenes,	22, 500		

## P.

Pachon mensis,	448	Peutingeriana tabula,	243, 479, 498
Pætus,	509	Philippæus,	302
Paganinus Gaudentius, 128, 160, 164, 361		Philo,	451, 520
Palladius,	68, 305	Philo Byzantius,	75, 246, 468
Papius,	77	Philoponus,	187, 236, 484
Παρισχῆσθαι χριστα,	456	Philostratus,	128
Participia nominascunt,	434	Phlegon,	44
Patavinitas,	412	Phœbammon,	21
Patra,	431	Phœnicum navigationes,	60
Patres Græci edendi ab Holstenio,		Photius,	43, 46, 47, 218, 221 209
Πατριός,	443	Picus Mirandulanus,	125
Paulus Silentarius,	18, 72, 75	Piglio,	367
Peregrinus, 33, 36, 96, 105, 207, 208, 246, 264, 271, 262, 501		Pignorius,	159
— ejus frater,	89	Pindarus,	424
Perdiccas,	208	Pithœus,	78, 326
Peregrinus (C.),	374	Platonici philosophi,	130
Perperene,	403, 404, 405, 406	Plautus,	424
Petavius,	245, 501, 358, 389	Pletho,	18, 69, 479, 501, 520
Petitus (S.), 167, 274, 285, 470		Plinius,	136, 156, 272, 408
Pettæus,	129, 153, 160	Plotinus,	47
		Pocula commissititia,	246
		Pollius,	598
		Follux (J.),	225

Poloniæ descriptio,	188	Προξενία,	420
— Rex,	189	Πρόξενος,	440
Polybius,	438, 456, 518	Ptolemæus,	66, 405, 406
Pomponius Mela,	20	Psellus,	20, 28, 53, 174, 230,
Porphyrius,	27, 33, 75, 153, 229, 267, 294, 444, 447, 463		236, 438
Portulanum,	46	Purchasius,	231
Possinus,	593, 401	Putealis,	298
Pozzo ( <i>del</i> ),	159, 480	Puteanus (Erycius),	111
Prelum typographicum aquæ vi motum,	475	Puteanus eques,	118, 127, 128, 154, 156, 158, 159, 183, 239, 394, 505
Priolus,	369, 372	Puteanus (Chr.),	185, 464, 467
Priscianus,	77	Puteani fratres,	30, 38, 104, 108, 123, 194, 301, 357, 358, 360, 371, 372, 375, 377, 378, 380, 381, 382, 384, 394
Procli,	21, 88, 113, 123, 124, 126, 142, 209, 228, 229, 250, 254, 293, 335, 484	— eorum nepos,	378
Procopius,	263, 273, 279, 486, 492	Puteo (Cass. a),	111, 118, 127,
Procopius Gazæus,	5, 47		128
Προμηθευτής,	426	Puteolanus,	159
Πρᾶτα φίρειν,	452	Puteus eques,	111, 159
Protagoras,	75	Pyramides,	469
Provincia ( <i>la Provence</i> ),	137	Pythagoræ Symbolum,	298
Provinciæ Suburbicariæ,	367, 478	Pythagoricorum fragmenta,	313

## Q.

Quercetanus,	274, 280, 489	Quiqueran,	479
Querengus,	241, 251		

## R.

Racinius,	48	Remigius,	87
Ramusius,	61, 80, 81	Remmius,	47
Ranzovius (G.),	49, 461	Remonstrantes,	2
Reinardus,	206	Réquier,	50, 53

<i>Richardi,</i>	297	<i>Robervalius,</i>	326
<i>Rigalius,</i> 32, 104, 108, 124, 217, 301, 467		<i>Romatiana,</i>	515
		<i>Rondinelli,</i>	554
<i>Rittershusius,</i>	61	<i>Rumpius,</i>	3
<i>Rivius,</i>	264	<i>Rutgersius,</i>	266

## S. Σ.

<b>Sabbathium flamen,</b>	508	<b>Soymnus,</b>	56, 57, 65, 226
<b>Sada,</b>	47	<b>Secundus,</b>	267
<b>Sallustius,</b>	312	<b>Sagianus arcus,</b>	154
<b>Salmasius,</b> 44, 65, 69, 72, 313, 333, 334, 500		<b>Seneca Tragicus,</b>	312
		<b>Sergius Risi,</b>	206
<b>Sanchuniato,</b>	96	<b>Serius,</b>	59
<b>Sandes (E.),</b>	64	<b>Sentonius,</b>	461, 463
<b>Santa-Crucius (Santa-Croce),</b>		<b>Sgambatus,</b>	207
	175, 190	<b>Simplicius,</b>	21, 267
<b>Santo-Crucius (Sainte-Croix),</b>		<b>Sirmondus,</b> 53, 57, 77, 79, 108, 194, 301, 357, 358, 365, 389,	
	51, 55, 61, 67, 70, 75, 86		402, 403
<b>Salyrus,</b>	480, 501		
<b>Savilius,</b>	53	<b>Stegelius,</b>	503, 523
<b>Σκῆνος,</b>	452	<b>Solinus,</b>	20
<b>Σχῆμα Κολοφένιον,</b>	424	<b>Σεμα et ψυχη opponuntur,</b>	452
<b>Scheus (H.),</b>	265, 266	<b>Sophianus,</b>	64
<b>Schickardus,</b>	80, 187, 269	<b>Soricina nænia confessor,</b>	76, 264
<b>Scholiastes Nicandri,</b>	246	<b>Sotion,</b>	15, 18, 175
— Juvenalis,	337	<b>Σάζευσα,</b>	434
<b>Scholtus,</b> 2, 4, 46, 50, 51, 73, 75, 86, 90, 291		<b>Spada cardin.</b>	154, 201, 402
		<b>Spelmanus,</b>	217
<b>Schrückius,</b>	395	<b>Statuarum capila mutata,</b>	164
<b>Scioppius,</b>	322, 377	<b>Stephanonius,</b>	173
<b>Scorpiacum,</b>	89	<b>Stephanus Byz.</b> 11, 19, 45, 55,	
<b>Scrimgerus,</b>	20, 70	56, 75, 83, 95, 96, 105, 136,	
<b>Scrivenerius,</b>	29, 262, 265	142, 152, 231, 266, 405, 406,	
<b>Scylax,</b>	18, 59	430, 458, 455	

<b>Steuchus,</b>	224	69, 170, 218, 239, 240, 241,
<b>Stobaeus,</b>	380, 492	49, 268, 271, 281, 285, 301,
<b>Strabo, 11, 18, 20, 56, 69, 70,</b>		480, 481, 502
<b>71, 137, 431, 455</b>		
<b>Strada,</b>	577	Suidas, 95, 181
<b>Strato,</b>	166	Sumaius, 179
<b>Strozzi,</b>	311	Suovetaurilia, 155
<b>Stuckius,</b>	65	Susius, 153
<b>Suaresius, 103, 140, 144, 168,</b>		Synodus Carthaginensis, 402

## T. Θ.

<b>Tabassius,</b>	395	Thevetus, 118
<b>Tabulæ geographicæ, 92, 231,</b>		Thomas, '84
<b>232, 243, 342</b>		Θράκη Ἀσική, 3
<b>Tημένου Θύπατ,</b>	138	Θρηπτός, 42
<b>Tengnagelius, 186, 187, 192, 219</b>		Thuanus (historicus), 118, 356
<b>Tensinus, 335, 336, 340, 343</b>		Thuanus (Fr.-Aug.), 32, 40, 86,
<b>Terentii codex,</b>	221	167, 202, 205
<b>Themistoclis epistolæ,</b>	44, 45	Tiberius Rhetor, 21
<b>Theodoreetus,</b>	290, 291, 301	Tilly, 49, 197, 462
<b>Theodorus studita,</b>	4, 365	Timarion, 452
<b>Theodosius Diaconus,</b>	432	Τὰ τίμια καὶ φιλάνθρωπα, 455
<b>Θεοῖς χαροῦσις,</b>	453	Τρία κάππα κάκισα, 123
<b>Theon, 20, 27, 28, 237, 286,</b>		Tzelzes, 534
<b>472, 474</b>		Tripodes antiqui, 216, 232, 247
<b>Theophanes, 98, 99, 101, 106,</b>		Tristanus, 404, 408
<b>109, 110, 168, 550</b>		Tutinus, 374

## U. V. Υ.

<b>Τετοι,</b>	442	Valla (P.) ( <i>della Valle</i> ), 67
<b>— pro α,</b>		<i>ibid.</i> Vas antiquum, 498
<b>Valesius (H.),</b>	295, 341	Vassanus (Jo.) de S. Paulo, 104,
<b>Valguarnera,</b>	352	301

Vassens,	501	Ullius,	254
Vaticanicum ambulacrum,	480	Volarius,	379
Vaticana typographia,	289	Vorsius,	22, 25, 263
Ubaldinus,	401	Vespergius,	1
Venturi,	345	Vossius (G. J.),	16, 27, 262, 267,
Vite publicae Romanorum,	81, 82, 84, 307, 391, 478, 479,	328, 330, 333, 343, 351, 352,	369, 383
	497, 498, 503, 505	Vossius (Is.),	330, 343, 352, 361,
Victorius,	315		369
Victorius Accorensis,	206, 504	Tητηρίχιον τὰς χώρας,	451
Villanus,	251	Urbanus VIII,	162, 278, 289,
Vilesonus,	523		321, 503, 506
Vigilii codex,	221	Usserius,	343
Vitrum antiquum,	176	Westeradius,	485

## X.

Xystus,	492
---------	-----

## Z.

Zeses,	277	Zenodus,	434
Zonaras,	186	Zosimus,	447

## FINIS INDICIA.







